Jesus Maria Joseph

Ad maiorem Dei Gloriam

SYNOPSIS
SVMMVLISTICA

In qua quicquid his temporibus in ſcholis agitari ſolet, æqua formalitate, & claritate traditur.

Auctore

A.R.P. FR. IOANNE BAPTISTA HACQVETO.

Hiberno, Fiderdenſi, Ordinis Prædicatorum.

Iam tertiò Ex-Regente, ſacræ Theologiæ Magiſtro, eiuſdemq; olim Mediolani, Neapoli, & hic Romæ ordinario Profeſſore.

ROMAE,
Typis Franciſci Alberti Tani. 1659.

Superiorum permiſſu.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiss. P. Sac. Pal. Apost. Mag.

M. A. Ep. Hierap. Vicesgerens.

Imprimatur,

Fr. Raymundus Capisuccus, Sac. Pal. Apost. Magister, Ordinis Prædicatorum.

Illustriss. & Excellentiss.

PRINCIPI,

D. IO. BAPTISTAE

PAMFILIO;

Excellentissimorum Principum Vallis Montanæ, Rossani, S. Martini, ac Meldolæ Principum Primogenito; Duci Carpineti, &c.

ANNIS elapsis, nostro Theologico cursu, hic in Vrbe partim diuulgato, modò hunc Philosophicum publicare decreui, vt tibi (Princeps Excellentissime) hoc tantulocunq; deseruiam ministerio; vtq; tuis Genitoribus, meis benefi-

centissimis Mæcenatibus, morem geram: Tibi inquam Ioanni Baptistæ Pamfilio expressissimæ Maximi Propatrui Innocentij X. Ideæ, qui licet trium Romanorum Pontificum Pronepos existas, plus tamen gloriæ Maioribus es allaturus, quā tibi contulerint: Absit inuidia verbo; minora enim de te sperare nefas (nobilissime Iuuenis) tua indole, & fronte perlectis, qui spretis pueritiæ crepundijs, hanc tuam ætatulam non alijs excolis exercitijs, quam cultioris literaturæ medullis, giganteo procedens passu, acumine super annos, supra Principem Virum, quò te tuis Satoribus simillimum prodis, in quibus perspicacissima Ingeniorum viuacitas, cùm Maiestate sine supercilio, & munificentia sine fuco, æquanimiter certat. Fœlix Par Coniugum te

fau-

fausta fœcũdum Propagine, in perpetuum tui stemmatis firmamentum; tuq; fœlix (Dux Illustrissime) hac clarissima exortus prosapia. Ad te igitur prona diuertit hæc mea Dialectica Synopsis, tuorum liliorum illecta fragrore, tuorum syderum splendore ducta; ad tuam declinat Columbam, Pacis Nunciam nactura requiem, quæ Pamfilio sublimata patrocinio, eminùs ablegabit, quam ab Authore deduxit tenuitatem: hac vtere lanitrice, ad scientiarum capessenda arcana, eamque tuo sinu foue, Authori faue, fœlix Vale.

Excellentiæ Vestræ

Obsequentissimus seruus.

F. Io. B. Hacquetus. S.T.M.O.P.

Ad Lectorem.

EN tibi (Amice lector) ad arctiorem redacta methodum, quæ olim laxiori calamo, in celebrioribus Europæ licæis, & didici, & docui, nempè Salmanticæ, Parisijs, Neapoli, Mediolani, & Romæ. Tędiosa autem Doctorum, & argutiarum vbertas, qua veluti quodam profluente diluuio discipulorum obruuntur animi nobis scribendi præbuit ansam, vt quæ præcipiti disputantium ardore in Dialecticces irrepsere incunabula, hinc proscribamus; nempè de conceptu entis, scientiarum vnitate, & subalternatione, alijsq; similibus, quæ omnia in nostra Metaphysica Synopsi, veluti in propria sede, abundè trademus. Hinc insuper ablegauimus inextricabiles nenias, & dumeta sophismatum, quo Tyroni sua sola tradamus, ne in limine hæsitet, in tanto sensuum Euripo,

&

& rerum dissidijs, quid eligi debeat. Stilo quidem vtimur conciso, eòque vel maximè, quod hunc integrum philosophicum cursum Principi Adolescenti erudiendo inscribamus; ita tamen vt nil omittamus, quod sobriè desideretur, aut admittamus quod officioso pariat nauseam. Hæc boni consule, dùm reliqua sub typis gemunt, & benè Vale.

Nos Fr. Io. Baptista de Marinis S. T. Professor, Ord. Præd. humilis Magister Generalis, & seruus.

TEnore præsentium, nostrique auctoritate officij, renouamus licentiam superioribus annis datam A.R.P. Magistro, Fr. Ioanni Baptistę Hacqueto, Prouinciæ nostræ Hiberniæ, vt possit typis dare vtrumque integrum cursum, nempè philosophicum, & theologicum ab ipso elaboratos, iamq; ex nostra commissione examinatos, & singulari encomio approbatos, vt patet in fronte ipsius operis theologici iam impressi. Seruatis tamen seruandis. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. Datum Romæ in Conuentu nostro S. Mariæ super Mineruam primo Martij 1659.

Fr. Io. B. de Marinis Mag. Ord.
Reg. fol. 94.
Fr. Hier. Victorius M. & Socius.

Cen-

Censura.

NOS infrascripti S. T. Magistri, ex commissione nostri Reuerendiss. P. Generalis, Fr. Io. Baptistę de Marinis attentè legimus, & examinauimus vtrumque integrum cursum, nempè philosophicum, & theologicum A. R. P. Mag. Fr. Ioannis Baptistæ Hacqueti, in quibus omnia reperimus iuxta Angelici Doctoris mentem, mira claritate, & facilitate explanata. Vnde dignissimos censemus, qui typis dentur, in communem vtilitatem, & Religionis decorem. Datum Romæ apud Basilicam Liberianam primo Iunij 1655.

Fr. Angelus Nuzza à Grottola Ord. Præd. S. T. M. & Pœnitentiarius Apostolicus.

Fr. Gregorius Boncompagnus Sac. Theol. Mag. Pœnitentiarius Apostolicus, & Concionator Hebreorum in Vrbe.

IN-

INDEX.

Capitum, & Controuersiarum.

Cap.

logi-

ra-

Cont.

Cont.

Cont.

Cont.

SYNOPSIS SVMMVLISTICA

CAPVT. I.

De definitione, & diuisione Signi.

SIGNVM est, quod potentiæ cognoſcitiuæ aliquid repræſentat. Explicantur definitionis particulæ. Prima igitur, potentiæ cognoſcitinæ, exponi debet pro ſola intellectrice potentia, & nuſquàm pro brutorum ſenſitiuæ, quibus propriè ſignorum incongruit vſus. Secūda, nempe, aliquid, amplè ſumitur, quatenùs vel vt ſingulare dicit, vt Petrus; aut plurale, vt homines, aut aliquale, vt omnis. Tertia particula,

repræsētati, Speciatim vsurpatur, quatenus deficienter, & diminutè, ac veluti cum quodā recessu a perfectione repræsentati, representare dicitur. vndè imago imaginis, originalis signum non erit, cùm præfato non representet modo: tametsi respectu ipsius cuius est imago, putà D. Thomæ Aquinatis, signi rationem subeat.

Signum secatur in formale, & Instrumentale. Formale est, quod se ipso, & absque præuia cognitione sui aliquid repræsentat: vt actus intellectus, quos non prius cognoscimus, antè res significatas, sed simul cum ijs; cum per se sint quædam similitudines expressæ rerum. Instrumentale verò signum est, ex D. Aug. 2. de doct. Chistiana cap. 1 Quod præter speciem quam ingerit sensibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire. Vt imago Cæsaris, qua priùs visa, posteà ducimur in Cæsaris cognitionē: Vnde huic signo duplex respondet cognitio: prima ipsius signi,

sci-

ſcilicet Imaginis; & ſecunda ſignati, putà Cæſaris.

Signum inſtrumentale bipartitur in naturale, & ad placitum. Naturale eſt quod ex ſua intrinſeca ratione idem apud omnes repręſentat, vt fumus ignem. Ad placitum, quod ex libera hominum inſtitutione, vel impoſitione, aliquid repręſentat; vt vox, homo, naturam indicat humanam.

Signum quod ex conſuetudine dicitur, ad pręfata reduci debet; ſi enim conſuetudo in natura fundetur, & non ſit ex hominum impoſitione, vt v. g. videntes canem ſolitum præcedere ſuum dominum, in ipſius Domini cognitionem deuenimus, tale ſignum ad naturale reducitur. Si verò in humana fundetur voluntate, vt cum videmus ſterni menſam, ducimur in cognitionem propinquę comeſtionis, tale ſignum, ad placitum erit.

CAPVT. II.

De definitione, & diuisione termini.

TErminus eſt vox ſignificatiua ad placitum, ex qua ſimplex conficitur propoſitio. Dicitur, vox, ad excludendã cœtera ſigna, quę voces non ſunt à ratione vocalis termini, vt eſt ſonus campanæ, & ramus antè tabernam. Dicitur, ſignificatiua, ad excludendas voces non ſignificantes, vt blittiri. Dicitur, ad placitum, vt excludantur voces naturalitèr ſignificantes, vt riſus lętitiam indicat. Dicitur, ex qua &c., vt terminus à propoſitione, vel oratione diſcriminetur, quia hæc non eſt primum elemẽtum logicè componens, ſed quid compoſitum; quę ſi componat, id ſolum materialitèr efficiet, & non ſimplicem, ſed hypotheticam propoſitionem conſtruet.

Diui-

Diuiditur terminus vt sic, in Mentalem, vocalem, & scriptum. Mentalis est extremum propositionis mentalis. Vocalis est extremum propositionis vocalis; seu vox significatiua &c. Vt iam statim definiuimus. Et scriptus deniq; est extremum propositionis scriptæ. Sed de mentali & scripto agere, nostri non est instituti.

Diuiditur ergo. 1. vocalis terminus in vniuocum, æquiuocum, & analogum. Vniuocus est qui plura significat in aliqua vna ratione omninò conuenientia, vt homo, singula humanæ naturæ indiuidua. Æquiuocus qui plura significat nullatenùs conuenientia, vt canis, respectu latrabilis, cœlestis, & marini. Analogus verò terminus est, qui plura significat, nec omninò conuenientia, nec penitùs discrepantia, sed medio quodam modo, vt sanum, respectu animalis, vrinæ, & medicinæ: Sicut enim animal sanum dicitur, quia in se sanitatem habet, ita vrina quodammodò

pluribus dicitur dijs, quod requirebatur. Singularis est, qui vnum tantùm significat, vt Petrus, aut plura coniunctim, vt Roma. Cæterum hic singularis terminus est quadruplex. Nempè determinatus, quippè vnum determinatè significans, vt, Paulus. Demonstratiuus, qui est affectus demonstratiuo signo, vt, hic homo. Ex suppositione, qui licet absolutè posset significare plura, suppositione tamèn facta, restringitur vt vnum solùm significet; qualiter Virginis filius, solùm pro Christo supponit. Et terminus singularis vagus, qui quidèm vnũ significat, sed nõ determinãdo, an sit hoc, aut illud, vt, quidm homo.

Diuiditur 4. in collectiuum, & diuisiuum. Collectiuus est, qui plura copulatim significat, vt populus, Roma. Diuisiuus, qui vnum in singulari, vt Petrus, vel diuisim plura, vt homo.

Diuiditur 5. in incomplexum, &

complexum. Incomplexus eſt, cuius nulla pars ſeparata ſignificat, vt homo. Complexus, cuius partes ſunt per ſe ſignificatiuæ, vt homo doctus.

Diuiditur 6. in concretum, & abſtractum. Concretus eſt, qui formam ſignificat concernendo ſubiectum, vt album ſignificat albedinem in ſubiecto, & homo humanitatem in ſuppoſito. Abſtractus eſt, quo purè ſignificatur forma, vt albedo, humanitas.

Diuiditur 7. in abſolutum, & connotatiuum, Abſolutus eſt, qui ſignificat aliquid per modum per ſe ſtantis, id eſt, ad modum ſubſtantiæ, ſiuè in ſe ſit ſubſtantia, vt homo, ſiuè ad modum ſubſtantiæ, id eſt, ſinè ſubiecto concipiatur, vt albedo. Cõnotatiuus eſt, qui ſignificat aliquid per modum alteri adiacentis, vt album, ſignificans albedinem, vt adiacentem ſubiecto.

Diuiditur 8. in tranſcendentem, & non traſcendentem. Traſcendens eſt, qui per omnia rerum genera vagatur, & im-

& imbibitur transcendenter in conceptu essentiali rerum omnium. Sunt autem numero sex. Res, ens, vnum bonum, aliquid, verum; qui termini hac voce clauduntur (Reubau) cuius singulæ literæ sunt initium, prædictorum terminorum. Terminus verò non transcendens est, qui non egreditur limites vnius prædicamenti, vt homo, albedo, &c. Vel vt alij dicunt; qui conuenit tam enti, quàm non enti; vt intelligibile, nominabile, &c.

Diuiditur 9. in priuatiuum, & positiuum. Priuatiuus est, qui dicit carentiam alicuius formæ, in subiecto apto nato habere eam, vt cæcitas in homine. Positiuus ille est, qui denotat, & ponit formam esse in subiecto, cui potest aduenire priuatio illius, vt cùm dicitur, homo videns, qui visu priuari potest, &c.

Diuiditur 10. in finitum, & infinitum. Terminus finitus est, qui rem certam, & determinatam, significat;

ſeu vnã rẽ determinatè tantũ, vt homo, ignis; & Deus etiã, licet ipſe infinitus ſit, tamen hoc nomine, Deus, nil aliud præter ipſum ſignificatur. Infinitus eſt, qui determinatè ſignificat ſolùm rẽ, quã excludit, alia verò omnia indeterminatè. Fit autẽ terminus infinitus per negationem in fronte ſui, v. g. non homo videt, ly, (non homo) excludit hominem, & admittit per indifferentiã quodcũque aliud, quod non eſt homo.

Diuiditur 11. In terminum primæ, & ſecundæ intentionis. Terminus primę intentionis eſt, qui ſignificat aliquid ſecũdùm quod habet in ſe, vel in ſuo proprio ſtatu, id eſt, ſecluſo ſtatu quem habet in intellectu, & proùt concipitur, vt eſt, v.g. hæc vox, homo, ſignificans naturàm humanam. Terminus verò ſecundæ intentionis eſt, qui ſignificat aliquid, ſecundùm id quod habet per conceptũ mentis, & in ſtatu intellectus, ſicut ſpecies, genus, &c.

Diui-

Diuiditur tandèm 12. Vocalis terminus in impertinentem, & pertinentem. Impertinens eſt, qui nec alterum infert; vt album, & dulce; nec alteri repugnat, vt doctus, & iuſtus. Pertinens eſt, qui alterum infert, vt homo, & riſibile; vel ipſi repugnat, vt videns, & cæcum,

CAPVT III.

De definitione, & diuiſione ſuppoſitionis.

NOta; dari quædam ſigna, ſiue ſyncategoremata, ex quorum admixtione terminorum ſuppoſitio maximè variatur; quæ quidem ſunt in triplici ordine; quædam enim ſunt ſigna purè vniuerſalia, vt, omnis nullùs, &c. Quædam particularia, vt aliquis, quidam, &c. Quædam deniq: mixta ex vniuerſali, & particulari, vt, vterq; neuter, alter. Terminorum autèm proprietates ſunt ſup-

positio, ampliatio, restrictio alienatio, diminutio, & appellatio.

Suppositio igitur (de qua hic agimus) est acceptio termini pro aliquo de quo verificatur. Vt hæc vox (homo) in hac propositione; homo est animal, pro homine supponit. Dicitur autem in definitione. Acceptio termini, id est, substitutiua acceptio ab intellectu facta in ordine ad aliquã copulam in propositione: & sumi debet pro passiua acceptione ex parte termini accepti, non actiuè ex parte intellectus accipientis. Dicitur (pro aliquo de quo verificatur) quod intelligi debet, pro quo verificatur acceptio seu substitutio; non de quo ipsa propositio verificari contingit; cum ad suppositionem, non exigatur veritas, aut propositionis verificatio, siquidèm etiam in propositione falsa, verè datur suppositio, vt cùm dico, homo est leo. Vox, homo, supponit cùm verè inueniatur id, cui conuenit esse homo respectu illius copulæ (est)

& se-

& secundùm exigentiam illius. Requiritur tamen ad suppositionem, acceptionis termini verificatio, & substitutionis eius; hoc est, quòd id cui nomen conuenit, & pro quo substituitur in ordine ad copulam propositionis, verè inueniatur, & detur iuxtà illius copulæ exigentiam.

Diuiditur 1. Suppositio in propriàm, & impropriam. Propria est acceptio termini pro eo quod propriè significat, id est, ad quod significandum primò est nomen impositum; vt in hac propositione, leo rugit, supponit leo pro animali quod propriè significat. Impropria est, vsus termini pro re quam impropriè significat: id est, ad quam significandam per similitudinem, vel aliquam figuram, à propria transfertur significatione; vt cùm ostendendo imaginem hominis dico: hic homo est pictus; & Christũ appellamus leonem; & Neronem hominem crudelém.

Diuiditur 2. Suppositio, (sed solum

lùm propria) in materialem, simplicem, & personalem. Materialis est acceptio termini pro se, id est pro ipsa voce, vt cùm dico; homo est nomen, blitiri est vox, &c. Suppositio simplex est, positio termini pro suo immediato, & primo significato tantùm: quod euenit quandò subiectũ est primæ intentionis terminus, prædicatum verò secundæ, vt in hac: homo est species, homo non supponit pro Petro, aut Paulo, aliàs etenim propositio falsa esset, sed solùm pro natura humana in communi, quæ primum est, & immediatum vocis homo significatum. Suppositio tandèm personalis seu realis est, acceptio termini pro indiuiduis, seu pro his quæ materialitèr, & mediatè significantur, atq; ideò personalis nuncupatur, quia quasi suppositis alicuius rei, aut personis conuenit: vt cùm dicitur, omnis homo est animal, homo omnibus suis conuenit in diuiduis.

Diuiditur 3 in naturalem, & acciden-

dentalem. Suppositio naturalis, seu essentialis est positio termini pro omnibus suis significatis, tàm existẽtibus, quàm nõ existẽtibus: quod contingit quandò propositio est in materia naturali; tunc enim copula (est,) non importat tempus pręsens, sed perpetuam quandam vnionem prædicati cùm subiecto, vndè & tales propositiones dicuntur à tẽpore absolui: eò quòd nõ vniant extrema pro aliquo determinato tempore, sed semper propositio est vera, licet extrema in rerum natura non existant: Accidentalis autèm suppositio est positio termini pro re existẽte, secundùm tẽpus importatũ per copulã, vel secũdùm exigentiã prædicati; vt cùm dicitur. Homo disputat, vox homo, ratione copulæ, supponit pro hominibus pręsentibus; & ratione prędicati supponit pro viris: nã disputare fęminarũ nõ est.

Diuiditur 4. in communem, & singularem. Cõmunis est acceptio ter-

termini communis pro suis inferioribus, vt homo studet. Singularis & discreta, est acceptio termini singularis pro re singulari, vt hic homo studet.

Diuiditur 5. suppositio termini cōmunis affecti particulari Syncategoremate in determinatam, & confusam. Determinata est vsus, seu acceptio termini communis pro suis inferioribus disiunctiuè acceptis, ita vt prædicatum verificetur de vno determinato contento sub subiecto illius propositionis, v. g. aliquis discipulus est doctus; sit sunt centum discipuli, quorū vnus tantùm sit doctus, nempè Thomas, potest enumerando omnes deueniri ad vnum, de quo verificetur prædicatum, esse doctum. Suppositio confusa est, acceptio termini communis disiunctim accepti pro inferioribus, sed pro nullo determinatè, quæ ab alijs propterea dicitur vaga. Vt si dicas: Aliqua nauis est necessaria ad nauigandum; pro nulla determinata supponitur.

Diui-

Diuiditur 6. Suppositio termini communis affecti signo vniuersali in collectiuam seu copulatiuam, & distributiuam. Prima est, cùm terminus communis sumitur pro omnibus significatis simul sumptis. v. g. omnes planetæ sunt septem. Vbi ly, planetæ supponunt pro singulis simul, non diuisìm, aut seorsìm sumptis.

Distributiua seu distributa suppositio est, cùm terminus communis accipitur pro omnibus inferioribus significatis seorsìm sumptis. v. g. Omnis homo est animal, ly, homo, supponit distributiuè: nam potest seorsìm dici de singulis hominibus, quòd sint animal.

CAPVT. IV.

De Ampliatione, restrictione, alienatione, & diminutione.

AMpliatio, est extensio termini à minori ad maiorem suppositionem. Vt, homo potest esse doctus, ly

ly (homo) extenditur etiam vsquè ad homines possibiles.

Restrictio (ampliationi opposita) est coarctatio termini à maiori ad minorem suppositionem. Fit autem quadrupliciter. Primò per implicationis copulam; vt homo qui est virtuosus diligit studiū; vbi ly, homo, restringitur ad solos virtuosos. Secundò per applicationem inferioris substantiui, vt homo Thomas studet. Tertiò per positionem adiectiui ex parte eiusdem extremi; vt homo albus disgregat visum. Et quartò per additionem obliqui casus, vt doctrina D. Thomę præeminet alijs.

Alienatio (quæ & ab alijs remotio nominatur) est distractio termini à propria ad impropriam significationem, vt homo est pictus, vnde alienatio ad impropriam spectat suppositionem, & terminus alienans subiectum, ex parte prædicati ponitur, cùm talia sint subie-

cta,

ꝺa, qualia à ſuis permittuntur prædicatis: At verò quandò ponitur, vt adiectiuum ex parte ſubiecti, reſtringit illud quaſi adiacens ei, non verò alienat; vt ſi dicas: homo pictus eſt imago, ly (pictus) non alienat, ſed reſtringit, ipſum analogum trahens ad minus principale.

Diminutio denique eſt detractio partis ſuppoſitionis, vt cum dicitur. Æthiops eſt albus ſecundùm dẽtes, ly albus, non ſupponit pro toto homine, ſed pro quadàm parte illius, putà dentibus. Si tamèn contingat terminum à tota ſignificatione detrahi, tunc propriè remotio dicetur: vt in hac, homo irrationalis eſt brutum.

CAPVT. V.

De definitione, & diuiſione, Appellationis.

APpellatio eſt applicatio ſignificati formalis vnius termini ad ſigni-

significatum alterius . Pro cuius intelligentia obseruare debes, in concreto termino duplex inueniri significatum ; vnum formale , materiale alterum : Illud est ipsa forma , quam concretum significat ; vt humanitas, & albedo , significata sunt formalia hominis, & albi . Materiale verò Sgnificatùm est ipsum subiectum , seu suppositum , quod concretum concernit nomen ; vndè corpus significatum est materiale albi, & persona materiale hominis . Appellare igitur erit applicare significatum formale vnius termini ; ad significatum, siuè materiale, siuè formale alterius : & ideo terminus qui applicatur , appellans dicitur ; & cui applicatur appellatus : Sed appellans connotatiuus esse debet, vt alteri sit applicabilis : appellatus verò necessario connotatiuus non est, cui sufficit esse categorematicū .

Diuiditur 1. Appellatio in materialem & formalem. Illa est, quando

do applicatur significatum formale vnius termini, suprà materiale alterius: vt in hac. Thomas logicus est magnus. Vbi magnitudo Thomæ non applicatur ratione logicæ, sed ratione corporis. Hæc autèm est, quandò scilicet applicatur significatum formale vnius suprà formale alterius: vt, Thomas est logicus magnus: vbi magnitudo suprà Thomam non appellat ratione corporis, sed ratione logicæ.

Diuiditur 2. appellatio in realē, & rationis. Realis est applicatio accidentis, aut formalitatis realis, vt Thomas est doctus. Appellatio rationis est, quæ fit mediante accidente rationis, vt homo est species: non enim conuenit prædicatum absolutè homini, sed ei vt abstractè concepto, & per rationem tantùm. Sed appellationis quatuor assignantur regulæ, quarum priores duæ, deputantur reali appellationi, & alteræ duæ appellationi rationis.

Pri-

Prima regula. Quando adiectiuum ponitur à parte prędicati, & substantiuum à parte subiecti, non appellatur ad formale substantiui, sed applicatio fit ad suppositum ipsius: Vt in hac; Petrus medicus est magnus.

Secunda. Quandò adiectiuum & substantiuum sunt à parte eiusdem extremi, tunc adiectiuum appellat supra formale substantiui: vt in hac. Thomas est magnus logicus.

Tertia. Quando prædicatum est terminus secundæ intentionis, fit appellatio supra primarium significatum subiecti, prout concipitur proprio conceptu: Vt in hac; Homo est species.

Quarta denique. Terminus significans actum aliquem, siuè internum, siuè externum; applicat actionem suam supra significatum formale termini, cui iungitur, & non supra materiale; vt in hac.(Cognosco venientem)denotatur quod

cogno-

cognoſcam, ſub formali venientis ratione,& non ſub ea,qua v.g. Thomas eſt.

CAPVT. VI.

De Nomine, & Verbo.

NOmen definitur. Vox ſignificatiua, ad placitum, ſine tẽpore, cuius nulla pars ſeparata ſignificat, finita, & recta. Tres primæ definitionis particulæ (vox, ſignificatiua, ad placitum) ſuperiùs in definitione vocalis termini à nobis ſunt expoſitæ; vnde ijs pro nùnc omiſſis: dicimus particulam illam (ſine tempore) hic adduci, vt nomen à verbo diſcernatur, quod cũ tempore ſignificat, vt ſtatìm dicemus: licet, ſine tempore in nomine, non excludat tempus vt rem ſignificatam, ſed ſignificationem cùm tẽpore, tamquàm ſignificandi modum, qua nomen ſignificat rem, vt extremum ſtans; verbum autem

vt

vt fluens seu vniens, & agens; omnis verò actio tempore & motu decurrit. Dicitur, cuius nulla pars separata significat, vt elidatur oratio, & complexus terminus; Illa quidem, quia nomen non est, sed ex nomine composita: hic verò, quia nomen non est, sed plura nomina. Ponitur finita, vt repellantur nomina infinita, vt non homo. Vbi obserua, quod vox (non homo) si sumatur in vi duarum dictionum, tanquam negatum, quid complexum erit, & consequenter exclusum priori particula. Cuius nulla pars &c. Si verò in vi simplicis dictionis vsurpetur, infinitatum est, & à nominis ratione explosum, non quia propositionis extremum esse nequeat: Sed quia nominis modo caret, qui notare est, & notamen esse, determinatum aliquid significando; nomen autem infinitatum, aliquid determinatum non significat, cum determinatum significatum tollat, &

quia

quia tollẽdo significatum procedit, non ponendo, nominis ratione spoliabitur. Dicitur denique (recta) vt casus eliminentur obliqui, quibus nomen declinari contingit, vt Petri, Petro &c. Hi autem à nominum resecantur classe, quia ratione sui nomina non sunt, sed ratione sui recti, seu nominatiui, à quo deriuantur, & cadunt, vndè rectus & obliquus rem eandem significant, licet eodem modo significationem non exerceant, quia casus obliquus non conducit ad significandam rem, vt extremum quoddam in se, sed vt alterius, seu respectiuè ad alterum, vt hic liber est Thomæ: vndè erit nomen grammaticè tantùm, non logicè.

Verbum est vox significatiua ad placitum, cùm tempore, cuius nulla pars separata significat, finita, & recta; & eorum quæ prædicantur semper est nota. Tres primæ particulæ (vox, significatiua, ad placitum)

citum) intelligendæ sunt vt eas suprà exposuimus in definitione vocalis termini. Dicitur (cùm tèmpore) ad differentiam nominis: Quod vt pleniùs intelligas: Obserua non esse idem significare tempus, connotare tempus, & significare cum tempore. Illud ergo dicitur significare tempus, quod ad significandum tempus, vel partem eius impositum est, vt annus, dies, tempus, hora, &c. Id verò dicitur connotare tempus, quod significat aliquid inferens, & concernens tẽpus aliquod, ex eo quod determinato tempore fieri soleat, vt prandium, cœna, &c. hæc autem duo nominibus conueniunt, vt de se liquet. Illud autem dicitur significare cum tempore, quod significat quasi in actu exercito aliquam actionem, vel passionem, vel priuationem actionis, vel passionis, in ordine ad determinatam temporis differentiam, vt studeo, doceo, &c.

Po-

Ponitur illa particula(cuius nulla pars separata significat)ad exclusionem orationis , & verbi complexi , ficut de nomine diximus. Ponitur (finita) vt excludantur verba infinita , non ſtudet &c. nàm tam nomina , quàm verba infinita non habent significationem determinatam ; vt potè quæ tàm enti , quàm non enti conueniunt. Additur(recta) ad excludenda verba obliqua , quæ non verba , ſed verbi dicuntur caſus : ficut enim in nomine , illud dicitur obliquum, quod declinat à proprio nominis modo , quod eſt ſignificare per modum quid,& per ſe ſtantis, obliquũ autẽ ſignificatur, vt alterius : ſic in verbo, id obliquat , quod cadit à proprio verbi modo , quod eſt ſignificare cum motu , & actione , quandò ſcilicet ſignificat actionem de prætetito , aut futuro &c quia hæc ſimpliciter non eſt actio , ſed tantùm illa quæ eſt præſens , vndè per declinationem tem-

porum fit verbi obliquatio : & sic solùm præsens indicatiui modi, verbum erit ; quia alia tempora dependenter ab illo veritatem enũciant : indè enim hæc propositio de præterito (homo cucurrit) vera est: quia aliquandò de præsenti vera fuit : Idemq; de futuro dicendum. Adiungitur tandem vltima particula, vt excludas participium, quod quidem potest poni tàm ex parte prædicati, quàm subiecti, licet cum tempore significet, & ideò excluditur à ratione verbi, quod semper se tenet ex parte prædicati, quia vel significat ipsum prædicatũ, vel requiritur vt signũ, & nota vnitiua, ad coniungẽdum prædicatũ subiecto, & ideò, est nota, id est, signũ eorum quæ dicuntur, quia cõponit, & vnit illa subiecto. Si tamen aliquando ponatur ex parte subiecti, vt verbum infinitiui modi, inde est, quia verbum tunc accipitur in vi nominis, non per modum verbi.

Ca-

CAPVT. VII.

De definitione, & diuisione Orationis.

ORatio eſt vox ſignificatiua, ad placitum, cuius aliqua pars ſeparata ſignificat. Dicitur vox in ſingulari numero, duplici titulo; primò, ratione vnius formæ, quæ eſt vnitas ordinis, & complexionis in oratione deſiderata: ſecundò ratione vnius finis, quia tales voces vniuntur ad ſignificandum vnum conceptum complexum: vnde nomine vocis intelligi debet vox cō-plexa, non tamèn quæcumq;, ſed ea ſolùm, cuius partes ſunt per ſe ſignificatiuæ, non vt ſyncategoremata, quæ tantum conſignificatiua ſunt. Vnde excluditur terminus æquiuocus à ratione orationis, qui licet diuerſa ſignificet, v. g. canis, non tamèn hoc fit complexè, aut per plures voces, qualitèr in ora-

tione

tione contingit. Particulæ illæ (significatiua, ad placitum) explanandæ sunt, vt suprà in definitione vocalis termini. Ponitur (cuius aliqua pars separata significat) per quam particulam differt oratio à nomine, & verbo, cum quibus, in alijs conuenit: vt duo inde colligas: primum, quod oratio subordinetur conceptui composito: secundum, quod etiam intrà ipsam orationem, sint partes componentes eam, quæ distinctis, & separatis conceptibus correspondeant, vt cōponentibus vnum totum.

Diuiditur oratio vt sic, in perfectā & imperfectam. Perfecta est, quæ perfectum sensum generat in animo auditoris, hoc est, quæ non reddit suspensum intellectum, & quasi expectantem totum sensum orationis, sed perfectè complet, & exprimit integram sententiam, vt v.g. Thomas est doctus. Imperfecta est, quæ sensum imperfectum gene-

generat. Id eſt, quæ non integrum explicat ſenſum, ſed quaſi ſuſpendit *intellectum*, eum pendulum relinquendo, vt v. g. ſi Thomas Studeret.

Oratio imperfecta diuiditur in vnam cùm verbo, vt ſi Petrus ſtuderet, & aliam ſine verbo, vt Petrus ſtudens, quæ materialitèr coincidit cùm termino complexo; In qua tamèn aliquis eſt nexus, id eſt partium ordo; ratione cuins habent aliquam vnitatem, qua carent diſparatæ voces: etenim hæc oratio imperfecta ſine verbo, (Thomas doctus) habet partes cum maiori connexione, quam partes huius diſparati, Thomas, Roma, &c. quę voces omnem inter ſe vnitatem reſpuunt, vnde neque orationem etiã imperfectam propriè conficiunt, logicè loquendo.

Oratio perfecta diuiditur in enũciatiuam; & non enunciatiuam. Enunciatiua eſt, quæ alquid affir-

mat, vel negat, & hæc incomplexo nomine appellatur propoſitio, vt Thomas ſtudet. Non enunciatiua illa eſt, quæ nil affirmat, vel negat: ſub qua comprehenduntur omnes orationes, in quibus non reperitur veritas, aut falſitas: ſiue illæ ſint imperfectæ, de quibus iam egimus: ſiue perfectæ orationes intrà limites non enunciatiuæ, quales ſunt eæ, quæ perfectum ſenſum generant, cum tamen nil enuncient, vt ſunt orationes imperatiuæ, optatiuæ, &c. Oratio non enunciatiua vt ſic, diuiditur in tres modos ſciẽdi, de quibus iam agemus: nam licet duo priores, poſſint appellari orationes imperfectæ, eò quod ſecundùm ſe, & præciſis alijs, non relinquant quietum audientis animum; tertius verò ſit oratio perfecta, cum ſenſum perfectum generet: omnes tamen in hoc conueniunt, quod eſt eſſe orationes non enunciatiuas: cum in eis nulla reperia-

periatur veritas, aut falsitas. Quod de definitione, & diuisione per se patet, de argumentatione verò (de qua posset esse difficultas) idem dici debet: ipsa enim formalitèr vt ratiocinatio, & discursus est, non enunciat; cum in discursu non sit veritas, vel falsitas; cuius signum est consequentiam propriè loquendo, non dici veram vel falsam; sed bonam, aut malam.

CAPVT. VIII.

De definitione, & diuisione modi sciendi.

NOta triplicem esse nostri intellectus operationem. Prima dicitur simplex apprehentio, & est actus, quo primò aliquid cognoscitur simplici quòdam intuitu, nil de eo affirmando, aut negando; vt dum concipio v. g Thomam. Secunda dicitur iudicium, seu compositio, & diuisio; & est actus, quo

vnum

vnum alteri iungitur; vel ab eo separatur: nomine enim compositionis intelligitur cognitio, qua vnum de alio affirmatur, vt v. g. Thomas est studiosus: nomine verò diuisionis, cognitio qua vnum de altero negatur, vt Thomas non negligit. Tertia demùm appellatur ratiocinatio, seu discursus; & est actus quo vnum ex alio colligimus, & quo quasi per quosdam mentis passus, id est, per aliquas cognitiones alicuius noti, deuenimus in cognitionem ignoti; vt v. g. si deducatur; ex eo quod Thomas sit doctus, eum studuisse.

Modus sciendi est oratio ignoti manifestatiua. In qua definitione, oratio ponitur loco generis, cum in ea conueniat modus sciendi, cū alijs orationibus; quæ non sunt sciendi modus, vt cùm propositione &c. Dicitur ibidèm oratio, quia vna vox sufficiens non est, ad rem distinctè explicandam. Dicitur mani-

nife-

nifeftatiua ignoti. quia nifi fit oratio rem diftinctè explicans, modus fciendi non erit. Vndè fi quis definiret hominem effe arborem inuerfam; non benè definiret, quia talis oratio naturam hominis diftinctè non explicaret. Ignotum autèm manifeftabile duplex eft, incomplexum vnum, vt homo: alterum complexnm, vt homo eft rifibilis. Manifeftare etiam tunc propriè dicimur, quando rem in confufo, & tenebris delitefcentem, luci reddimus, & explicamus: vndè modus fciendi erit oratio illa in qua aliquod ex his ignotis manifeftatur.

Modus fciendi diuiditur in definitionem, diuifionem, & argumētationem. Cuius partitionis fufficientia ex prefata ignoti diuifione oftenditur. Si enim illud fuerit cōplexum, vt homo, eft rifibilis, manifeftatur per probationem, probatio autèm fit per difcurfum, &

consequentiam, & sic est argumentatio, vt si dicas. Homo est rationalis: ergò est risibilis. Si verò ignotum fuerit incomplexum, vt homo, explicatur definitione quãtùm ad obscuritatem suæ quidditatis, vt, hæc oratio (animal rationale) explicat ignotam hominis essentiam. Aut denique diuisione explicatur, quantùm ad confusionem partium aut multitudinis, quæ in re aliqua continetur: vt si dicas. Hominis alia pars corpus, alia pars anima. Vnde adequatè diuiditur sciendi modus in præfatas tres species quæ ad primam intellectus operationem præcisè ratione sui, & formaliter reduci debent. Tametsi tertius sciendi modus ratione obiecti, ad tertiam operationem reduci possit.

Ca-

CAPVT, IX.

De definitione, ipsius partitione, & regulis.

DEfinitum eſt, quod definitioni correſpondet tanquàm obiectum eius, cùm ipſa conuertibile; hoc autèm duplex eſt, nempe remotum, & proximum. Definitum proximum eſt ipſa natura, & quidditas quæ immediatè cadit ſub definitione: remotum vero ſunt illa, in quibus inuenitur talis natura, ſcilicèt indiuidua: vnde cum definitur homo, immediatè definitur natura humana, remotè verò Thomas, & alia indiuidua. Sed vt aliquid ſit definibile tres exiguntur cōditiones. Prima eſt, quod ſit vnū per ſe, id eſt, vna eſſētia, ſi enim plures eſſentias explicat, non vnum eſt definitum, Sed plura; ideoquè prius quàm aliquid definiatur, tollenda eſt æquiuocatio, & confuſio plu-

pluralitatis, vt vnumquodq; possit definiri. Si tamen plura se habeant per modum vnius, & concurrãt ad vnam constituendam essentiam: vel vnum se habeat vt res, alterum vt modus illius, nil vetat vnica definitione comprehendi. Secunda conditio est, vt definitum sit quid vniuersale, nàm cùm sola quidditas, & natura definiatur, singularia quæ supra eam conditiones addunt indiuiduantes, definiri nequeunt, sicut nec primò sub scientia cadere; tametsi singularitas in cõmuni exactè definiatur; cum tunc accipiatur vt quidditas, & natura quædam communis. Tertia conditio est, vt omne definitum, si rigorosè, & propriè definiatur, sit species contententa sub aliquo genere, eo quòd omnis propria definitio constare debeat ex genere & differentia; & sic debet tradi de aliquo, quod sub genere contineatur.

Definitio est oratio naturam rei, aut

aut termini significationem exponens. Sicut cùm dico: homo est animal rationale, naturam hominis explico, quæ in illo termino, homo, non explicabatur: & cum dico: album est habens albedinem; non explico naturam albi, sed nominis significationem, quia idem est, ac si dicatur; album est vox significans id quod habet albedinem. In allata autèm definitione oratio ponitur loco generis, in qua conuenit definitio cum alijs modis sciendi: à quibus per reliquas particulas differt. Dicitur insuper oratio, quia vna vox non esset definitio, quæ distinctè rei naturam explicare debet, quod vni non conceditur voci. Dicitur naturam rei &c. ad excludendas orationes, quæ rei naturam non explicant: vt si dicas, homo est arbor inuersa, hominis non explicas naturam, quam explicares dicendo: homo est animal rationale.

Diui-

Diuiditur definitio vt sic, in definitionem quid nominis; & quid rei. Definitio nominis seu vocis, est oratio explicans significationem ipsius nominis, quæ propriè & cōmuniter ethymologia, seu interpretatio nominis appellatur: vt si dicas: homo dictus est ab humo, hæc autem impropriè dicitur definitio, de qua agere Grammatici est, definitio autèm quid rei est, quæ explicat naturam rei significatę: vt animal rationale, naturā hominis.

Diuiditur definitio quid rei in essentialē, descriptiuā & causalē. Definitio essentialis seu quidditatiua est oratio rem aliquā per suas partes, aut prędicata essētialia explicans, vt homo est animal rationale. Descriptiua est definitio quę traditur per extrinseca, & accidentalia. Vt homo est animal, in plume, bipes, magni cerebri &c. Causalis est quę traditur per causas extrinsecas: vt liber cōficitur à Ioanne propter Thomā.

De-

Definitio essentialis duplex est: altera physica, & altera metaphysica. Physica est, quæ constat ex materia, & forma, quę sunt partes physicę: vt homo constat ex anima rationali, & corpore. Metaphysica, quę constat genere & differentia, quę metaphysicę sunt partes; vt homo est animal rōle. Quamuis etiàm in physica, materia ponatur loco generis, & forma loco differentię; vt sic verificetur omnem definitionem genere, & differentia constare; vel aliquo eorum loco: quod intelligi debet de genere immediato: Si enim aliquando assignetur definitio per genus remotum seu supremum, tunc adhiberi debent omnia genera intermedia, vt rectè tradatur.

Definitio descriptiua duplex: alia per accidentia communia; & altera per propria. Prima est: vt v. g. homo est animal pulchrum, implume bipes, habens caput erectum; quæ

om-

omnia sunt accidentia communia, vt per se patet. Secunda est quæ traditur per accidẽtia propria definiti; vt homo est animal risibile, admiratiuum, disciplinę capax &c.

Definitio causalis adhuc bipartitur: vna est quæ traditur per causas intrinsecas, & coincidit cum definitione essentiali physica, de qua iàm egimus: vt si dicas: Annulus est quoddam artefactum conflatum ex auro, & sua peculiari figura. Vt enim dicemus in Synopsi physica quatuor sunt causarum genera, materia ex qua aliquid fit; forma per quam: efficiens à quo: & finis propter quem: duæ priores causæ sunt intrinsicæ; posteriores verò extrinsicæ, quæ rem non componunt; Altera est causalis, quæ traditur per extrinsecas causas: vt anima est creata à deo ad beatitudinem possidendã. Posset tamèn definiri aliquid per õnes causas simul; & sic vtrumque huius diuisionis inclu-

cludere membrum: vt si dicatur. Homo est conflatus ex corpore, & anima rationali, creatus à Deo, propter beatitudinem.

Prima regula bonæ definitionis est, quod definitio constet genere & differentia, vel saltèm aliquo supplente vicem generis & differentiæ, cùm enim essentia cuiuslibet rei quę per definitionem explicatur, habeat aliquid cum alijs cõmune, quod appellatur genus, & aliquid sibi peculiare, & proprium, quod dicitur differentia, inde liquet vtrumquè exprimendum esse in definitione, vt explicetur tota natura definiti; vt videre, est in hac definitione hominis, animal rationale: ex quo infertur quod bona definitio conuertatur cùm definito, & econtrà: cùm enim contineat totam definiti essẽtiam, consequens est eam nulli alteri conuenire posse.

Secunda regula est, quod definitio clariùs significare debeat, quàm de-

definitum, quia illud manifeſtat: & indè infertur quòd non debet definitũ intrare definitionẽ, quia ſic nõ redditur clarior, ſed magis perplexa: ſicut in illa definitione hominis, quod eſt, animal rationale, nõ bene adderetur, animal rõle, quod eſt homo.

Tertia regula eſt, vt definitio nõ ſit redundans, nec diminuta: ſi enim aliquid habet plus quàm definitum, vel minus, hoc ipſo naturam eius non explicat, attribuit enim ei, id quod non habet, vel ab eo tollit quod habet. Vnde ſuperflua potiùs confuſionem, quàm claritatem parit: vt ſi dicas: homo eſt animal rationale album. Diminuta verò non explicat totam definiti eſſentiam, vt cùm dicitur, homo eſt viuens ſenſibile.

Ca-

CAPVT. X.

De diuisione, ipsius partitione, & regulis.

Diuisum est res quæ diuiditur in quacunque diuisione, partes in quas diuiditur dicuntur mẽbra diuidentia, & oratio tales partes explicans, nuncupatur diuisio. Vt in hac diuisione. Animal aliud rationale. aliud irrationale: Animal est diuisum; rationale & irrationale, membra diuidentia; & ipsa oratio explicans, diuisio.

Diuiditur 1. diuisum seu totum, in potentiale, & actuale. Potentiale illud est, quod constat ex partibus quas actu non habet, sed tantùm in potentia, vt animal dicitur totum respectu hominis, & leonis, quæ sunt partes potentiales ipsius: & sic omne genus totum est potentiale in ordine ad suas species. Totum actuale est id, quod constat ex

par-

partibus, quas actualitèr habet, vt domus respectu parietum, tecti, & fundamenti; quia actu ex his partibus componitur.

Diuiditur 2. totum, sed actuale; in physicum, & metaphysicum. Physicum est quod componitur ex partibus physicis, vt homo ex materia & forma, putà corpore, & anima. Metaphysicum verò, quod ex metaphysicis coalescit partibus; vt idē homo ex genere & differentia, nēpe animali, & rationali.

Diuidirur 3. Actuale totum, in similare seu homogeneum; & dissimilare siuè hetherogeneum. Similare est, quod constat ex partibus, quę sunt eiusdē nominis, & rationis cum ipso toto, vt metalla, elementa, & similia. v.g. Aqua, cuius quælibet pars, & guttula, aqua est, sicut & suum totum. Dissimilare verò totum illud est, quod constat ex partibus dissimilibus, & hetherogeneis; id est, diuersæ rationis à

toto,

:oto ,vt eſt domus reſpectu ſuarum
partium , quæ nec domus ſunt, nec
domo ſimiles.

Diuiditur 4. diuiſum, ſeu totum
actuale, integrale, quantitatiuum,
in continuum, & diſcretum. Continuum
eſt, quãdò aliquid diuiditur
in ſuas partes continuas, vt cum ſecatur
homo, in caput, manus, pedes,
&c. Diſcretum eſt, cùm quid
diuiditur in ſuas partes diſcretas, vt
v.g. multitudo in plures numeros,
ſeu vnitates; vt ternarius in tres
vnitates.

Diuiditur tandem 5. Totum ſed
potentiale in vniuocum, æquiuocum,
& analogum. Vniuocum eſt
quodlibet genus reſpectu ſuarum
ſpecierum. Æquiuocum canis, reſpectu
cæleſtis, terreſtris, & marini.
Analogum reſpectu ſuorum
analogorum, vt eſt ens reſpectu ſubſtantiæ,
& accidentis. Obſerua tamẽ
quòd præter enumeratas totius
diuiſi ſpecies, datur totum logicum,
id

id eſt, totum prædicabile reſpectu ſuorum inferiorum, de quibus vt partibus ſubiectiuis prædicatur. Diuiſio eſt oratio rem aliquam per ſua membra, aut terminum per varias ſignificationes diſtribuens; vt hominis v. g. alia pars anima, alia corpus: canis ſignificat Sydus, & animal. Dicitur oratio, vt diuiſio realis, qua nempè lignum diuiditur ſecuri, excludatur à ratione diuiſionis logicæ; & hæc etiam particula ponitur loco generis, in qua conuenit diuiſio cum alijs modis ſciendi; reliquæ autèm particulæ ponũtur loco differentiæ, quibus differt ab ijſdem, licet enim definitio, & argumentatio, ſint orationes, neutra tamèn totum in partes diſtribuit, quod ſolùm conceditur diuiſioni, quæ ſola totum in partes ſecat.

Diuiſio prima ſui partitione, duplex eſt; altera nominis; altera rei. Prima eſt diuiſio ſignificationis nomi-

minis, & termini æquiuoci: vt homo, alius verus, alius pictus; sed hac omissa, quæ nostrà non interest; diuisio rei est, qua rem in partes secamus. Cum autèm propriū sit diuisionis totum in membra distribuere: iuxtà diuersos modos totius, diuersificabuntur & diuisiones: Vnde sicut totum triplex est, nempe potentiale, actuale, & accidentale; ita & diuisio triplex erit, potentialis, actualis, & accidentalis.

Diuisio potentialis, (quæ & vniuersalis dicitur) illa est qua totum diuiditur in partes, quas sub se, & in potentia continet, vt substantia diuiditur in corpoream, & incorpoream. Verùm hæc diuisio duplex est: alia generis in species, & alia analogi in analogata. Tunc autèm genus in species secatur, quandò diuisum æqualitèr, & essētialiter reperitur in membris diuidentibus; vt dùm diuiditur ani-

mal in hominem, & leonem tanquàm in partes subiectiuas. Ad hanc antèm reducitur diuisio generis per differentias, imo censetur eadem, quia genus in differentias non diuiditur, sed per differētias in species, vt animalium aliud rationale, aliud irrationale; quæ diuisio propriissima est, & quidditatiua, vtpotè de his in quæ, & per quæ essentialiter contràhitur genus, & in qua diuisum prædicatur de membris diuidentibus.

Diuisio analogi in analogata est, quandò diuisum principalitèr est in vno membro diuidente, & minùs principalitèr in alijs: vt sanum respectu animalis, vrinæ, & medicinæ. In qua diuisione; diuisum appellatur analogum, & diuidentia, analogata: quorum primum dicitur principale analogatum, in quo ratio analogi simplicitèr, & abolutè inuenitur; in alijs verò, secundùm quid, & per deriuationem à

pri-

primo:vnde & emanauit commune prologuium;Analogum per se sumptũ,stat pro famosiori analogato.

Diuisio actualis est qua totum diuiditur in partes, ex quibus actu conflatur, & est triplex: Physica,metaphysica,& integralis.Physica est, cum totum physicum diuiditur in suas partes physicas; v. g. homo diuiditur in corpus, & animam. Metaphysica, cum aliquid diuiditur in genus, & differentiã: vt, homo in animal & rationale. Integralis demùm, cum aliquid diuiditur in partes intregantes,vt homo in manus, pedes, &c.

Diuisio tandèm accidentalis est, qua totum accidentale diuiditur in suas partes. Et est triplex. Prima qua subiectum diuiditur in accidentia quæ habet: vt hominũ alius longus, alius breuis. Secunda est, cum accidens diuiditur in subiecta, in quibus est: vt alborũ, aliud cygnus, aliud lilium. Tertia

eſt, cum accidens diuiditur in alia accidentia, cum quibus iungitur: vt dulcium, aliud flauum, vt mel: aliud album, vt ſaccarum &c.

Prima regula bonæ diuiſionis eſt, quod ſingula membra diuidētia ſeorsim sūpta ſint inferiora diuiſo, & coniuncta ita illud adæquent, vt non excedant. Vtriuſq; ratio eſt: quia diuiſum eſt totum, & membra diuidentia partes, totū autèm licèt excedat partē vnā, non tamen omnes, nec exceditur ab ijs.

Secunda eſt, quod membra diuidentia habeant inter ſe oppoſitionem aliquam ſaltèm formalem, quia ſi nullam oppoſitionem haberent, neque diſtinctionem admitterent, ſed identitatem, & ſic non eſſent diuerſa membra, aut partes, de quarum ratione eſt, ſe inuicèm excludere: Ex quo ſequitur in qualibet diuiſione, ad minus debere eſſe duo membra diuidentia, vt de ſe patet.

Ter-

Tertia demùm regula eſt, quod diuiſio tradatur per pauca membra diuidentia quantum commodè fieri poteſt, ne eorum multitudo obſcuritatem, & confuſionem pariat: vnde diuiſiones communitèr aſſignari ſolent per membra contradictoria, exprimendo ſcilicet principale membrum, & loco aliorum negationem eiuſdem: vt cum dicimus; animal aliud rationale, aliud irrationale.

CAPVT XI.

De Argumentatione.

ARgumentatio eſt oratio in qua vno dato, aliud ſequitur. Vt v. g. Thomas ſtudet, ergo bene facit. Ex quo ſequitur ad argumentationem non ſufficere, quod vnum poſſit ex alio inferri, ſed neceſſe eſt, vt explicetur illatio: quarè iſta non eſt Argumentatio: Thomas currit, & mouetur: quia

non explicatur motum inferri ex ambulatione.

In argumentatione autem tria reperiuntur. Primum est antecedens, seu præmissa inferens. Secũdum consequens illatum. Tertium nota illationis, quæ est coniunctio antecedentis & consequentis, illationem seu sequelam denotans: v.g. in hac argumentatione. Omnis qui studet bene facit: sed Thomas studet. ergo bene facit. Duæ primæ propositiones se tenent ex parte antecedentis, & appellantur maior, & minor: tertia verò dicitur consequens: & tandèm illa particula (ergo) dicitur nota illationis; quia designat consequens inferri ex antecedenti.

Nota autem illationis triplex est. Conditionalis, in qua illatio fit media particula (si) vt, si homo currit, mouetur. Rationalis, in qua ponitur particula, (ergo, vel igitur) vt Petrus est rationalis, ergo risibilis.

bilis. Et causalis in qua ponitur particula, quia, vt, quia sol lucet, dies est. Differunt autèm ista tria, quòd ad veritatem conditionalis sufficit, quòd sit bona consequentia, licèt extrema sint falsa, vndè hæc conditionalis est vera: si homo volat, habet alas: & tamèn extrema sunt falsa. Ad veritatem rationalis, requiritur quòd antecedés, & consequens sint vera: ad veritatem dico, nam ad bonitatem consequentiæ etiam ex falso potest sequi verum, vt dicemus infrà. Ad veritatem causalis, desideratur quòd sint vera, & quòd antecedẽs sit causa consequentis: est enim verum quod homo est animal, & est risibilis; sed falsum, quod quia est animal, sit risibilis.

CAPVT. XII.

De definitione, & diuisione propositionis simplicis.

PRopositio simplex est oratio verum, vel falsum significans indicando, vt v.g. homo est animal. Oratio ponitur loco generis. Significare verum, vel falsum, loco differentiæ. Per quam distinguitur enunciatio à cæteris orationibus siue imperfectis, siue perfectis, non explicantibus veritatem. Ponitur particula (indicando) ad designandum quo pacto verbum in simplici propositione deseruiat, ad significandum verum, vel falsū, id est, per modum asserendi, quod communiter fit verbo indicatiui modi, vel ad illud reduci debet: veritas autē in simplici enūciatione assertiuè significatur, siue affirmādo, vel negādo. In hypotheticis autē, licèt nō sēper assertiuè proce

datur,

tur. Vt in conditionalibus non indicatiui modi; v.g. si studeres, doctus euaderes; tamen ex aliquo subintellecto sensu propositionum veritas ad assertionem reduci potest; eo modo quo reducitur ad cathegoricas. Præfata tamen definitio solùm est descriptiua: nàm veritas & falsitas sunt passiones propositionis, vt infrà docebimus: & ideò essentialis, & quidditatiua definitio est hæc. Propositio est Oratio enunciatiua: cuius intelligentia satis constat ex dictis, vnde noua non indiget explicatione.

Diuiditur primò propositio, vt sic in cathegoricam, & hypotheticam. Propositio simplex, seu cathegorica est, quæ habet subiectum, copulam verbi, & prædicatum tanquam partes principales sui, vt homo est animal: subiectum autèm dicitur illud, de quo aliquid dicitur. Prædicatum, id quod de aliquo dicitur, vt in præfata propositione,

ne, ly (homo) dicitur subiectum, (animal) prædicatum, & (est) verbalis copula, & quia ex istis, tanquam ex principalibus, hæc propositio constat, dicitur cathegorica, id est, prædicatiua: quæ & ab alijs vocatur simplex, quia solùm ex verbo, & nomine coalescit, nec enim est alia simplicior compositio; De hypothetica agetur in sequenti capite.

Diuiditur secundò propositio simplex, in vniuersalem, particularem, indefinitam, & singularem. Propositio vniuersalis illa est, in qua subiectum propositionis afficitur aliquo signo vniuersali. Signa autem vniuersalia sunt, omnis, nullus, quilibet, neuter, & similia, quæ distributionem pro pluribus important, vnde talia signa non affiguntur, nisi communi termino, vt omne animal viuit. Propositio particularis est, in qua subiectum afficitur signo particulari, vt quidam homo

homo ſtudet. Signa autèm particularia ſunt, quidam, aliquis, alter, & ſimilia, quæ quidèm pluribus conuenire faciunt, ſed non diſtributiuè. Indefinita eſt, in qua ſubiectum eſt terminus communis, nullo ſigno affectus, vt homo ſtudet. Singularis deniquè propoſitio eſt, in qua ſubiectum eſt terminus ſingularis, vel terminus communis affectus ſigno ſingularitatis, vt Thomas ſtudet, hic homo ſtudet.

Diuiditur tertiò in affirmatiuā, & negatiuā. Affirmatiua eſt in qua prędicatum affirmatur de ſubiecto, vt Thomas eſt doctus. Negatiua in qua negatur de ſubiecto, vt homo nō eſt leo: & ſic affirmatio facit cōpoſitionē, negatio verò diuiſionē.

Diuiditur quartò, in propoſitionem de ſecundo, & tertio adiacente; Propoſitio de ſecundo adiacente eſt, quando verbum ponitur ſecundo loco immediatè poſt ſubiectum, ſcilicet quandò nullum

est prædicatum explicitum, tunc includitur prædicatũ in verbo, quod se habet vt prædicatum, & secundo loco adiacet post subiectum; siue sit substantiuum, siue adiectiuum verbum: & semper resolui potest in propositionem de tertiò adiacente, vt hæc de secundo adiacente, & verbo substantiuo; Thomas est, resoluitur in hanc, Thomas est existens: & pariter hæc, de verbo adiectiuo: Thomas studet; resoluitur in hanc; Thomas est studens. Propositio verò de tertio adiacente, est quando aduenit verbum tertio loco post prædicatum, & subiectum, illa vniendo: licet ponatur immediatè post subiectũ, vt exprimat esse connexionem eiusdem cùm prædicato: & quando importatur explicitè prædicatum, vt à verbo condistinctũ, vt in hac, Thomas est doctus.

Diuiditur quintò propositio, in modalem, & de inesse. Modalis est,

in

in qua verbum, seu copula afficitur aliquo ex his quatuor modis, scilicet: necesse, contingens, possibile, impossibile: vt v. g. Thomam esse hominem, est necesse. Sed de hac agemus infrà.

Propositio autem de inesse illa est, quæ sinè talibus modis copulat, & componit vnum extremum cùm alio; licet alijs adnerbijs modificantibus, verbum, aut prædicatum aliquandò modificetur; vt contingit in hac cathegorica de inesse; Thomas diligentèr studet. Dicitur verò de inesse, eò quod non determinetur modus, quo prædicatum insit subiecto; qualiter in modali prestatur.

Diuiditur sextò propositio in veram, & falsam. Propositio vera est, quę dicit rem esse sicuti est in se, vt homo est animal; falsa verò, quę rem aliter esse, ac est in se, enunciat; vt, homo est lapis.

Diuiditur septimò in Identicam, & for-

& formalem. Identica eſt, in qua idem de eodem, vel ſynominum de ſynomino prędicatur, vt homo eſt homo: Formalis, quandò prędicatum habet ſe, vt forma ſubiecti, vel ad inſtar formę, vt homo eſt animal, Thomas eſt doctus.

Diuiditur tandem 8. in directã, & indirectam. Directa eſt in qua ſeruatur modus naturalis terminorum, & prædicatur id quod habet rationem formę de eo, quod habet rationem ſubiecti, ſiuè ſit forma eſſentialis, vt definitio, vel pars definitionis de definito, & ſuperius de inferiori, vt in hac, homo eſt animal: ſiue etiam ſit formà accidentalis ſubiecto, vt in hac, Thomas ſtudet: vnde propoſitio directa, alia eſt eſſentialis, & alia accidentalis. Indirecta denique propoſitio eſt, cùm præfatus ordo peruertitur, in qua ſcilicet ſubiectum dicitur de forma, aut definitum de definitione, vt animal rationale eſt

homo;

homo; quæ prædicatio neque propriè est essentialis, neq;accidẽtalis.

CAPVT. XIII.

De definitione, & diuisione propositionis hypotheticæ, & exponibilis.

PRopositio hypotheticæ, quæ composita, seu coniunctione vna nominatur, illa est, quæ habet duas cathegoricas, tanquam partes principales sui; vt, si homo currit, homo mouetur. Differunt autèm hypothetica, & cathegorica, penès copulas, & copulata extrema, quia hypothetica non vnit verbo, sed particulis, &, vel, si, ac similibus; nec immediatè vnit terminos, sed propositiones.

Diuiditur propositio hypothetica in conditionalem, copulatiuam, & disiunctiuam.

Conditionalis est quæ coniungit propositiones per illam particulã (si) vt, si sol lucet, dies est. Ad hãc autem reducitur propositio rationalis,

nalis, & etiam caufalis. Rationalis autem eft, quæ coniungit propofitiones per particulã (ergo, vel igitur) vt Thomas ftudet, ergo cogitat: propriè tamen ly, (ergo) facit confequentiam, & difcurfum, non propofitionem hypotheticã. Caufalis verò eft, cuius partes principales vniũtur media particula (quia) aut alia coniunctione caufali, vt, quia Thomas ftudet, fit doctus. hæc etiam propriùs eft argumentatio, quàm hypothetica. Copulatiua eft, quæ coniungit propofitiones coniunctione copulatiua, quales funt, &, ac, neque, & fimiles, vt, homo eft difcurfiuus, & leo rugibilis; neque homo eft leo, neque leo rifibilis. Difiunctiua eft cuius partes principales vniuntur cõiunctione difiunctiua, quales sũt, (vel, aut, fiue, & fimiles) vt, vel Thomas ftudet, vel dormit.

Ad veritatem conditionalis non requiritur quod aliqua pars fit vera,

ra, sed sufficit bonitas consequentiæ, vt hæc vera est, si homo volat, habet alas, licet vtraque copulata in se sit falsa. Ad falsitatem autem sufficit, quod consequentia sit mala: licet vtraque propositio sit vera: vt hæc est falsa, Thomas est homo, & studet: quia consequentia est nulla.

Ad veritatem copulatiuæ requiritur, quod vtraque pars sit vera, quia veritas illius consistit in copulatione veritatũ: vnde hæc vera est; homo est animal, & est viuens. Ad falsitatem verò sufficit, quod altera pars sit falsa. Vnde hęc tota falsa. Thomas disputat, & lapis currit: quia vna pars falsa.

Ad veritatẽ disiunctiuæ sufficit alteràm partẽ esse verã, cõsistit enim veritas eius in separatione veritatis: quarè hęc vera. Vel homo viuit, vel lapis. Ad falsitatem autem eius requiritur quod vtraque pars sit falsa. Vndè hæc falsa, vel homo rugit,

rugit, vel leo ridet.

Propositiones exponibiles sũt quę ratione alicuius termini importãtis sẽsũ explicabilẽ pluribus propositionibus necesse habẽt exponi, seu declarari; & quia pluribus propositionibus declarantur, dicuntur virtualiter hypotheticæ: propositio autèm clarior, vocatur exponens, & quæ per illam declaratur exponibilis, vt hæc, prædicamenta sunt tantùm decem, exponibilis est per hanc, idest, non plura quàm decem.

Diuiditur exponibilis in exclusiuam, exceptiuam, & reduplicatiuam. Exclusiua est quæ modificatur termino significante exclusionem, vt tantùm, solùm, &c. si ergo talis particula affigatur subiecto, modificat totam propositionem, eamque efficit absolutè exclusiuã: & tunc excludit alia omnia subiecta à participatione prædicati, vt si dicas: tantùm homo est risibilis,

expo-

exponitur ſic : homo eſt riſibilis ; & nihil aliud ab homine eſt riſibile. Si verò particula excluſiua iungatur prædicato, tunc propoſito vocatur de excluſo extremo; & excludit à ſubiecto alia omnia prædicata : vt cum dicitur : homo eſt tantùm animal:exponitur hoc modo ; homo eſt animal, & homo non eſt aliquid aliud.

Exceptiua propoſitio eſt que afficitur particula exceptiua, præter, aut ſimilibus. vt omne animal præter hominem eſt irrationale. Appellatur autèm exceptiua, quia aliquid ex aliquo communi diſtributo excipit; & rectè exponitur. Si loco Particulæ (præter) ponatur, (excepto,) vt ſi dicas : omne animal præter hominem eſt irrationale : expones dicendo. Omne animal, excepto homine, eſt irrationale. Vel etiam per copulam implicationis negatiuam dicendo. Omne animal, quod non eſt homo, eſt irrationale. Re-

Reduplicatiua deniquè exponibilis est illa quæ modificatur hoc syncathegoremate, in quantùm; secundùm quòd, prout sic, &c. vt v.g. homo in quantùm rationalis, est risibilis: vocantur autèm reduplicatiuæ, quia quasi duplicant subiectũ, aut prædicatum. vt in hac: homo in quantùm homo est risibilis: exponitur hoc modo per causalẽ: quia homo est, risibilis est.

CAPVT XIV.

De materia, forma, quantitate, & qualitate propositionum simplicium.

NOta, quòd sicut in substantia corporea, v.g homine, quatuor reperiuntur, scil. materia, forma, quantitas, & qualitas: sic suo modo intellectus eadem in propositione distinguit. Omissa autem remota materia propositionũ, quæ sunt ipsi termini; de quibus suprà egimus.

Ma-

Materia proxima, & quasi partialis respectu prædicati, est subiectum, quia prædicatum de subiecto dicitur, & quasi in eo recipitur. Rursus subiectum, & prædicatum dicuntur quasi materia copulæ, quia secundum habitudinem, & conuenientiam prædicati ad subiectum, fit, vel non fit debito modo vnio ipsa inter subiectũ, & prædicatum: vnde hęc habitudo terminorum, ex qua tanquàm ex materia propositio coalescit, dicitur absolutè propositionum materia. Cognoscitur autem facilè quinam è duobus terminis sit subiectum, & qui prędicatum, vel ex ordine, quo ponuntur; communiter enim subiectum primo loco, secundo verò ponitur prędicatum: vel ex diuerso modo proferendi, & intentione dicentis. Cęterùm materia propositionum est triplex, (sicut triplex est habitudo, quam potest habere prędicatum respectu subiecti.) alia scilicet

licet naturalis, alia contingens, & alia remota. Naturalis est, quandò scilicèt prędicatum est de essentia, vel propria passio subiecti. vt Thomas est rationalis, Thomas est risibilis; Contingens, quando prædicatum est accidens commune respectu subiecti: tunc enim contingenter se habet ad illud, vtpotè quod non nascitur ex intrinseca natura eius. Vt Thomas est doctus. Remota est, in qua prędicatũ repugnat subiecto. Vt Thomas est lapis. Hęc autèm connexio subiecti cùm prędicato per copulam potest fieri tripliciter, primò, vt pręfata tria, nempè subiectum prędicatum, & copula explicitè ponantur, vt in hac, homo est animal. Secundò, vt copula non sit verbũ substãtiuum, sed aliquid aliud loco ipsius, vt Petrus diligit Deum. Tertiò, vt prędicatum non ponatur expressè, sed contineatur in ipso verbo quod copulat, vt in hac, Petrus studet.

Quan-

Quantitas enunciationis est quę explicat extensionē, vel restrictionem propositionis, id est, quòd sit, vel vniuersalis, vel particularis, vel indefinita, vel singularis, de quibus egimus supra.

Qualitas deniquè enunciationis est affirmatio, & negatio: & etiam veritas, & falsitas. dicitur autem qualitas, quia interroganti, qualis sit propositio; responderi solet, veram esse, vel falsam; affirmatiuam, vel negatiuam.

CAPVT XV.

De definitione, & diuisione oppositionis propositionum.

NOta hic non institui sermonē de oppositione rerum, qualis ea est, quę versatur inter calorem, & frigus: de qua agemus in post predicamentis nostrę Synopsis Logicę, neque pariter sermo est de oppositione terminorum, de qua egimus

mus supra, sed de oppositione ipsarum propositionum simpliciũ, quę scilicèt conuenit vni propositioni comparatiue ad aliam.

Oppositio in communi definitur. Affirmatio, & negatio eiusdem de eodem. In qua definitiòne non comprehenditur subalternatio, vt iam dicemus. Reliquæ autem oppositiones penes affirmationem, & negationem exercentur: vnde ad oppositionem, vt sic, triplex requiritur conditio.

Prima igitur est ex parte extremorum, quod sint propositiones constantes eisdem partibus, siue extremis, ita quòd nō ponatur aliquid in vna, & non in alia, quod possit variare subiectum, vel prędicatum propositionis: hoc enim est quòd intelligitur per illud, (eiusdē de eodem) quare hę non opponuntur: Thomas studet, Ioannes non studet; cùm varietur subiectum.

Secunda conditio est, vt copula

prin-

principalis in vna sit affirmata: in altera verò negata: nam ex illa attēditur affirmatio, vel negatio propositionis, & non ex copula implicata; vndè istæ non opponuntur. Thomas qui disputat loquitur. Thomas qui non disputat, loquitur; quia copula principalis in vtraque affirmat, licet copula implicationis in secunda neget: hæc autem benè opponentur. Thomas qui disputat, loquitur; Thomas qui disputat, non loquitur.

Tertia denique conditio est, vt in oppositione seruentur eædem proprietates terminorum, scilicet eadem suppositio, ampliatio, restrictio, appellatio. Item debet esse idem subiectum, & prædicatum in nomine, in re significata, integritate, tempore, loco: nam hæc omnia significantur per ly, eiusdem de eodem. Diuiditur oppositio in contradictoriam, contrariam, & subcōtrariam; quibus addi solet subal-

terna , verùm quo iure , mox dicemus .

Contradictoria oppositio,(si definiatur secundùm rationem formalem) est illa quæ repugnat in veritate,& falsitate: ita vt duæ cōtradictoriæ nunquàm possint esse simul veræ, aut falsæ ; sed si vna est vera,altera sit falsa. Ex parte autèm eius quod se habet quasi materialiter ; contradictoriæ propositiones sunt, vniuersalis, & particularis propositio , quarum vna affirmatur,altera negatur. Vel duæ propositiones de subiecto singulari , vna affirmata,altera negata. Exemplum primi , omnis homo currit , aliquis homo non currit. Exemplū secundi , Thomas studet , Thomas non studet.

Contraria oppositio,(si definiatur ex parte suæ rationis formalis) est,illa quæ repugnat in veritate, non tamèn in falsitate ; ita vt duæ contrariæ nunquàm possit esse simul

mul veræ, benè tamen ſimul falſæ. Ex parte autem rationis materialis: Contrariæ propoſitiones ſunt vniuerſalis affirmatiua, & vniuerſalis negatiua, eiuſdem de eodem. Vt nullus homo eſt doctus, omnis homo eſt doctus. Ambæ ſunt ſimul falſæ, nunquam tamen contrariæ poſſunt eſſe ſimul veræ.

Subcontraria oppoſitio (ex parte ſuæ rationis formalis) eſt illa, quę repugnat in falſitate; non tamen in veritate: ita vt poſſint eſſe ſimul veræ, nunquàm tamen ſimul falſæ. Ex parte verò rationis materialis, ſubcontrariæ propoſitiones ſunt particularis affirmatiua, & particularis negatiua eiuſdem de eodem. Vt aliquis homo docet, aliquis homo non docet.

Subalterna deniquè oppoſitio eſt, quæ verſatur inter propoſitiones, quarum vna eſt vniuerſalis, & alia particularis; ambæ verò affirmatiuæ, vel negatiuæ; quę non eſt pro-

priè oppositio, cùm non sit affirmatio, & negatio: potest tamen secũdùm quid appellati talis; quia est inter propositiones habentes diuersam quantitatem, sed qualitatem eandem. Dicitur verò subalterna: quia particularis continetur sub vniuersali: ob quod hæc vocatur subalternans; illa verò subalternata.

CAPVT. XVI.

De Aequipollentia propositionum.

NOta totam æquipollentiam pendere ex particula (non) alicui propositioni addita, vel detracta: Cùm enim negatio sit malignātis naturæ, tollit id quod post se inuenit, & immutat omnia quæ sequuntur: quarè si quam inuenit propositionem vniuersalem, particularem facit; si particularem verò, vniuersalem reddit: si reperit

affirmatiuam, reddit negatiuam, & ècontra.

Æquipollentia est propositionũ oppositarum penès variationem negationis æquiualentia, & einsdẽ sensus significatio. Nihil ergò aliud est, quàm duarum propositionum verbis differentium, eadem vis, & sensus, & fit ratione signorum, quod vt tyro facilius præstet, treş sequentes statuo regulas; quas veteri Summulistæ hoc explicauere versiculo.

Præ, Contradic: Post, Contra: Præ, postque, subalter.

Prima igitur regula est. Ad hoc, vt duæ contradictoriȩ æquipolleãt, præponenda est negatio subiecto alterius illarum. v. g. istæ sunt contradictoriæ. Omnis homo est animal. Aliquis homo non est animal. Si ergo primæ negationem præfigas, dicendo; non omnis homo est animal, erit æquipollens secundæ. Similitèr si negationem prȩponas

secundæ negatæ; æquiualebit primæ affirmatæ; & hoc innuunt illæ voculę. Piræ. Contra dic.

Secunda regula. Vt ęquipolleant contrarię, postponenda est negatio subiecto alterius earum. Vt patet in his. Omnis homo studet, nullus homo studet, quę fiunt ęquipollentes, si in vna post subiectum negatio apponatur, vt in negatiua v. g. nullus homo non studet, idem est, ac omnis homo studet, & hoc insinuant, illæ voces. Post, Contra.

Tertia tandem regula. Vt subalternę fiant æquipollentes, apponendæ sunt duæ negationes vni illarum, vna antê subiectum, & alia post, vt in his. Omnis homo est animal; Aliquis homo est animal, ęquipollebunt si dicas: non aliquis homo non est animal, quod idem est, ac dicere. Omnis homo est animal, & hoc est quod significatur per illam vltimam particulam versiculi. Prę, postq; subalter.

In

In subcontrarijs autèm, non datur æquipollentia, quia non sunt capaces: si enim negationem præponas, redditur vniuersalis propositio, & consequenter non æquipollens particulari, vt quidam homo est doctus, quidam homo non est doctus: si dicas; non quidam homo est doctus, idem est, quod nullus. Si postponas negationem subiecto in affirmatiua, fiet non æquipollens, sed formalitèr negatiua: vt quidam homo est doctus, si postponas negationem, fiet negatiua; quidam homo non est doctus, non autèm æquipollens negatiuæ. Si verò ipsi negatiuę postponatur nō, friuola erit repetitio. Vt v.g. quidā homo non nō est doctus.

CAPVT XVII.

De Conuersione Propositionum.

CONuersio est mutatio extremorum propositionis de subie-

biecto in prædicatum, & de prædicato in subiectum, seruata qualitate, & veritate. Id est quòd maneat copula affirmata, vel negata vtrobique, & vtraque sit vera. Vt si dicas, nullus homo est lapis, nullus lapis est homo. Conuersa autem propositio dicitur, quæ in aliã conuertitur: Conuertẽs verò, quæ eam in se conuertit.

Diuiditur autem Conuersio in Conuersionem simplicem, per accidens, & per contrapositionem. Conuersio simplex, seu mutua (quę appellatur conuersio in totum) est trasmutatio extremorum propositionis, manente eadem quantitate, & qualitate; qualiter conuertitur vniuersalis negatiua, & particularis affirmatiua: v. g nullus homo est leo, nullus leo est homo. Aliquis homo est animal, aliquod animal est homo.

Conuersio per accidens, non mutua, seu in partem, est transmutatio

tatio extremorum, mutata quantitate, non verò qualitate; qualiter conuertitur vniuersalis negatiua, & vniuersalis affimatiua, vt omnis homo est animal: aliquod animal est homo. Nullus homo est leo, aliquis leo non est homo.

Conuersio tandèm per contrapositionem est mutatio prędicati in subiectum, variatis teminis finitis in infinitos, qualiter conuertuntur vniuersalis affirmatiua, & particularis negatiua. Vt v. g. omnis homo est animal, ergò omne non animal, est non homo. Quidam homo non est doctus, ergò non doctum est non homo: hæc tamen propriè non est conuersio; quia non manent ijdem termini, sed potiùs auferuntur infinitatione.

Cæterùm, vt præfata faciliùs memoriæ commendentur, hæ quatuor designantur vocales, A.E.I.O. ad significandas has quatuor propositiones. A. igitur significat vni-

uerſalem affirmatiuam. E. vniuerſalem negatiuam; I. particularem affirmatiuam. O. particularem negatiuam: Vnde fit verſus, quo à dialecticis ſignificantur omnes præfati conuerſionum modi.

Simpliciter FECI. conuertitur EVA per acci. ASTO per contra. ſic fit conuerſio tota.

Vocula (FECI) deſignat, quòd vniuerſalis negatiua, & particularis affirmatiua, ſimplicitèr cōuertuntur. EVA ſignificat quod vniuerſalis negatiua poteſt conuerti etiam per accidens; vniuerſalis antèm affirmatiua ſemper per accidens. Aſto deniquè, quod vniuerſalis affirmatiua, & particularis negatiua per contrapoſitionē conuerti poſſunt. Vndè pro literis ſuppetit verſicuus.

Aſſerit A, negat E, vniuerſaliter ambæ.

Aſſerit I, *negat* O, *vniuerſalirèt ambæ.*

CA-

CAPVT. XVIII.

De definitione, & diuisione propositionis modalis.

MOdus à quo deriuatur denominatio propositionis modalis est dictio modificans vnionē prędicati cùm subiecto. Modus autèm qui potest afficere propositionem multiplex est; sed non omnis propositionem cōstituit modalem, de qua hic agimus. Aliqui enim sunt modi, qui solùm modificant prædicatum, aut subiectum, vt si dicas Thomas disputat doctè, lentè loquitur; vbi doctrinæ, & lentitatis modi solùm afficiunt prædicatum: hi autèm modi non extrahunt propositionem à ratione propositionis de inesse, ita vt alias oppositionis, aut ęquipollentiæ exigant regulas; Vnde de illis hic non instituitur sermo.

Modi alij sunt afficientes ipsam

copulam, & conuenientiam prędicati ad subiectum modificantes, qui modificando superaddunt aliquid pertinens ad vniuersalitatem, aut particularitatem, vel ad affirmationem, & negationem, & isti modi faciunt propositiones modales, de quibus hic agimus. Hic autem modus est quadruplex, scilicet possibile, impossibile, necesse, cõtingẽs.

Ex præfatis quatuor modis, possibile, & contingens, quantum ad presens attinet, idem omnino significant, nempe id quod esse non repugnat; atque ita in re tantùm manent tres modi, triplici propositionum materiæ superiùs explicatę, correspondentes: materiæ etenim naturali, respondet necessarium: remotæ, impossibile; Contingenti verò, possibile, vel contingẽs

Propositio modalis est, quæ aliquo ex his modis afficitur, seu quæ non solùm exprimit prædicatum conuenire subiecto; sed etiám modum,

dum,quo illi conuenit.vt v.g.Thomam esse hominem est necesse, Thomam studere, est contingens.

Modus tamèn hic duplicitèr sumi potest. Primo nominalitèr, vt possibile, necesse &c. Secundo aduerbialitèr, vt possibilitèr, necessariò; Priori modo sunt prædicata in propositionibus modalibus, vt in hac.Thomam disputare est contingens; ibi enim, de illo infinitiuo, (Thomam disputare,) prædicatur esse contingens. Vndè quamuis secundùm voces interdùm modus propositioni anteponatur, dicendo; Contingens est Thomam disputare, iuxtà sensum tamèn, sempèr modus est prædicatum. In huiusmodi ergo propositionibus, modus ipse est prædicatum: & oratio illa infinitiui,est subiectum, & appellatur dictum. Quandò autem modus sumitur aduerbiailtèr, non est prædicatū; sed modificat vnionem prædicati

vt

vt patet in hac, Thomas necessariò est homo.

Modi aduerbiales expressiùs, & formalius modalem constituunt, quam nominales: quia quandò modus est nomen, non significatur expressè vnio principalis copulæ, vt patet in hac: Thomam ridere est possibile; in qua modus possibile, modificat copulam verbi infiniti, quod se tenet ex parte subiecti, scil. Thomam ridere, quod est dictum, seu enunciatum, & nō enunciatio; ex quo sequitur, quòd in illa propositione, non exercetur expresse ratio propositionis modalis, sicut quandò modus aduerbialis est.

Diuiditur propositio modalis, in modalem diuisam, & compositam. Diuisa est, in qua modus aduerbialitèr sumptus fertur in copulam, vt Thomas possibiliter studet. Composita vero, in qua modus se habet vt prædicatum, & di-

ctum

ctum vt subiectum; vt in hac: Thonam studere est possibile.

CAPVT XIX.

De qualitate, & quantitate propositionum modalium.

MOdi propositionum modalium (de quibus egimus in capite præcedenti) habent suam quantitatem: nam necesse, est modus vniuersalis affirmatiuus. Impossibile, vniuersalis negatiuus. Possibile, particularis affirmatiuus. Possibile non, particularis negatiuus: quorum modorum quantitas his explicatur versibus.

Omne necesse valet: valet Impossibile, nullum: Possibile, quidam: quidam non, possibile non.

Necessarium enim & impossibile dicunt vniuersalitatem, eò quod id, quod conuenit necessariò, semper & omnibus conuenit; vt homini esse rationale: quod verò impossi-

possibilitèr nulli, & nunquam, vt hominem esse leonem. Possibile autem & contingens dicunt particularitatem quia ad saluandum quòd aliquid sit possibile, vel contingens, sufficit quod pro aliquo tempore, & subiecto sit possibile, seu contingens, vt hominem esse doctum.

Vniuersalitas, & particularitas, in modalibus petenda est à modo: quarè, absolutè loquendo, ista est particularis; Omnem hominem currere, est possibile. Solet autem distingui modalis, in modalem vniuersalem, seu particularem de dicto singulari: & in particularem, seu vniuersalem, de dicto communi, seu vniuersali. vt v. g. Thomã studere est necesse, est particularis de dicto, quod est Thomam studere, reliquum autèm in propositione modali; præter ipsum modũ, dictum appellatur; & simùl est vniuersalis de modo, qui est necesse.

Item

Item omnem hominem ridere est possibile. Est vniuersalis de dicto, vt de se patet: & particularis de modo. Aliæ combinationes facile efformari poterunt, immutatione dicti, vel modi, vel vtriusque.

Qualitas propositionis modalis scil. affirmatio, & negatio, desumi debet ab affirmatione, & negatione modorum. Vnde hæc affirmat. Thomam non esse Ioannem, est necesse. Hæc verò negat. Thomã esse Ioannem, non est possibile.

Propositiones autem modales de modo aduerbialitèr dicto, sunt affirmatiuæ, vel negatiuæ, vt est earum copula. Cum enim sint cathegoricæ, & de inesse; & modus aduerbialis sit prædicati pars: talis erit propositio, qualis eius copula, v. g. Thomas possibilitèr studet, est affirmatiua: &, Thomas possibiliter non studet, negatiua.

Ca-

CAPVT. XX.

De oppositione, Æquipollentia, & conuersione propositionum modalium.

OPpositio seruatur in modis propositionum modalium, sicut in signis simplicium supra explicatis, cum in hoc per omnia assimilentur, & par vtrobique militet ratio: quaproptèr sicùt omnis, & nullus, contrariè opponũtur; ita consimilitèr, necesse, & impossibile. Deinde sicùt Aliquis, & aliquis nõ, opponuntur subcontrariè: ita pariter possibile, vel contingens; & possibile non, vel contingens non. Prætereà sicut, omnis, & Aliquis non: & similitèr, nullus, & aliquis; opponuntur contradictoriè: ita necesse, & possibile non, seu contingens: & pariter, impossibile, & possibile seu contingens. Deniq; sicùt omnis,

& ali-

& aliquis ; nullus , & aliquis non ; ſubalternantur ; ita pariliter , neceſſe, & poſſibile , ſeu contingens ; ac impoſſibile, & poſſibile non .

Æquipollentia modorum fit per negationem præpoſitam, aut poſtpoſitam &c. Vndè pro ea valet , verſiculus .

Præcontradic : poſt contra : Præ poſtque, ſubalter .

Nàm eo ipſo modo quo ſimplices oppoſitæ propoſitiones æquipollēt, iuxtà præcepta ſuperiùs tradita, ſic in præſenti contingit : Vndè neceſſe, & poſſibile non, qui sūt modi contradictorij , æquipollent ; ſi vtrilibet negatio præfigatur : vt ſi dicas : non neceſſe , æquiualebit poſſibili non : vel , non poſſibile non ; idem erit ac neceſſe : & ex conſequenti iſtæ modales ſiūnt æquipollentes . Non neceſſe eſt Thomam ſtudere ; poſſibile eſt Thomā non ſtudere : vel non poſſibile eſt Tho-

Thomam non ſtudere,& neceſſe eſt Thomam ſtudere. Qua etiàm proportione ſeruata ex contrarijs modis æquipollentes fiunt, cuiuis eorum negatione poſtpoſita: ex ſubalternis verò, præpoſita, & poſtpoſita.

Nota tamèn in propoſitionibus modalibus, tunc negationem anteponi, quando negatur modus: tùnc verò poſtponi, quando negatur dictum, tunc deniq; anteponi, & poſtponi, quando negatur vtrũque; quod præſtatur; poſitione negationis, tàm à parte modi, quàm dicti.

Cæterùm vt hæc omnia ſuauius memoriæ commendentur, inuentarunt dialectici quatuor dictiunculas, coaleſcentes ex quatuor illis vocalibus, A.E.I.V. In quorũ ſingulis diſtinctè appareret æquipollentia, & oppoſitio, iuxtà omnes combinationes poſſibiles; ſiuè negando modum, ſiuè dictum, ſiuè

ſimùl

simùl vtrumq;: voculę autem sunt hę. *Purpurea, Iliace, Amabimus, Edentuli*. In quibus reperiuntur recensitæ vocales, quarum. A. denotat propositionem modalem affirmatiuam, de dicto, & de modo: vt Thomam studere, est possibile. V, negatiuam, de dicto, & modo, vt Thomam non studere, non est possibile E, negatiuam de dicto, & affirmatiuam de modo. Vt Thomam non studere, est possibile. I: affirmatiuam de dicto, & negatiuam de modo. Vt Thomam studere non est possibile. Qui sensus est huius metri.

E dictum negat: Iquè modum: Nihil A; sed. V totum.

Quælibet ergò ex prefatis voculis quatuor continet vocales, iuxtà modorum numerum. Atque ita prima vocalis in quauis dictione indicat propositionem de possibili: Secunda, de contingenti; Tertia de impossibili; & Quarta, de necesse

necesse. Quibus vocibus in quatuor angulis dispositis; ita vt Purpurea, & Iliace, sint in duobus superioribus; Amabimus, & Edentuli in inferioribus: constituitur figura oppositionis: nàm omnes propositiones, quę fiunt in Purpurea, & Iliace, contrariantur: quę in Amabimus,& Edentuli subcontrariantur: quę in Purpurea, & Edētuli; & similiter,quæ in Iliacę,& Amabimus, contradicunt. Et tandem quę fiunt in Purpurea, & Amabimus; & quæ in Iliace &Edentuli, opponuntur subalternè. Omnes verò propositiones cuiuslibet voculę, inter se ęquipollent.

Conuersio propositionum modalium generalitèr loquendò fit ratione dicti; non verò ratione modi: Vndè regularitèr fit conuersio inuariato modo, iuxtà regulas conuersionis propositionum de inesse, quas suprà tradidimus; vt si dicatur. Omnis homo necessariò est

est animal : ergò aliquod animal necessario est homo. Aliquem hominem esse doctum, est possibile : ergò aliquod doctum esse hominē, est possibile.

CAPVT. XXI.

De Speciebus Argumentationis.

DIximus suprà. Argumentationē esse Orationem in qua vno dato, aliud sequitur; cuius species explicandas hùc remisimus, tanquàm in commodiorem locum.

Argumentationis igitur species. Sunt quatuor : scil. Syllogismus, enthymema, Inductio, & Exemplū.

Syllogismus est oratio in qua quibusdam positis, aliud quiddam, diuersum ab his, necesse est euenie, eò, quòd hæc posita sunt : sed de hoc agemus intrà.

Ethymema quod etiàm dicitur syllogismus decurtatus, siue truncatus

catus, est Argumentatio constans duabus propositionibus, nempè antecedenti, & consequenti v. g. Omnis homo est animal. Ergo Thomas est animal. Deest enim vna propositio, putà, Thomas est homo; quę cùm alijs dictis, perfectum constituet syllogismum in Darij; ob cuius propositionis defectum, phylosophus Vocat enthymema, syllogismum imperfectum.

Inductio est à singularibus sufficientèr enumeratis ad vniuersale progressio .v.g. hic ignis calefacit, & iste, & ille &c. Ergò omnis ignis calefacit. Et quia oppositorum eadem est ratio, sub hac definitione inductionis, quæ est per ascensum, intelligitur eius oppositum, quod est descensus. Id est; Ab vniuersali ad singularia progressio. v.g Omnis ignis calefacit; ergò hic ignis, & ille calefacit. Siuè autem ascendimus, siuè descendimus, æque

æquè ſaluatur huius argumētatio-nis ratio. Cùm tamèn aſcendimus, dicitur aſcenſus, ſeu Inductio; cùm verò deſcendimus, vocatur deſcenſus, ſeu reductio; licet iàm communi nomine, vtraq; nominetur Inductio.

Exemplum denique eſt Argumentatio, in qua ex aliquo ſingulari, aliud ſingulare ſimile colligimus. vt. v. g. Thomæ Aquinati fuit glorioſum pro religione pati. Ergò fratri Thomæ Houardo id idem glorioſum erit.

Cæterùm omnes Argumentationis ſpecies ad duas reduci poſſunt, ſcilicet ad ſyllogiſmum, & inductionem: nàm enthymema (vt iam diximus) eſt quidam ſyllogiſmus imperfectus; & exemplum eſt quædā pars inductionis.

Diuiditur autèm in has duas ſpecies Argumentatio, in quantùm manifeſtatiua eſt veritatis. Duæ autem ſolùm ſunt viæ verita-

tem manifestandi, nempè vel discurrendo ex principijs per intellectum notis; vel ad sensibilia, & singularià deducendo, à quibus originatur tota nostra notitia. Si Primo modo fiat, est per syllogismũ, vel enthymema. Si secundo modo, est inductio, vt per se patet; ad quam reducitur exemplum. Ad syllogismum autèm facilè reducetur Argumentatio bicornis, seu cornuta, quæ dilemma nuncupatur; vt de se patet.

CAPVT. XXII.

De definitione, & diuisione Consequentiæ.

CONsequentia est Oratio in qua vna propositio ex altera, virtute coniunctionis illatiuæ, denotatur consequi, vt Thomas est homo, ergo est viuens.

Diuiditur 1. Consequentia in bonam, & malam. Bona est in qua ante-

antecedens infert consequens, taliter quod non potest antecedens esse verum, & consequens falsum. vt v.g. Thomas disputat. Ergo loquitur. Mala consequentia est, in qua antecedens non infert consequens, licet videatur, seu significetur inferri, ratione cuius significationis denominatur cõsequẽtia sed mala, quia non infert, sed datur antecedens verum, & consequens falsum. vt v.g. Thomas studet. Ergo Ioannes docet. Vnde mala consequentia verè & propriè non debet dici consequentia, sed tantum æquiuocè, quia solam habet figuram consequentiæ, non verò rem, cùm nulla sit illatio. Cõsequentia autem nunquàm distingui debet, sed solùm consequens, quia consequentia, cùm sit sola vis connexiua propositionum, in indiuisibili consistit, & absolutè bona, vel mala erit, quæ si bona, simplicitèr est consequentia, si ma-

[illegible] omnis di
[illegible] Consequē
[illegible] propositio, & va-
[illegible] distin-
[illegible]

[illegible] Consequentia in
[illegible] Materialis. Mate-
[illegible] tenore alicu-
[illegible] Formalis ve.
[illegible] materia, &
[illegible] bona est.
[illegible] formalis, quæ
[illegible] semper est bona.
[illegible] aliquis homo est
[illegible] omnis homo est ani-
[illegible] consequentia valet in illa
[illegible] in materia ne-
[illegible] particulari,
[illegible] universalis. Sed non
[illegible] quia in alia
[illegible] non te-
[illegible] Aliquis homo
[illegible] ergo omnis homo est
[illegible]

[illegible] Consequentia (sed
sola

ola formalis) in necessariam , & robabilem. v. g. Thomas est ho-no, ergò corpus, est consequentia ecessaria. Item Thomas diligen-er studet: ergò magnum fructum ercipiet. Consequentia est pro-abilis.

CAPVT. XXIII.

De Definitione Syllogismi.

SYllogismus vt sic; hoc modo rectè definitur; Oratio in qua quibusdam positis, necesse est, aliud euenire, eò quòd hæc posita sunt. Explicantur definitionis particulæ.

Dicitur Oratio in singulari numero, 1. Ratione vnius medij, quo extrema in præmissis vniuntur, quod habet rationem causæ efficientis respectu conclusionis. 2. ratione vnitatis formæ, scil. dispositionis terminorum. 3. ratione vnius finis; quia ambæ præmissæ

ordinantur ad vnicam conclúsionem inferendam. Dicitur (Quibusdam positis) id est, quod præmissę, in quibus medium applicatur extremis,) sint bene dispositæ in figura, & modo, quod est esse dispositas in bona forma. Dicitur (necesse est, aliud euenire) vbi ly (Aliud) idem est quod conclusio, quæ eadem est cum præmissis, si spectetur materia, id est, si spectentur termini illius propositionis: si verò spectetur forma, diuersa est à præmissis, nàm termini ex quibus conclusio coalescit, iunguntur in præmissis cum medio, in conclusione verò se ipsis: In qua coniũctione, & dispositione syllogismi consistit essentia: Ita tamen vt cõclusio in prẹmissis, implicitè, & confusè tantùm, non distinctè præcontineatur. Dicitur tandèm (necesse est eò quod hæc posita sunt) vt ostendatur necessitatem inferendi conclusionem oriri totam à præmissis;

missis; scilicet ex eo quòd præmissę sint verè, & ritè dispositæ; ita vt post concessas pręmissas, & argumentum sit in forma, debeat necessè concędi consequentia.

Necessitas autèm est duplex; altera consequentię, altera consequentis. Prima est necessitas illationis, quę prouenit necessariò ex necessaria habitudine antecedentis ad consequens, per hoc, quod consequens in antecedenti includatur: & ideò posito antecedente, necesse est ponere consequens, siuè antecedens sit vnum, id est incōplexum, & vna propositio: siuè sit complexum, id est, sint duæ pręmissę. Necessitas autèm consequētis, est necessitas propositionis prouenіens ex necessaria habitudine suorum extremorum; vt v.g. homo est risibilis, homo est animal. Et sensus est, quod necessitas consequentis est necessaria cōnexio illorum terminorum, qui-

bus constat propositio, quę est cõsequens. In definitione autem præfata syllogismi, non intelligitur de necessitate consequentis sic, quòd conclusio sit necessaria; sed solùm de necessitate consequentiæ, sic quòd conclusio necessariò sequatur, ex vi scilicet dispositionis terminorum, & pręmissarum Quorum omnium exemplum est in hoc syllogismo. Omne corpus est substantia, omnis homo est corpus. Ergò omnis homo est substantia: vbi tres sunt propositiones: duę, quæ sunt pręmissę inferentes tertiam, quę est conclusio illata; in qua vniuntur illa duo extrema, homo, & substantia: In pręmissis verò medium, ratione cuius vniuntur illa extrema applicatur extremis; mediùm autèm est ly(corpus)quod quia conuenit homini & substãtiæ, facit quòd, homo & substantia inter se conueniant:

CA-

CAPVT. XXIV.

De Materia Syllogiſmi.

MAteria ex qua coaleſcit ſyllogiſmus, vt quoddam rationis artificioſum compoſitum duplex eſt. Scilicet remota, & proxima. Remota ſunt termini ſeu extrema, immediatè componentes propoſitionem, mediatè verò ſyllogiſmum: & in quos terminos ſyllogiſmus vltimatè reſoluitur. Vnde terminus in hac parte ſyllogiſtica ritè definitur à philoſopho: quòd eſt, Id in quod reſoluitur propoſitio, tanquàm in ſubiectum, & prędicatum: terminus enim vt deſeruit parti iudicatiuæ, ſeu reſolutorię, debet definiri per reſolutionem, non per compoſitionem. Et ſic dicitur, tanquàm in ſubiectum, & prędicatum: quia verbũ non eſt terminus, reſpectu ſyllogiſmi; ſed terminorum vnio, & li-

gamen: terminus enim solùm dicitur id, quod se habet vt extremum inferens, vel illatum: vnde per vnionem verbi componitur non solùm quod enunciationis est ad veritatem; sed etiam id quod connexionis, ad illationem: quare vnio, seu copula, non est id, in quod resoluitur, sed quod dissoluitur, syllogismo resoluto: & sola resolutio fit in partes componentes, non in nexum partium; vt patet in resolutionibus quibusuis tàm compositi naturalis, quàm artificialis;

Exèmplum esto horum in hoc syllogismo. Omnis homo est rationalis, Thomas est homo, ergo rationalis: qui syllogismus immediatè in suas componentes resoluitur propositiones; vt per se patet; sicut etiam propositiones ipsæ vltimatè, & solùm, in suos terminos, scil. homo, rationalis, & Thomas; qua facta resolutione, necessa-

cessariò sistitur; eo proportionali modo, quo oratio in voces resoluitur; voces in syllabas, & hę vltimatè in literas, ob sui simplicitatem, vlteriùs irresolubiles.

Materia autem proxima syllogismi sũt propositiones ex quibus cõstruitur: hæ autem propositiones necessariò sunt tres, putà duę pręmissę inferentes, & conclusio illata: prima pręmissarum vocatur maior propositio, secunda minor; & tertia conclusio, seu consequẽtia: Termini autem ex quorum combinatione pręfatę formantur propositiones, non possunt esse nisi tres; sed vnusquisque terminus bis repeti debet, & suum habet speciale nomen; duo igitur ex terminis sunt extremitates, in conclusione vniendę: alter verò medium, quod in præmissis vnitur extremis, sed conclusionem non ingreditur: infert enim eam. Vna autem extremitas vocatur maior, siue

ſiue maius extremũ; nempe termi. nus repertus in maiori, & conclu. ſione; ſic dicta, quia in ſyllogiſmo, meliorem occupat ſedem intèr ter. minos. Alter terminus dicitur mi. nor extremitas, ea ſcilicet quę ſu: mitur in minori, & in concluſione ponitur; ſic nominata, quia infe. riorem vindicat locum, compara. tiuè ad extremitatem maiorem. Medius deniq; terminus eſt, qui bis in præmiſſis ponitur, & in con. cliſione non locatur.

Exemplum eſto in hoc ſyllogiſ. mo. Omnis homo eſt animal, Tho. mas eſt homo. Ergo Thomas eſt animal; vbi ipſæ propoſitiones ſunt materia proxima: & termini, ho- mo, animal, Thomas, materia remota: quorum (homo) medi. um eſt, bis in præmiſſis replicatũ. Animal maior extremitas, medio in maiori ſociata. Et tandem Tho- mas, extremitas minor: quia nem- pè in minori, cum medio putà homi-

homine iungitur, vt clarè vides.

CAPVT XXV.

De diuisione syllogismi, ex parte materiæ.

DIuiditur primo syllogismus ratione materiæ proximæ, in Affirmatiuum, & negatiuum. Ille est, cuius conclusio affirmat; hic, cuius conclusio negat.

Diuiditur 2. in cathegoricum, & hypotheticum. Cathegoricus est, cuius omnes propositiones sūt cathegoricæ. Hypotheticus verò, cuius saltèm aliqua propositio est hypothetica.

Diuiditur 3. ratione etiam eiusdem materiæ proximæ in demonstratiuum, probabilem, erroneum, & sophisticum. Demonstratiuus seu scientificus est, qui generat scientiam, & costat materia necessaria; sub qua comprehendimus etiam materiam remotam, cum pro-

propositio est negatiua; tàm enim necessarium est hominem non esse lapidem; sicùt hominem esse animal. Syllogismus topicus, siue probabilis, qui etiàm dialecticus dicitur, constat materia contingenti, & generat opinionem: vt si arguatur ex pręmissis probabilibus, vel ex authoritate, vel quocunque alio non necessario principio, v. g. concludendo ens rationis esse obiectum logicæ. Distinguitur autem topicus a demonstratiuo, per hoc, quod ille præmissas habeat, quæ negari nequeunt: topicus verò habeat premissas solùm probabiles; quæ tamèn sint, sapientum assensu receptæ, vt omnis mater diligit filium. Erroneus Syllogismus est, qui constat materia remota, & errorem generat. Sophisticus, qui & fallax, vitiosus, & elenchus, is est, qui veras syllogismi non seruat regulas, sed apparentes, & fallaces, & deceptio-
nem

nem generat. De quo latius infra.

Diuiditur 4. Syllogismus ratione terminorum in rectum, & obliquum. Rectus est, cuius omnes termini sunt recti. Obliquus verò. cuius aliquis terminux obliquat.

Diuiditur 5. etiam ratione eiusdem materiæ remotæ, in communem, & singularem, seu expositorium. Communis est, cuius mediũ est terminus communis. Syllogismus tandèm expositorius est, cuius medium est terminus singularis, vt v.g. Christus est homo, Christus est Deus, ergo Deus est homo. Dicitur autem expositorius, quia est quædam sensibilis resolutio quę quasi rem sensibus exponit.

CAPVT. XXVI.

De triplici figura Syllogismorum.

Forma sillogismi potest esse duplex, correspondens eius duplici

plici materiæ, ſcilicet remotæ, & proximæ; & cum forma ſyllogiſmi ſit ordinatio, ſeu diſpoſitio materiæ eius, illa, diſpoſitio qua ordinatur materia remota, ſeu termini, dicitur figura; Illa autèm qua ordinatur materia proxima, nempè propoſitiones, dicitur modus, de quo agemus infrà.

Figura ergò in ſyllogiſmo eſt diſpoſitio terminorum ſecundùm ſubiectionem, & predicationem; & quia hæc diſpoſitio, ſeu recta combinatio medij cum extremis, in qua conſiſtit ratio figuræ, poteſt eſſe triplex; etiàm triplex datur figura: nàm vel medium in maiori ſubijcitur, & in minori prædicatur; & ſic conſtituitur prima figura. Vel in vtraque præmiſſa prædicatur; & ſic eſt ſecunda: vel denique in vtraque ſubijcitur; & ſic eſt tertia. Quod hoc explicatur verſiculo.

Sub, præ, prima: bis præ ſecunda:

da: tertia bis sub. Vbi pro intelligentia aduerte per ly, sub. Intelligi subiectum, & per ly præ, prædicatum; & sensus est, quòd medius terminus sit modò subiectum, modò prædicatum in præmissis.

Galenus quartam excogitauit syllogisticam figuram, In qua scilicet, medius terminus prædicetur in maiori, & subijciatur in minori, quæ combinatio extremorum distincta est à præcedentibus, vt per se patet; Hæc tamèn figura, tanquàm necessaria vel vtilis, aut præfatis tribus connumeranda, nullatenùs admitti debet. Cuius ratio est, quia in quacunque figura, quãdo syllogismi directè concludunt, maior extremitas debet in conclusione prædicari de minori; non alia ratione, nisi quia extremum superius, continendo medium, continet consequenter aliud extremũ inferius, nempè minus: ac proinde necesse est. Maiorem extremitatem

tatem in præmissis talem habere positionem, seu situm, vt possit continere minorem; quem tamen non haberet, si maior extremitas esset subiectum; & minor prædicatum; cùm subiectum non contineat, sed potiùs contineatur à prędicato: Quaproptèr talis dispositio, seu combinatio ex qua resultat figura Galeni, inepta est, & incongrua syllogistica forma; sed reduci debet premissarum transpositione, ad directos modos primæ figuræ. Syllogisticæ enim figuræ non multiplicantur, nisi per diuersam directam combinationem, & dispositionem terminorum, ac naturalem concludendi modum, qualis non reperitur in figura prefata Galeni, vt de se constat; vndè admittenda non erit.

CA-

CAPVT. XXVII.

De regulis communibus trium figurarum.

Regulę aliquę seu leges assignãtur à dialecticis ad cognoscẽdam bonitatem consequentiæ in quacunque figura; tùm etiam speciales pro vnaquaque, de quibus agemus infrà, de prioribus solùm hic acturi.

Prima Regula est. Ex puris particularibus, vel indefinitis, in materia contingenti, nil sequitur: vndè oportet alteram præmissarum esse vniuersalem, vt debita seruetur quantitas. Dixi autèm in materia contingenti, quia propositio indefinita in materia necessaria, æquiualet vniuersali, vndè idem est dicere, homo est animal, & omnis homo est animal. Sic ergò in his syllogismis nil concluditur. Aliqua substantia est Angelus:

gamen: terminus enim ſolùm dicitur id, quod ſe habet vt extremum inferens, vel illatum: vnde per vnionem verbi componitur non ſolùm quod enunciationis eſt ad veritatem; ſed etiam id quod connexionis, ad illationem: quare vnio, ſeu copula, non eſt id, in quod reſoluitur, ſed quod diſſoluitur, ſyllogiſmo reſoluto: & ſola reſolutio fit in partes componentes, non in nexum partium; vt patet in reſolutionibus quibuſuis tàm compoſiti naturalis, quàm artificialis;

Exèmplum eſto horum in hoc ſyllogiſmo. Omnis homo eſt rationalis, Thomas eſt homo, ergo rationalis: qui ſyllogiſmus immediatè in ſuas componentes reſoluitur propoſitiones; vt per ſe patet; ſicut etiam propoſitiones ipſæ vltimatè, & ſolùm, in ſuos terminos, ſcil. homo, rationalis, & Thomas; qua facta reſolutione, neceſſa-

cessariò sistitur; eo proportionali modo, quo oratio in voces resoluitur; voces in syllabas, & hę vltimatè in literas, ob sui simplicitatem, vlteriùs irresolubiles.

Materia autem proxima syllogismi sũt propositiones ex quibus cõstruitur: hæ autem propositiones necessariò sunt tres, putà duę pręmissę inferentes, & conclusio illata: prima pręmissarum vocatur maior propositio, secunda minor; & tertia conclusio, seu consequẽtia: Termini autem ex quorum combinatione pręfatę formantur propositiones, non possunt esse nisi tres; sed vnusquisque terminus bis repeti debet, & suum habet speciale nomen; duo igitur ex terminis sunt extremitates, in conclusione vniendę: alter verò medium, quod in præmissis vnitur extremis, sed conclusionem non ingreditur: infert enim eam. Vna autem extremitas vocatur maior, siue

siue maius extremũ; nempe terminus repertus in maiori, & conclusione; sic dicta, quia in syllogismo, meliorem occupat sedem intèr terminos. Alter terminus dicitur minor extremitas, ea scilicet quę sumitur in minori, & in conclusione ponitur; sic nominata, quia inferiorem vindicat locum, comparatiuè ad extremitatem maiorem. Medius deniq; terminus est, qui bis in præmissis ponitur, & in conclisione non locatur.

Exemplum esto in hoc syllogismo. Omnis homo est animal, Thomas est homo. Ergo Thomas est animal; vbi ipsæ propositiones sunt materia proxima: & termini, homo, animal, Thomas, materia remota: quorum (homo) medium est, bis in præmissis replicatũ. Animal maior extremitas, medio in maiori sociata. Et tandem Thomas, extremitas minor: quia nempè in minori, cum medio putà homi-

homine iungitur, vt clarè vides.

CAPVT XXV.

De diuisione syllogismi, ex parte materiæ.

Diuiditur primo syllogismus ratione materiæ proximæ, in Affirmatiuum, & negatiuum. Ille est, cuius conclusio affirmat; hic, cuius conclusio negat.

Diuiditur 2. in cathegoricum, & hypotheticum. Cathegoricus est, cuius omnes propositiones sũt cathegoricæ. Hypotheticus verò, cuius saltèm aliqua propositio est hypothetica.

Diuiditur 3. ratione etiam eiusdem materiæ proximæ in demonstratiuum, probabilem, erroneum, & sophisticum. Demonstratiuus seu scientificus est, qui generat scientiam, & costat materia necessaria; sub qua comprehendimus etiam materiam remotam, cum pro-

propositio est negatiua; tàm enim necessarium est hominem non esse lapidem; sicùt hominem esse animal. Syllogismus topicus, siue probabilis, qui etiàm dialecticus dicitur, constat materia contingentì, & generat opinionem: vt si arguatur ex pręmissis probabilibus, vel ex authoritate, vel quocunque alio non necessario principio, v. g. concludendo ens rationis esse obiectum logicæ. Distinguitur autem topicus a demonstratiuo, per hoc, quod ille præmissas habeat, quæ negari nequeunt: topicus verò habeat premissas solùm probabiles; quæ tamèn sint, sapientum assensu receptæ, vt omnis mater diligit filium. Erroneus Syllogismus est, qui constat materia remota, & errorem generat. Sophisticus, qui & fallax, vitiosus, & elenchus, is est, qui veras syllogismi non seruat regulas, sed apparentes, & fallaces, & deceptio-
nem

nem generat. De quo latius infra.

Diuiditur 4. Syllogiſmus ratione terminorum in rectum, & obliquum. Rectus eſt, cuius omnes termini ſunt recti. Obliquus verò, cuius aliquis terminus obliquat.

Diuiditur 5. etiam ratione eiuſdem materiæ remotæ, in communem, & ſingularem, ſeu expoſitorium. Communis eſt, cuius mediũ eſt terminus communis. Syllogiſmus tandèm expoſitorius eſt, cuius medium eſt terminus ſingularis, vt v.g. Chriſtus eſt homo, Chriſtus eſt Deus, ergo Deus eſt homo. Dicitur autem expoſitorius; quia eſt quædam ſenſibilis reſolutio quę quaſi rem ſenſibus exponit.

CAPVT. XXVI.

De triplici figura Syllogiſmorum.

FOrma ſillogiſmi poteſt eſſe duplex, correſpondens eius duplici

plici materiæ, scilicet remotæ, & proximæ; & cum forma syllogismi sit ordinatio, seu dispositio materiæ eius, illa, dispositio qua ordinatur materia remota, seu termini, dicitur figura; Illa autèm qua ordinatur materia proxima, nempè propositiones, dicitur modus, de quo agemus infrà.

Figura ergò in syllogismo est dispositio terminorum secundùm subiectionem, & predicationem; & quia hæc dispositio, seu recta combinatio medij cum extremis, in qua consistit ratio figuræ, potest esse triplex; etiàm triplex datur figura: nàm vel medium in maiori subijcitur, & in minori prædicatur; & sic constituitur prima figura. Vel in vtraque præmissa prædicatur; & sic est secunda: vel denique in vtraque subijcitur; & sic est tertia. Quod hoc explicatur versiculo.

Sub, præ, prima: bis præ secunda:

da : tertia bis sub. Vbi pro intelligentia aduerte per ly, sub. Intelligi subiectum, & per ly præ, prædicatum; & sensus est, quòd medius terminus sit modò subiectum, modò prædicatum in præmissis.

Galenus quartam excogitauit syllogisticam figuram, In qua scilicet, medius terminus prædicetur in maiori, & subijciatur in minori, quæ combinatio extremorum distincta est à prçcedentibus, vt per se patet; Hæc tamèn figura, tanquàm necessaria vel vtilis, aut prçfatis tribus connumeranda, nullatenùs admitti debet. Cuius ratio est, quia in quacunque figura, quãdo syllogismi directè concludunt, maior extremitas debet in conclusione prædicari de minori; non alia ratione, nisi quia extremum superius, continendo medium, continet consequenter aliud extremũ inferius, nempè minus: ac proinde necesse est. Maiorem extremitatem

CAPVT. XXVII.

De regulis communibus trium figurarum.

Regulę aliquę seu leges assignãtur à dialecticis ad cognoscẽdam bonitatem consequentiæ in quacunque figura; tùm etiam speciales pro vnaquaque, de quibus agemus infrà, de prioribus solùm hic acturi.

Prima Regula est. Ex puris particularibus, vel indefinitis, in materia contingenti, nil sequitur: vndè oportet alteram præmissarum esse vniuersalem, vt debita seruetur quantitas. Dixi autèm in materia contingenti, quia propositio indefinita in materia necessaria, æquiualet vniuersali, vndè idem est dicere, homo est animal, & omnis homo est animal. Sic ergò in his syllogismis nil concluditur, Aliqua substantia est Angelus:

lus : Aliquis homo eſt ſubſtantia. Ergò Aliquis homo eſt Angelus. Item in hac, nil fit. Subſtantia eſt Angelus, homo eſt ſubſtantia, ergo homo eſt angelus.

Secunda regula eſt. Ex puris negatiuis nihil ſequitur; vndè oportet alterutram præmiſſarum ſaltē affirmare. Quare hic ſyllogiſmns non concludit. Omnis lapis non eſt animal, omnis homo non eſt lapis. Ergò omnis homo non eſt animal.

Ratio vtriuſque requiſitæ conditionis deſumitur, ex illo generali principio, cui tota innititur ſyllogiſtica machina, vt infrà explicabimus. nempe; Quæcunque ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe, hoc eſt, ex eo quòd extrema vniantur in aliquo, vniuntur inter ſe : quarè oportet, quòd ſaltèm in aliqua præmiſſarum vniantur, & ſic nō in vtraque diuidantur, vel negentur. Et ſimilitèr quòd

illud

illud tertiũ in quo vniuntur, cõple-ctatur extrema, & diſtribuatur in illis: vnde oportet quòd ſaltèm aliqua præmiſſarum habeat diſtributionem & affirmationem.

Tertia eſt. In bona Argumentatione, Concluſio ſequitur debiliorem partem. Hoc eſt, ſi aliqua præmiſſarum eſt particularis, erit particularis: & ſi aliqua præmiſſarum ſit negatiua, concluſio debet eſſe negatiua. Vt in hoc liquet ſyllogiſmo. Nullum animal eſt lapis, aliquis homo eſt animal. Ergo aliquis homo non eſt lapis.

Ratio eſt: quia duæ præmiſſæ ſũt quaſi duæ cauſæ ſubordinatæ, reſpectu concluſionis: in cauſis autem ſubordinatis, effectus ſequitur debiliorem; vt patet in ſole, & in alijs vniuerſalibus, quę cum cauſis particularibus debilibus, debiliter operantur; cùm fortibus verò fortitèr.

Quarta regula eſt. Medium ſub

ratione

ratione medij non debet intrare conclusionem.

Ratio est; duplex. Prima, quia si in ea poneretur, non differret conclusio à præmissis; contra finem syllogismi, qui est, vt ex coniunctione quam habent duo extrema cum medio in pręmissis; inferatur connexio eorundem excluso medio. 2. ratio est: quia quilibet terminus, bis tantùm in syllogismo ponitur; medium autem, iam positum est bis in præmissis: vndè non debet iterùm in conclusione poni. Poterit tamen aliquando eam ingredi, si extremitatis vice fungatur; vt in hac. Omnis homo est animal; sed homo est homo. Ergo homo est animal. Præfatę autem regulę memorię causa his versiculis à nostro Petro Hyspano explicantur.

Partibus ex puris sequitur nil sine negatis:
Si qua prait partis, sequitur conclusio partis;
Si qua negata prait, conclusio sitque negatis:
Lex generalis erit medium concludere nescit.

CA-

CAPXV. XXVIII.

De Quiqusdam alijs communibus Concludendi Regulis.

EX præfatis quatuor regulis, colliguntur tres aliȩ priorum explicatiuȩ, & Tyronum accommodatȩ captui.

Prima regula est. Quandò vnũ extremum non est distributum in prȩmissis, & distribuitur in conclusione, nil sequitur. Distribui autem, seu accipi distributiuè est idem, ac supponere pro singulis suis inferioribus. Quare ob defectum huius conditionis, hic syllogismus nnn concludit. Omnis homo est animal, nullus leo est homo ergo nullus leo est animal. Ratio est, quia animal in maiori non erat disttibutum, & accipiebatur solùm pro eo, quod est inhomine: In conclusione verò distribuitur, & accipitur etiam pro eo, quod est in

leone

leone, & sic sunt quatuor termini. Committeretur autem fallacia, quę dicitur à non distributo ad distributum, seu quatuor terminorum; & sic dari posset antecedens verũ, & consequens falsum,

Secunda regula est. Medius terminus in altera saltèm pręmissarũ debet esse distributus. Ob cuius defectum, hic syllogismus non tenet. Omne animal fuit in Arca Noe, Brunellus est animal, ergò Brunellus fuit in Arca Noe.

Ratio est, quia ly (animal) in maiori supponit pro generibus singulorum, non pro singulis generum. In minori verò supponit pro solo animali Brunello, & sic nihil concludit, cum in neutra pręmissarum distribuatur; Quod tamen omninò requiritur, quia alioquin non participaretur idẽ medium secundum eandem rationẽ ab vtroque extremo, & sic non esset ratio coniungendi talia extrema.

Tertia

Tertia denique regula est, quòd tàm in medio, quàm in extremitatibus, non varientur proprietates terminorum: Vndè tàm medium, quàm extrema, non debent esse termini æquiuoci; vel in vna propositione ampliari, & in alia restringi, quarè hic syllogismus nil concludit. Omnis leo rugit, sed Christus est leo, ergo Christus rugit. Ratio est quia terminus (leo) qui est medius, diuersimodè supponit in præmissis, cum in maiori supponat propriè, & in minori metaphoricè.

CAPVT. XXIX.

De regulis singularum figurarum.

PRima regula pro prima figura. Ex maiori particulari in modis directis primæ figuræ, nil sequitur. v. g. Aliqua substantia est Angelus. Omnis homo est substantia, ergo omnis homo est Angelus. Ra-

tio est, quia medius terminus debet in aliqua præmissa esse distributus; vt diximus in secunda regula capitis præcedentis: si autem maior est particularis, medium non distribuitur, quod debet subijci, vt per se patet: neque etiàm in minori distribueretur; nàm cùm in illa medium prædicetur, consequentèr neque distribuitur, quia propositio vniuersalis affirmatiua non distribuit, nisi subiectum, vt patet in hac, omnis homo est animal, in qua homo distribuit, non autem animal: & sic in nulla præmissarum distribuitur medius terminus; quo posito daretur antecedens verum, & consequens falsum, vt patet in allato syllogismo; quod tamèn militat aduersùs ea quæ inferiùs docebimus.

Secunda regula pro eadem prima figura est. Ex minori negatiua in modis directis primæ figuræ, nihil sequitur. v. g. Omnis Angelus est

est substantia, nullus leo est Angelus, ergo nullus leo est substantia. Huius ratio est, quia maius extremum non esset distributum in maiori, vt esset in conclusione, eò quòd in conclusione sit propositio negatiua; & sic esset fallacia à non distributo ad distributum, & consequentet antecedens esset verum, & consequens falsum.

Tertia regula pro secunda figura. Ex duabus præmissis affirmatiuis, nihil sequitur. v.g. Omnis arbor est viuens, omnis homo est viuens, ergo omnis homo est arbor. Ratio est, quia medius terminus nunquàm esset distributus, eò quòd sempèt prædicaretur in vtraque præmissa vniuersali affirmatiua, in qua distribuitur solùm subiectum, vt iam vidimus.

Quarta regula pro eadem secunda figura. Ex maiori particulari, nihil sequitur. v g. Aliqua substantia est corporea, nullus Angelus est

corporeus, ergò aliquis Angelus non eſt ſubſtantia. Ratio huius eſt, quia committeretur fallacia à non diſtributo ad diſtributum, eò quòd maius extremum, puta ſubſtantia, non diſtribuit in maiori, vt liquet, quòd tamèn diſtribuit in concluſione.

Quinta regula pro tertia figura eſt. Ex minori negatiua nil ſequitur. v. g. Omnis Angelus eſt ſubſtantia, nullus Angelus eſt lapis, ergo aliquis lapis non eſt ſubſtantia. Ratio eſt, quia tùnc maior debet eſſe aſſirmatiua, ac proindè prędicatum illius non diſtribuitur, quòd tamèn diſtribueretur in concluſione, contra præfatas regulas. In adducto etenìm exemplo, ly ſubſtantia diſtribuitur in concluſione, & non in præmiſſis.

Sexta tandem regula pro eadem figura eſt. Concluſio ſempèr eſt particularis, licet præmiſſæ ſint vniuerſales. v. g. in darapti. Omne ſydus

dus est incorruptibile, omne sydus est lucidum, ergò aliquod lucidum est incorruptibile, non enim valeret. Ergò omne lucidum est incorruptibile. Ratio regulæ est, quia aliquod extremum, non distributum in præmissis, distribueretur in conclusione: Cum enim vniuersalitèr affirment, nunquàm prædicatum distribuunt: Et sic terminus, lucidum, nequit vniuersalitèr in conclusione sumi, cùm in præmissis non distribuat.

CAPVT XXX.

De definitione. & diuisione modi syllogistici in communi.

MOdus syllogismi, seu figuræ, est ordinatio præmissarum, seù propositionum in debita quantitate, & qualitate. Debita autèm quantitas est, vt saltem aliqua præmissa sit vniuersalis, & non

omnes particulares. Debita verò qualitas, vt saltem aliqua præmissarum sit affirmatiua, & non omnes negatiuæ.

Diuiditur primo modus in perfectum, & Imperfectum. Perfectus est, in quo saluantur perfectè principia regulatiua syllogismorum; quæ sunt; dici de omni, dici de nullo. De quibus agemus infra. Imperfectus verò est, in quo ista principia non perfectè saluantur; ideòque ad perfectum reducibilis est.

Diuiditur secundo in modum directum, & indirectum. Directus est, in quo directè concluditur, prædicando maiorem extremitatem de minori in conclusione. Indirectus verò, in quo econuersò, minor extremitas prædicatur de maiori extremo in conclusione.

Diuiditur tertio modus in vtilem, & Inutilem. Vtilis est in quo saluantur regulæ necessariæ ad bonam

nam consequentiam superiùs explicatæ. Inutilis verò, cui aliqua ex dictis regulis deest.

Modi autem vtiles omnium figurarũ sunt ũdeviginti, qui memoriæ consulendi gratia, his versibus à dialecticis comprehenduntur.

Barbara, Celarent, Darij, ferio: Baralipton,
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum.
Cesare, Camestres, Festino, Baroco. Darapti,
Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison:

Obserua singulis dictionibus singulos syllogismorum modos denotari, sumendo tres primas vocales cuiusque dictionis, quibus denotantur tres syllogistiæ propositiones: si quæ verò vocales supersint, eæ nil ad rem conducunt, sed metri complendi adiunguntur causa, vt in Baralipton, & frisesomorum; vnde trium priorum voca-

 lium

lium, sola habenda est ratio: quarum prima in quauis dictione, significat qualis debeat esse maior syllogismi secundùm quantitatem: secunda, qualis debeat esse minor: tertia demùm, qualis debeat esse conclusio; valor autèm singularum vocalium, idem est, ac ille, quem supra statuimus de conuersione propositionum, per illum versiculum, Asserit A. negat E. &c.

CAPVT XXXI.

De modis singularum figurarum in particulari.

PRima figura habet quatuor modos directè concludentes, contentos quatuor primis dictionibus; & quinque modos concludentes indirectè. Sic ergò primi nouem modi duobus prioribus carminibus contenti, ad primam spectant figuram. Quatuor sequentes

tes qui continentur in tertio versu, ſcilicet, Ceſare, Cameſtres, feſtino, baroco, pertinent ad ſecundam. Reliqui verò ſex ſcilicet darapti, & ſequentes ad tertiam.

Obſerua tamèn quatuor priores modos primæ figuræ appellari perfectos: quia ſunt in digniori figura, & directè concludentes; alios verò quinque ſubſequentes dici imperfectos; quia licèt ſint in digniori figura, non tamèn directè concludunt, vt ſunt, Baralipton, Celantes,&c. Atque vt hi modi clariùs cognoſcantur, exemplis illuſtrantur.

Primus igitur modus eſt Barbara, continens tres propoſitiones vniuerſales affirmatiuas expreſſas per vocaiem A. triplicatam, & fit hoc modo:

Bar. Omnis homo eſt animal. Ba. Omne rationale eſt homo. Ra. ergò omne rationale eſt animal.

Secundus modus eſt Celarent,

constans maiori vniuersali negante, minori vniuersali affirmante, & conclusione vniuersali negante, hoc modo.

Ce. Nullus homo est lapis. La. Omne risibile est homo. rent. ergo nullum risibile est lapis.

Tertius modus est Darij, constans maiori vniuersali affirmatiua, & minori ac conclusione particularibus affirmatiuis, hoc modo.

Da. Omnis leo est animal. Ri. Aliquod rugibile est leo I. ergò aliquod rugibile est animal.

Quartus modus est Ferio, constans maiori vniuersali negatiua, minori particulari affirmatiua, & cōclusione particulari negatiua v.g.

Fe. Nullus equus est admiratiuus. Ri. Aliquod Animal est equus. O. ergo aliquod animal non est admiratiuum.

Atqui hi quidem modi sunt directi primæ figuræ, vt per se patet. Cæteri verò quinque qui sequuntur

tur, scilicet Baralipton, &c. indirecti sunt; vt patet in hoc exemplo, & similibus.

Ba. Omnis spiritus est substantia. ra. Omnis Angelus est Spiritus. Lip. ergò aliqua substantia est Angelus.

Modi secundæ figuræ sunt quatuor recensiti in quorum primo ecce tibi exemplum; tu formes in reliquis.

Ce. nulla intemperantia est bona. sa. Omnis virtus est bona. re. ergò nulla virtus est intemperãtia.

Modi denique tertiæ figuræ sunt sex nominati in quorum primo e-sto exemplum; tyro in alijs exemplificet.

Da. Omnis elephas est viuens. rap. Omnis elephas est animal. ti. ergo aliquod animal est viuens.

CAPVT. XXXII.

De Reductione ostensiua Syllogismorum imperfectorum ad perfectos.

POtestas reducendi syllogismos imperfectos ad perfectos, in hoc consistit, quod illi syllogismi, in quibus non ita euidentèr, & perfectè apparèt. Dici de omni. Aut, Dici de nullo. Quæ sunt principia regulatiua syllogismi, vt dicemus infra; reducantur, & probentur per illos, in quibus euidēter, & perfectè talia principia saluantur.

Perfectissimi autem modi concludendi sunt illi primi quatuor primæ figurę, nempè Barbara, Celaret, darij, ferio. Omnes enim conclusiones inferibiles, aut sunt vniuersales affirmatiuæ, & sic inferuntur in barbara. Aut vniuersales negatiuæ, & sic inferuntur in cela-

celarent. Aut particulares affirmatiuæ, quæ inferuntur in darij. Aut deniquè particulares negatiuæ, quæ inferuntur in ferio. Omnes ergò alij modi indirectè, aut directè concludentes, possunt ad istos quatuor reduci, & per eos probari. Hoc autem duplici reductione præstabitur, vna ostensiua, altera ad impossibile: de hac secũda agemus in sequenti capite, de prima solùm in præsẽti tractamus.

Reductio ostensiua est, in qua præmissas vel transponendo, vel conuertendo, reducuntur syllogismi imperfecti, & fiunt perfecti; Pro qua reductione.

Obserua 1. quæ sit litera consonans à qua incipit imperfectus modus: illa enim denotat reducendum esse ad perfectum modum eadem litera initiatum: omnes autem incipiunt, vna ex his quatuor consonantibus, B.C.D.F. quę sunt literæ initiales, quatuor mo-

do-

dorum perfectorum, vt patet. Sic ergò ad barbara, reducetur baralipton. Ad celarent, celantes, cesare, &c. Ad darij, dabitis, darapti, &c. Ad ferio deniquè reducetur, sapesmo, festino, &c.

Obserua 2. ab hac regula excipi duos modos, nempe, Bocardo, & baroco, qui reduci tantùm ad impossibile possunt: quia vterque alteram habet præmissarum particularem negantem, quam nullus habet perfectus modus.

Obserua 3. pratèr consonantes initiatiuas de quibùs egimus, reperiri alias quatuor intra ipsas dictiones modorum imperfectorum, puta, S. P. M. C. litera S. denotat propositionem significatã per vocalem antecedentem conuertendam esse simplicitèr. P. denotat, conuertendam posse per accidens. M. verò denotat commutandas esse præmissas; ita vt maior fiat minor, & econtra, seruata conuersione

sione quam aliæ literæ petunt. Et tandèm C. in medio dictionis denotat modum, in quo inuenitur, non posse ostensiuè reduci, sed per impossibile solùm; qui tamen modi, sunt hi duo, scilicet Baroco, & Bocardo. Verùm hæc omnia, hoc comprehenduntur versiculo.

Simpliciter verti vult S. P. *verò per acci.*
M. vult transponi. C. per impossibile duci.

Reducamus igitur ostensiuè ad ferio, syllogismum factum in fapesmo, qui est modus imperfectus primæ figuræ, intrà quem omnes tres consonantes P. S. M. Inueniuntur. P. autem quia sequitur post primam vocalem A, denotat maiorem vniuersalem affirmantem, conuerti debere per accidens. Deinde S. quia sequitur post secundam vocalem E, denotat minorē vniuersalem negantem, conuerti simplicitèr. Et tandèm M. quæ est

post

post duas vocales, denotat maiorem iam conuersam ponendam esse pro minori, & minorem etiam conuersam pro maiori. Quæ omnia in hoc innotescunt syllogismo.

Fa. omne animal est sensibile. Pes. nullus lapis est animal. Mo. Ergo aliquod sẽsibile non est lapis.

In quo si maior conuertatur per accidens, & minor simpliciter, & postea transmutentur; infertur eadem conclusio in ferio, sic.

Fe. nullum animal est lapis. Ri. Aliquod sẽsibile est animal. O. ergo aliquod sensibile non est lapis.

Item hic modus in Cesare secũdæ figuræ,

Ce. nulla virtus est vitium. Sa. Omnis superbia est vitium. Re. Ergò nulla superbia est virtus.

Reduci debet ad celarent: nam in Cesare, reperitur solùm litera S. post. E, per quam denotatur primã propositionem conuertendam esse simpliciter, relinquendo alias in-

tactas, quod hac ratione præstatur.
Ce. nullum vitium est virtus, la. Omnis superbia est vitium. Rent. Ergo nulla superbia est virtus.
Denique disamis modus imperfectus tertiæ figuræ, qui sic formatur.
Di. Aliquis ãgelus est spiritus. 8a. Omnis angelus est substantia. Mis. Ergò aliqua substantia est spiritus.
- Reduci debet ad darij hac ratione, secundùm præscriptas regulas, scilicet vt maior, & conclusio simpliciter conuertantur, & præmissæ transmutentur, vt literæ S. & M. inclusæ exigunt, quibus præstitis disamis, euadet darij, hoc modo:
Da. Omnis angelus est substantia. Ri. Aliquis spiritus est angelus: i. ergò aliquis spiritus est substantia.
Eadem proportione seruata, ostensiuè reducentur, alij imperfecti modi ad suos perfectos, in quibus efformanda exempla, secundùm statutas regulas, vt nullius

us negotij opus, exercendo tyroni consultò relinquimus.

CAPVT. XXXIII.

De Reductione Syllogismorum imperfectorum ad perfectos, per impossibile.

REductio per impossibile est, cùm negata consequentia, seu conclusione syllogismi ab Aduersario (eò quod dicatur non esse in forma) fit propositio contradictoria coucl usioni negatæ: ex qua cùm alia ex propositionibus concessis tales fiunt præmissæ, ex quibus Inferatur conclusio contradictoria alicui ex præmissis: ex quo cogitur aduersarius, vel concedere duo contradictoria esse simul vera, vel negare, quod iam concesserat. Vt autem modis imperfectis hæc doctrina applicetur, & vt scias qui eorum, & ad quos perfectos debeant reduci modos;

Obserua. Primò, dialecticos excogitasse has tres dictiones pro

modis

modis imderfectis trium figurarũ; *Nesciebatis*. *Odiebam*. *Letare Romanis*.

Prima igitur vocula. Scilicet (nesciebatis) habet quinque vocales, correspondentes quinque imperfectis modis primæ figuræ, ità vt prima scil. Nes. Correspondeat primo modo imperfecto, putà baralipton. Secunda. Ci. Correspondeat, Celantes, & sic de alijs.

Secunda dictio, nempè (odiebam) correspondet eodem ordine quatuor modis, secundæ figuræ. Tertia denique (letare Romanis) sex vocales habens, eodem ipso modo, correspondet sex modis imperfectis tertiæ figuræ.

Obserua. Secundò in præfatis dictionibus, nesciebatis &c., quatuor illas vocales A.E.I.O. Significare quatuor modos perfectos. A. Etenim significat Barbara, in quo cõcluditur vniuersalitèr affirmatiuè.

uè. E. Celarẽt, qui cõcludit vniuersalitèr negatiuè. I. Darij, in quo cõcluditur particularitèr affirmatiuè. O. Denique ferio, in quo concluditur particularitèr negatiuè.

Obſerua Tertiò vnamquamque harum vocalium in qualibet ſyllaba trium dictionum, denotare modum imperfectum correſpondentem illi ſyllabæ, reducendum eſſe ad modum perfectum ſignificatum per eandem vocalem, v. g. in vocula (neſciebatis) prima vocalis E, denotat quod primus modus imperfectus, primæ figuræ, ſcilicet baralipton, reducatur ad Celarent. Secunda vocalis. I, quòd ſecundus modus Celantes, ad Darij. Et ſic de alijs. Prima vocalis in dictione (Odiebam) nẽpe O, denotat primum modum ſecundæ figurę, ſcil. Ceſare, reduci debere ad ferio, & ſic de ſingulis. Deniq; in illa dictione (letare Romanis) primà vocalis, nempe

E,

E, significat, primum modum tertię figuræ, scil. darapti, reducendum esse ad Celarent: & sic de singulis. Per quod patet, ad quos perfectos modos, imperfecti sint reducibiles.

Cæterùm quandò in reductione seruanda sit maior syllogismi imperfecti, & quandò minor: & consequentèr quandò contradictoria consequentiæ negatæ debeat poni pro maiori; & quando pro minori, sequentes tres regulæ pro figurarum numero, tibi liquidò ostendent.

Prima igitur regula pro prima figura est. Si negetur conclusio modi indirecti, sumenda erit contradictoria illius propositionis, ita vt fiat maior; & maior quæ erat anteà, fiat minor: deinde inferatur conclusio quæ potest in tali figura, & modo. Quæ regula memoriæ causa, hoc comprehenditur versiculo:

Ma-

Maiorem oppositum pellit, maiorq; minorem.

Sensus ergò est iam dictus; scilicet quod contradictoria conclusionis, fiat maior, & pellat maiorem de suo loco, illamque faciat minorem: minor verò quæ anteà erat, tollatur, & inferatur conclusio modo dicto v.g. fiat hic syllogismus in Baralipton.

Ba. Omne animal. Est substantia. Ra. Omnis homo est animal. Lip. Ergo aliqua substantia est homo.

Neget quis conclusionem, statim sumatur propositio illi contradictoria, quæ erit (nulla substautia est homo) tunc tollatur minor, & subrogetur maior pro ea, & inferatur conclusio hac ratione, in Celarent, cui reductiuè per impossibile correspondet, iuxta ea quæ iam docuimus.

Ce Nulla substantia est homo.
La. Omne animal est substantia.

rent.

rent. Ergo nullum animal est homo.

Hoc ipso proportionali modo conuertuntur omnes alij imperfecti modi primę figuræ ad suos perfectos.

Excipe à præfata regula modum Celantes, in quo minor syllogismi imperfecti, ponitur pro maiori: & contradictoria conclusionis negatæ pro minori; ex quibus sic dispositis inferetur conclusio contradictoria maiori concessę, & concludetur directè in darij, ad quem reducitur, iuxta præfatas regulas.

Secunda regula pro secunda figura est. Si negetur conclusio, tunc assumatur maior concessa, & pro minore ponatur contradictoria conclusionis negatę, & inferatur conclusio, quæ potest. Hæc regula continetur hoc versu.

Stat maior, trahit oppositam de sede minorem.

Si fiat v.g: syllogismus in Baroco,

co, qui sic formabitur.

Ba. Omnis homo est animal.
Ro. Aliquis lapis non est animal.
Co. Ergò aliquis lapis non est homo.

Si negetur inquam conclusio, assumatur eius contradictoria, quę est, omnis lapis est homo; & retenta maiori, ponatur ista propositio pro minori. Deinde inferatur conclusio, quę sequitur in Barbara sic.

Bar. Omnis homo est animal.
Bi. Omnis lapis est homo. Ra. Ergò omnis lapis est animal.

Sic etiam nullo negotio cæteros modos secundę figurę ad suos perfectos, secundùm statuta præcepta, reducere poteris.

Tertia tandem regula pro tertia figura. Si negetur conclusio, assumatur contradictoria illius, & ponatur loco maioris, retenta eadem minore: Inferatur conclusio quę potest. Hoc autem versiculo regula continetur.

Stat minor, oppositum trahitur maioris ad ædem.

Si quis enim neget conclusionem in Darapti v.g. Da. Omne rationale est risibile. rap. Omne rationale est animal. ti. Ergò aliquod animal est risibile.

Assumatur contradictoria conclusionis negatæ quæ erit. (nullum animal est risibile) & ponatur pro maiore, cùm minore, quę erat antea: & sic concludetur in Celarent.

Ce. nullum animal est risibile. la. Omne rationale est animal. rent. Ergò nullum rationale est risibile.

Cætera exemplificanda solerti Nouitio exercitationis ergò, industriè committimus.

CAPVT. XXXIIII.

De Inuentione Medij.

EN tibi (Ingenue Tyro) Ars inueniendi syllogisticum medium, imaginata arduitate, naufragus summulistarum scopulus, quondàm reputatus, vndè & à Sophistis Pons intitulatus Asinorũ.

Ars igitur inueniendi medium est facultas, per quam posita quacunquè propositione, inueniatur vnus terminus, qui sit medium, ad concludendam illam in aliqua certa figura, & modo. Quod vt inueniatur.

Obserua 1. quod omnis propositio inferenda, vel est vniuersalis affirmatiua, vel vniuersalis negatiua; aut particularis affirmatiua, aut deniquè particularis negatiua, vt suprà docuimus. Cùm autèm terminus qui assumitur pro

medio, debeat communicari, & vniri extremis, vel ab aliquo illorum dissiungi, ad hoc vt ipsa extrèma vniantur, vel disiungantur; extrema autèm vnibilia intèr se sunt subiectum, & prædicatum in conclusione, oportet pro medio vnitiuo, aut diuisiuo vtriusquè sumere vèl aliquid, quod sit prædicatum superius, vel inferius; vel æquale, vel deniquè repugnans seu extraneum.

Obserua 2. Antiquos vocasse prædicatum superius, vel æquale, terminum consequentem: eò quod consequitur ad aliud, sicut ex homine, infertur animal; quod est superius, & risibile quod est æquale, vtrumquè enim in illo continetur. Prædicatum autem inferius vocabant, terminum antecedentem, eò quòd inferat, sed non inferatur, ex superiori, ex animali enim non sequitur homo, sed econtrà: Prædicatum autem re-

pugnans, vocabant terminum extraneum. Cùm autem quadruplex tantùm sit conclusio inferibilis, vt iam diximus, quadruplici regula, iuxta propositionum varietatem totum negotium absoluemus.

Prima regula est. Ad inferendã propositionem vniuersalem affirmatiuam, adhibendus est pro medio terminus, qui sit consequens, respectu talis propositionis, & antecedens respectu prædicati. v. g. pro hac propositione. Omnis homo est corpus. Assumendum pro medio animal, quod quia minus latè patet, quam corpus, erit illius antecedens, & quia magis latè patet, quam homo, erit illius consequens; & sic formar syllogismus in barbara, Omne animal est corpus, omnis homo est animal, ergò omnis homo est corpus.

Secunda regula est. Ad inferendam propositionem vniuersalem nega.

negatiuam, (quæ tantùm poteſt concludi in prima, & ſecunda figura) ſumendus eſt pro medio, terminus conſequens ad ſubiectū, & extraneus ſeu repugnans prædicato, ſi ſyllogiſetur in Celarent, vel Ceſare. Si verò in Cameſtres, debet ſumi pro medio terminus repugnans ſubiecto, & conſequens ad prædicatum, v.g. ſi hæc propoſitio, Nullus homo eſt lapis, concludenda ſit in Celarent, aut Ceſare, congruum medium erit rationale, & ſic dices, in Celarent. Nullum rationale eſt lapis: Omnis homo eſt rationalis. Ergò nullus homo eſt lapis.

Tertia regula eſt: Ad inferendam concluſionem particularem affirmatiuam, (quæ tantùm poteſt concludi in prima, & tertia figura) ſumendus eſt pro medio terminus conſequens ad ſubiectum, & antecedens ad prædicatum, ſi ſyllogizetur in prima figura. Si

verò in tertia, medium debet esse terminus antecedens, tàm respectu subiecti, quam respectu prædicati. v g. Si hæc propositio, aliquis homo est viuens, syllogizetur in Darij, sumatur medium (sensibile) & sic concludatur. Omne sensibile est viuens, aliquis homo est sensibilis. Ergò aliquis homo est viuens. Si verò syllogizetur eadem propositio in tertia figura, congruum medium erit rationale, quippè antecedens respectu vtriusque extremi, scilicèt hominis, & viuentis.

Quarta denique regula est. Ad inferendam propositionem particularem negatiuam, debet assumi medium, quod sit antecedens subiecti, & repugnans prædicati. Qualitèr concludes in ferio; Item in fapesmo, & frisefo, modis primæ figuræ. In festino, & baroco, secundæ. In felapton, bocardo, & ferison, tertiæ. v g. in ferio, vt concluclu-

datur hæc propoſitio, aliqua ſubſtantia non eſt lapis. Sumatur pro medio leo, qui repugnat prædicato, & eſt antecedens ſubiecti, & ſic fiet ſyllogiſmus. Nullus leo eſt lapis, aliqua ſubſtantia eſt leo: Ergò aliqua ſubſtātia non eſt lapis.

CAPVT XXXV.

De Principijs quibus innititur ars ſyllogizndi.

TOta ſyllogiſtica ars, innititur duobus principijs, quorū. Primum eſt: Quæcunque ſunt eadem vni tertio ſunt eadem inter ſe. hoc eſt, quando aliqua duo perfectè, completè, & adequatè vniuntur cum aliquo termino, ſeu medio, neceſſe eſt vt vniantur inter ſe. Et hoc principium deſeruit ſyllogiſmis affirmatiuè concludentibus, v.g. in barbara, & darij. Secundum principiū eſt. Quæcunque ſunt eadem

dem inter se, distinguntur vni tertio, seu ab vno tertio. Hoc est, quandò aliqua duo perfectè, & completè vniuntur inter se, si vnũ illorum ab aliquo tertio distinguitur, necesse est & aliud distingui. Et hoc principium deseruit syllogismis concludentibus negatiuè, putà in Celarent, & Ferio.

Obserua 1. hæc duo præfata principia esse per se nota; quia innituntur vniuersalissimo illo, & supremo omnium principiorum. Quodlibet est, vel non est. seu, Impossibile est idem simùl esse, & non esse. Quod ex ipsis terminis est manifestum.

Obserua 2 præfatis duobus principijs inniti alia duo, in dialectica satis vsitata, quæ ab ipsis secernuntur solùm penes hoc, quòd illa sumuntur in ordine ad esse; hæc verò in ordine ad prædicari; appellantur autem à summulistis: dici de omni; & dici de nullo.

Di-

Dici de omni hũc ſenſum reddit. Quicquid uniuerſalitèr affirmatur deſubiecto , affirmatur etiàm de quocunque contento ſub illo ,v.g. ſicùt vniuerſalitèr affirmatur de homine, quòd ſit animal, corpus, ſubſtantia,&c. ita paritèr hæc omnia affirmantur de Thoma , qui ſub homine continetur, vt patet. Dici de nullo , hunc efficit ſenſum. Quicquid vniuerſalitèr negatur de ſubiecto , negatur etiam de quocunquè contento ſub illo. v.g. quicquid negatur de homine, negatur etiá de Thoma;ſicùt enim homo non eſt lapis,leo,&c.ita neq; ſimilitèr Thomas. His autem principijs innititur tota ars ſyllogiſtica , & conſequentiarum bonitas ;

CVPVT. XXXVI.

De Fallacijs,

SYllogiſmus fallax, ſiuè ſophiſticus idē eſt ac, Argumentatio conſtans ex præmiſſis apparētibus, quæ videntur veræ, & probabiles, cùm non ſint tales; quales ſunt omnes ſyllogiſmi non obſeruantes ſyllogiſmorum leges ſuperiùs traditas.

Fallaciæ autem aliæ ſunt in dictione, & aliæ extrà dictionem. In dictione, ſeu vocibus ſignificantibus res, numerantur ſex; extrà dictionem, ſiue in ipſis rebus ſignificatis, ſunt ſeptem.

Prima fallacia dictionis, eſt æquiuocationis, & committitur Cùm ex aliquo termino æquiuoco, qui in antecedenti vni æquiuocato tribuitur, in conſequēti

ti adſcribitur alteri. v. g. Omne quod volat, habet alas: tempus volat; ergo tempus habet alas. Fallacia eſt in voce volare, quæ ſemel propriè, & iterùm improprie ſumitur.

Secunda, eſt Amphibologiæ; & committitur cum ex vna propoſitione vera in vno ſenſu, deducitur concluſio falſa in alio ſenſu, vt ſi dicatur. Omnes Epiſcopi ſunt ſacerdotes, hi libri ſunt Epiſcopi, ergò hi libri ſunt ſacerdotes,

Tertia, eſt accentus: & committitur, cùm ex variatione accentus, variatur ſignificatio vocis; & idem dicendum de quantitate ſyllabarum, diphtongis, literis &c. v. g. Quicquid Deus facit inuitè, facit coactè: ſed racemos Deus facit in vite. Ergò racemos Deus facit coactè. Fallacia eſt in ly (inuite) nàm in maiori eſt vna dictio, & aduerbium: in minori verò eſt duplex di-

ctio, altera, in, & altera, vitę.

Quarta & Quinta fallacia est compositionis,& diuisionis: committuntur autem hæ fallaciæ, cùm a sensu composito vero arguitur ad sensum diuisum falsum, vel econtra. Vel cum id quòd alicui conueuit seorsim ab alio, tribuitur eidem vt coniunctio cum illo, vel econtra, v.g. Quicunque quiescit potest ambulare: sed sedens dùm sedet, quiescit. Ergò sedens dùm sedet potest ambulare. Fallacia committitur; quia in conclusione sensus est compositus, & propositio est falsa; sensus autem diuisus, est in vera maiori.

Sexta denique est. Fallacia figurę dictionis, & contingit quandò fit trāsitus de vno genere ad aliud, quod quadrupliciter euenit. Primò si transeat de vno genere grammatico in aliud, vt quādo committitur solæcismus: quia altera extremitatū est generis fœminini,

v.g.

v.g. & alia masculini. Vt si dicatur, omnis substãtia affecta albedine est alba, sed aquus est substantia affecta albedine, ergo equus est alba. Secũdò quãdo fit transitus de vno prædicamẽto in aliud, vt si dicatur. Quicquid fuisti heri, es hodiè: sed incipiens fuisti heri, ergo incipiens es hodiè. Tertiò, quando intra idem prædicamentuum fit transitus de vna specie, in aliam, verbi gratia. Digitos quos olim habuisti, habes hodiè: sed paruos digitos olim habuisti, ergo paruos digtos habes, hodiè. Quartò tandem accidit, quando vox significãs rem vniuersalem transfertur in vocem significantem rem particularem, vel e contrà, vt si dicatur. quod ego sum tu non es: sed ego sum homo, ergo tu non es homo. Fallacia est, quia vox (ego) quæ in maiori est particularis, minori fit vniuersalis: quia iũgitur cum homine.

Pri-

Prima fallacia extra dictionẽ est accidentis, omnium periculosissima, qua sapientes quoque aliquãdò capi philosophus inquit. Quæ quidem contingit tripliciter, Primo quandò quod est proprium subiecti, tribuitur accidenti, vt si dicas. Ista capra est mater, & est tua, ergo est mater tua. Nam capra & mater sunt vnum per accidens; vnde non sequitur quòd quicquid est verum de vno, fit verum de altero. secundò, quandò quòd conuenit superiori accidentaliter, quia superius est tribuitur Inferiori; vt si dicas. Homo est species, sed Thomas est homo, ergo Thomas est species. Tertio, quandò inter ea quæ reciprocantur, quicquid conuenit vni, quocunque modo, tribuitur & alteri, vt si dicatur. Animal rationale est definitio: homo est animal rationale, ergò homo est definitio.

Secunda fallacia extra dictionẽ,

seu

ſeu rerum, eſt fallacia conſequentis: & committitur cum non ſeruantur regulæ bonę conſequentię, id eſt, cum ex antecedenti infertur conſequens, & ex conſequenti antecedens, v.g. Omnis homo eſt animal, ergo omne animal eſt homo. Valet enim hoc ſolùm in terminis conuertibilibus ratione materiæ, vt eſt homo, ergo riſibile; eſt riſibile, ergo homo.

Tertia fallacia eſt à dicto ſecundùm quid, ad dictum ſimpliciter; & contingit dupliciter. Primò, quandò illud quod ineſt parti cũ poſſit ineſſe toti, tribuitur toti: vt Æthiops eſt albus ſecundùm dentes, ergò eſt albus. ſecundò, quandò, quod non conuenit alteri abſque adiectiuo, tribuitur abſque illo, vt cadauer eſt homo mortuus: ergò eſt homo.

Quarta, ignorantię elenchi, ſeu redargutionis. elenchus autem eſt syllohiſmus inferens contradictorium

rium eius quod concessum est ; vel duo cõtradictoria simul. Committitur ergò hęc fallacia, quando nõ seruantur leges contradictionis, quod, quadrupliciter fieri potest. primo, quandò contradictoria non non sunt eiusdem de eodem, v.g. Iuuenis est maior puero & minor Sene, ergò est maior, & minor. Secundo, cùm non sumuntur eadẽ predicata, v.g. hæc tabula est duplò maior altera secundùm latitudinẽ, & nõ secũdùm lõgitudinẽ, ergò simul est, & non est duplo maior. Tertio, cum nõ seruatur idẽ modus v.g. Currit lentè, & non currit velociter: ergò currit, & non currit. Quartò, cùm non seruatur idem tempus, v. g. dormio nocte, & nõ dormio die, ergò dormio, & non dormio.

Quinta, est petitionis principij: & committitur, quandò id supponitur, vel assumitur, quod debebat probari: vt si velis porbare, quod

quod Ioannes est filius Camilli, assumas pro medio, quòd Camillus est Pater Ioannis.

Sexta, est non causę, vt causæ & committitur, cum asseritur esse causa alteriùs, cùm tamen non est. v.g. Qui ædificat est causa ędificationis: sed musicus ædificat ergò est causa ędificationis. Argumentum non concludit nam minor est vera solùm in sensu identico, materiali, non formali: Conclusio verò facit sensum formalem, seu causalem, scilicèt quòd musicus ratione formę musicę sit causa ędificandi.

Septima tandem, & vltima fallacia, est plurium interrogationũ, vt vnius. Committitur autem cum arguens petit vnica responsione fieri satis suæ interrogationi multiplici v.g. Si quis interroget. Mel, & fel suntne dulcia; Cui interrogationi duplici, duplicitèr respondendum, affirmando de melle, de felle negando.

Cæ-

Ceterùm pluriès in hac synopsi, plura consultò omisimus, tędij plurimum, vtilitatis parum Tyroni allatura; eoque vel maximè, quòd hec Adolescenti inscripserimus Principi: Quæ eapropter sufficiant de vniuersa re summulistica, & cedant in Dei gloriam. Romæ apud Sanctum Sixtum, Calendis Augusti, Anno 1658.

SY-

SYNOPSIS LOGICA

In qua quicquid his temporibus in Scholis agitari solet, æqua formalitate, breuitate, & claritate traditur.

AVCTORE

A. R. P. F. IOANNE BAPTISTA HACQVETO, HIBERNO, FIDERDENSI, *Ordinis Prædicatorum.*

Iam tertio Ex-Regente, Sacræ Theologiæ Magistro, eiusdemq; olim Mediolani, Neapoli, & hic Romæ ordinario Professore.

CONTROVERSIA I.

Vtrum logica sit primo loco præ alijs scientijs addiscenda?

NOTA 1. logicæ nomen à voce græca logos deriuari, quæ latinè dicitur verbum, sermo, ratio, & huiusmodi, actum intellectus concernentia; quæ etiam dialectica vocatur, à verbo græco dialegomai, quod latine est sermone vti: vnde logicam definimus, quod sit: sermocinalis scientia entium rationis, quæ ad definiendum, diuidendum, & argumentandum, sunt destinata: de qua controuersimus, an 1. loco præ alijs scientijs acquiri debeat. E quibus vna prior est altera vel dignitate, vel generatione, seu acquisitione.

Nota 2. scientias & artes, ratione materiæ diuidi, in eas quæ agũt

de

e rebus, & in eas quæ in sermo-
e versantur. Primæ latè fundũ-
ur vt sunt physica, metaphysica,
Theologia &c. Quæ verò versan-
ur in sermone tres sunt; nempè
rammatica, Rhetorica, & dia-
ectica. Grammatica agit de sermo-
e congruo; Rhetorica de ornato;
t dialectica de vero, vel falso; hy-
toria autem & poesis quæ etiam
n sermone versantur, ad rhetori-
am reducuntur; hystoria etenim
præclara rerum gestarum comme-
noratione; & poesis ligatæ ora-
ionis suaui numero, flectunt ani-
nos, & commouent affectus; quæ
oratoriæ sunt propria facultatis.

Nota 3. ratione ordinis scien-
tias & artes diuidi in superiores, &
inferiores: superiores eæ sunt qui-
bus aliæ instrumenta præbent, vt
v.g. est physica, metaphysica, ma-
thematica, &c. Inferiores verò
sunt, quæ superioribus inseruiunt,
& instrumenta ministrant, quibus
con-

CONTROVERSIA I.

Vtrum logica sit primo loco præ alijs scientijs addiscenda?

NOTA 1. logicæ nomen à voce græca logos deriuari, quæ latinè dicitur verbum, sermo, ratio, & huiusmodi, actum intellectus concernentia; quæ etiam dialectica vocatur, à verbo græco dialegomai, quod latine est sermone vti: vnde logicam definimus, quod sit: sermocinalis scientia entium rationis, quæ ad definiendum, diuidendum, & argumentandum, sunt destinata: de qua controuersimus, an 1. loco præ alijs scientijs acquiri debeat. E quibus vna prior est altera vel dignitate, vel generatione, seu acquisitione.

Nota 2. scientias & artes, ratione materiæ diuidi, in eas quæ agũt de

de rebus, & in eas quæ in sermone versantur. Primæ latè fundũtur vt sunt physica, metaphysica, Theologia &c. Quæ verò versantur in sermone tres sunt; nempè grammatica, Rhetorica, & dialectica. Grammatica agit de sermone congruo, Rhetorica de ornato; & dialectica de vero, vel falso: hystoria autem & poesis quæ etiam in sermone versantur, ad rhetoricam reducuntur; hystoria etenim præclara rerum gestarum commemoratione; & poesis ligatæ orationis suaui numero, flectunt animos, & commouent affectus; quæ oratoriæ sunt propria facultatis.

Nota 3. ratione ordinis scientias & artes diuidi in superiores, & inferiores; superiores eæ sunt quibus alię instrumenta præbent, vt v.g. est physica, metaphysica, mathematica, &c. Inferiores verò sunt, quæ superioribus inseruiunt, & instrumenta ministrant, quibus

con-

congruè ſua munera exerceant. Hæ autem facultates omnes in ſeptem ſecantur liberales, totidemq; machanicas, hoc carmine indicatas.

Lingua, tropus, ratio, numerus, tonus, angulus, aſtra;
Rus, nemus, arma, faber, vulnera, lana, rates.

Vocum ſenſus hic eſt. Lingua grammaticam ſignificat, tropus Rhetoricam, ratio logicam, numerus Arithmeticam, tonus muſicam, angulus geometriam, & aſtra aſtrologiam: & hæ ſeptem illæ artes ſunt, quæ communitèr liberales intitulantur. In 2. autem carmine, artes exprimuntur machanicæ: Rus enim agriculturam indicat, nemus venatoriam, arma militarem, faber fabrilem; vulnera chyrurgiam; lana textoriam; & rates nauticam. Functiones autem liberalium dictarũ facultatum, his exprimuntur verſiculis.

Gram.

Gram. loquitur; dia, vera docet Rhet. verba colocat.
Mu, canit. Ar, numerat. Geo, ponderat: As, colit astra.

Dico 1. necessariò concedenda est logica, quæ doceat modum sciendi, & procedendi in alijs sciētijs. Hæc conclusio est concors Scholarum omnium sensus, & probatur. Scibilis est modus aliquis, quo res rectè, & sine errore cognoscatur. Sicut & scibilis est modus rectè pingendi, saltandi &c. Ergò sicut datur ars docens modū rectè pingendi &c. Etiam dabitur scientia docens modum rectè cognoscendi: sed hæc ab omnibus vocatur logica. Ergò.

Conf. 1. natura non deficit in necessarijs, maximè in ijs quæ ad intelligendum spectant, cùm sint supremi rerum gradus: Sed logica summè est necessaria, vt de rebus sine errore iudicemus; cum enim plures defectus in intelligen-

do sepè contingant, necessaria erit intellectui ars aliqua, siuè sciētia qua rectè dirigatur & eius vitia corrigat, & ab erroris liberet periculo: sed hęc non alia est quàm logica, vt per se patet. Ergò.

Conf. 2. experientia videmus eos qui prius difficultèr, & sæpius erroneè discurrebant, postquàm præceptis sunt imbuti logicis, facilitèr, idq; permanentèr, sine errore discurrere, ergò necesse est dari in eorum intellectu aliquam habitualem facultatem, à qua talis facilitas, & mutatio originetur, quam patet esse logicam artificialem.

Dico 2. si loquamur de priori secundùm generationem, & acquisitionem, logica prior est omnibus disciplinis, & priori loco addiscēda, vna excepta grāmatica. Hæc statuitur contra Iand. & plures ex antiquis variè opinantes, deducitur tamen ex Arist. 2. metaph.

cap.

cap. vlt. eamq; docet, D. Th. super Boet. de Trin. q. 5. a. 1. Beat. Alb. Mag. Sot. Nonnesius, Masius, & alij. & probatur 1. nullus artifex breuitèr, & ordinatè, & sine errore absoluit aliquod opus, nisi prius habeat parata instrumenta quibus in opere conficiendo vtatur: ergò neq; ratio vnquàm ita breuitèr & sine errore, & facilè scientiam aliquam comparabit, nisi habeat iam examinatas, atq; in promptu omnes disserendi formas; sed has docet logica, & istæ concurrunt vt scientiarum instrumenta; vt per se patet, ergò.

Probatur 2. Quæ omnibus sciẽtijs sunt communia, ante omnia tradenda censentur; sed quæ logica tradit, sunt omnibus scientijs cõmunia, ergo. Maior & consequẽtia patent, & minor probatur, quia in omni scientia reperitur definitio, diuisio, & argumentatio, imo per has acquiruntur; de quibus per

rium eius quod concessum est ; vel duo cōtradictoria simul. Committitur ergò hęc fallacia, quando nō seruantur leges contradictionis, quod, quadrupliciter fięri potest, primo, quandò contradictoria non non sunt eiusdem de eodem, v.g. Iuuenis est maior puero & minor Sene, ergò est maior, & minor. Secundo, cùm non sumuntur eadē prędicata, v.g. hæc tabula est duplò maior altera secundùm latitudinē, & nō secūdùm lōgitudinē, ergò simul est, & non est duplo maior. Tertio, cum nō seruatur idē modus v.g. Currit lentè, & non currit velociter: ergò currit, & non currit. Quarto, cùm non seruatur idem tempus, v.g. dormio nocte, & nō dormio die, ergò dormio, & non dormio.

Quinta, est petitionis principij: & committitur, quandò id supponitur, vel assumitur, quod debeat probari: vt si velis porbare, quod

quod Ioannes est filius Camilli, assumas pro medio, quòd Camillus est Pater Ioannis.

Sexta, est non causę, vt causæ & committitur, cum asseritur esse causa alteriùs, cùm tamen non est. v.g. Qui ædificat est causa ędificationis: sed musicus ædificat ergò est causa ędificationis. Argumentum non concludit nam minor est vera solùm in sensu identico, materiali, non formali: Conclusio verò facit sensum formalem, seu causalem, scilicèt quòd musicus ratione formę musicę sit causa ędificandi.

Septima tandem, & vltima fallacia, est plurium interrogationũ, vt vnius. Committitur autem cum arguens petit vnica responsione fieri satis suæ interrogationi multiplici v.g. Si quis interroget. Mel, & fel suntne dulcia; Cui interrogationi duplici, duplicitèr respondendum, affirmando de melle, de felle negando.

Cæ-

Ceterùm pluriès in hac synopsi, plura consultò omisimus, tędij. plurimum, vtilitatis parum Tyroni allatura; eoque vel maximè, quòd hec Adolescenti inscripserimus Principi: Quæ eapropter sufficiant de vniuersa re summulistica, & cedant in Dei gloriam. Romæ apud Sanctum Sixtum, Calendis Augusti, Anno 1658.

SY-

SYNOPSIS LOGICA

In qua quicquid his temporibus in Scholis agitari solet, æqua formalitate, breuitate, & claritate traditur.

AVCTORE

A. R. P. F. IOANNE BAPTISTA HACQVETO, HIBERNO, FIDERDENSI,
Ordinis Prædicatorum.

Iam tertio Ex-Regente, Sacræ Theologiæ Magistro, eiusdemq; olim Mediolani, Neapoli, & hic Romæ ordinario Professore.

CONTROVERSIA I.

Vtrum logica sit primo loco præ alijs scientijs addiscenda?

NOTA 1. logicæ nomen à voce græca logos deriuari, quæ latinè dicitur verbum, sermo, ratio, & huiusmodi, actum intellectus concernentia; quæ etiam dialectica vocatur, à verbo græco dialegomai, quod latine est sermone vti: vnde logicam definimus, quod sit: sermocinalis scientia entium rationis, quæ ad definiendum, diuidendum, & argumentandum, sunt destinata: de qua controuersimus, an 1. loco præ alijs scientijs acquiri debeat. E quibus vna prior est altera vel dignitate, vel generatione, seu acquisitione.

Nota 2. scientias & artes, ratione materiæ diuidi, in eas quæ agũt

de

de rebus, & in eas quæ in sermone versantur. Primæ latè fundűtur vt sunt physica, metaphysica, Theologia &c. Quæ verò versantur in sermone tres sunt; nempè grammatica, Rhetorica, & dialectica. Grammatica agit de sermone congruo, Rhetorica de ornato; & dialectica de vero, vel falso; hystoria autem & poesis quæ etiam in sermone versantur, ad rhetoricam reducuntur; hystoria etenim præclara rerum gestarum commemoratione; & poesis ligatæ orationis suaui numero, flectunt animos, & commouent affectus; quæ oratoriæ sunt propria facultatis.

Nota 3. ratione ordinis scientias & artes diuidi in superiores, & inferiores: superiores eæ sunt quibus aliæ instrumenta præbent, vt v.g. est physica, metaphysica, mathematica, &c. Inferiores verò sunt, quæ superioribus inseruiunt, & instrumenta ministrant, quibus

con-

congruè sua munera exerceant. Hæ autem facultates omnes in septem secantur liberales, totidemq; mechanicas, hoc carmine indicatas.

Lingua, tropus, ratio, numerus, tonus, angulus, astra;
Rus, nemus, arma, faber, vulnera, lana, rates.

Vocum sensus hic est. Lingua grammaticam significat, tropus Rhetoricam, ratio logicam, numerus Arithmeticam, tonus musicam, angulus geometriam, & astra astrologiam: & hæ septem illæ artes sunt, quæ communitèr liberales intitulantur. In 2. autem carmine, artes exprimuntur mechanicæ: Rus enim agriculturam indicat, nemus venatoriam, arma militarem, faber fabrilem, vulnera chyrurgiam, lana textoriam; & rates nauticam. Functiones autem liberalium dictarũ facultatum, his exprimuntur versiculis.

Gram.

Gram. loquitur; dia, vera docet Rhet. verba colocat.
Ma, canit. Ar, numerat. Geo, ponderat: As, colit astra.

Dico 1. necessariò concedenda est logica, quæ doceat modum sciendi, & procedendi in alijs sciẽtijs. Hæc conclusio est concors Scholarum omnium sensus, & probatur. Scibilis est modus aliquis, quo res rectè, & sine errore cognoscatur. Sicut & scibilis est modus rectè pingendi, saltandi &c. Ergò sicut datur ars docens modũ rectè pingendi &c. Etiam dabitur scientia docens modum rectè cognoscendi: sed hæc ab omnibus vocatur logica. Ergò.

Conf. 1. natura non deficit in necessarijs, maximè in ijs quæ ad intelligendum spectant, cùm sint supremi rerum gradus: Sed logica summè est necessaria, vt de rebus sine errore iudicemus; cum enim plures defectus in intelligen-

do sepè contingant, necessaria erit intellectui ars aliqua, siuè sciẽtia qua rectè dirigatur & eius vitia corrigat, & ab erroris liberet periculo: sed hęc non alia est quàm logica, vt per se patet. Ergò.

Conf. 2. experientia videmus eos qui prius difficultèr, & sæpius erroneè discurrebant, postquàm præceptis sunt imbuti logicis, facilitèr, idq; permanentèr, sine errore discurrere, ergò necesse est dari in eorum intellectu aliquam habitualem facultatem, à qua talis facilitas, & mutatio originetur, quam patet esse logicam artificialem.

Dico 2. si loquamur de priori secundùm generationem, & acquisitionem, logica prior est omnibus disciplinis, & priori loco addiscẽda, vna excepta grãmatica. Hæc statuitur contra Iand. & plures ex antiquis variè opinantes, deducitur tamen ex Arist. 2. metaph.

cap.

cap. vlt. eamq; docet, D. Th. super Boet. de Trin. q. 5. a 1. Beat. Alb. Mag. Sot. Nonnesius, Masius, & alij. & probatur 1. nullus artifex breuitèr, & ordinatè, & sine errore absoluit aliquod opus, nisi prius habeat parata instrumenta quibus in opere conficiendo vtatur: ergò neq; ratio vnquàm ita breuitèr & sine errore, & facilè scientiam aliquam comparabit, nisi habeat iam examinatas, atq; in promptu omnes differendi formas; sed has docet logica, & istæ concurrunt vt scientiarum instrumenta; vt per se patet, ergò.

Probatur 2. Quæ omnibus sciẽtijs sunt communia, ante omnia tradenda censentur; sed quæ logica tradit, sunt omnibus scientijs cõmunia, ergo. Maior & consequẽtia patent, & minor probatur, quia in omni scientia reperitur definitio, diuisio, & argumentatio, imo per has acquiruntur; de quibus per

se logica agit, vt docuimus in summulis, & infra dicemus, ergo.

Probatur 3. Prius debet disponi agens ad agendum expeditè, quàm actio ab ipso expeditè procedat: sed intellectus tantùm est agens in acquisitione scientiarum, & logica est dispositio. ergo: maior patet, & minor probatur, quia ipsa est quæ docet ad ignota ex notis procedere; sed hæc est dispositio sciẽdi, cùm in omnibus scientijs ita procedatur. Ergo.

Arg. 1. contra 2. concl. Eũdẽ ordinem obseruant scientiæ inter se, quem obseruant eorum obiecta; sed ens rationis (quod est obiectum logicæ) posterius est ente rei, de quo agunt cæteræ scientiæ cum per eius speciẽ cognoscatur, ergo logica acquisione & generatione posterior erit alijs scientijs.

℞ Negando maiorem: quia obiectũ primæ philosophiæ, quod est deus, & substantiæ separatæ, est

prius

rius obiecto artium mathemati-
arum, quod eſt quantitas, cum-
amen prius ſint tradendæ mathe-
naticæ facultates, quàm metaphi-
ica; neq;enim illa ſciētia eſt priori
radēda loco cuius obiectum præ-
t, ſed ea quę fert præſidium ad a-
ias ſcientias conſequendas, qualis
ſt logica.

Arg. 2. contra eandem. Illa
cientia prima eſt acquiſitione, quę
lijs ſciētijs pricipia tradit, ſed hæc
ſt metaphyſica, non logica, ergo.
Minor patet, quia metaphyſica
git de omni ente, & ſic aget de
rimis principijs quæ entia ſunt,
a q;alijs ſubminiſtrabit ſciētijs. Ma
or autem probatur. Omnis ſciē-
ia debet reducere concluſiones
ſq; ad ſua principia; ergo illa ſci-
entia quæ tradit principia alijs ſci-
entijs eis debebit præſupponi, &
ſic methaphyſica primò erit ac-
quirenda.

℞. Negādo negādo maiorē: licet

enim metaphyca alijs scientijs principia tradat; hoc non obstante, dialectica primò acquirēda erit: metaphysica etenim talia principia ostendit, vel demonstrat, definiendo, syllogizando, argumētando &c. quę cum logici sint muneris, indè erit, vt logica metaphysicæ alijsq; scientijs inseruiat sciendi præbendo modos; non autem ipsa metaphysica, quæ non seruilitèr, & ministratiuè; sed imperiosè & directiuè principia prębet.

Contra. Scientia dirigens debet esse prior directa. Ergo si metaphysica alias scientias dirigit, primò acquirēda erit, & non logica.

℞. Distinguo antecedens: dirigens directione disponente, concedo antecedens: imperante, negatur: methaphysica autèm imperatiuè dirigit, & logica dispositiuè; vnde hęc, & non illa primò acquirenda erit.

Arg.

Arg. 3. Contra eandem. In scientijs à facilioribus est incipiẽdum: Sed logica est omnium sciẽtiarum difficillima, & reliquę scientię sunt clariores. Ergo ab illis, & non à logica est exordiendum. Maior patere videtur; & minor probatur: quantùm obiectum alicuius scientiæ magis habet de entitate, magis etiam habebit de cognoscibilitate: sed obiectum logicæ est minimæ entitatis, vtpote habens esse solùm obiectiuè in intellectu, vt infra docebimus. Ergo.

℞. Negando maiorem; non enim à facilioribus, sed à necessarioribus in scientijs inchoandum erit: vndè licet dialectica sit difficillima, ab ea tamen incipiendum est, eò quòd faciliores scientiæ sine ipsa acquiri nequeant, quę nẽpe per modum sciendi (quem prębet Logica) acquiruntur. Illa autem regula à facilioribus est incipiendum; sic erit exponenda;

nisi ordo doctrinæ aliud exposcat, quælibet verò scientia postulat, addiscentem debere esse prius instructum sciendi modo, quem logica in hoc erudit: Cæterùm in ipsa logica à facilioribus incipiendum erit; quapropter ab instructione summulistica exorditur.

CONTROVERSIA. II.

Vtrùm ars logica sit necessaria simpliciter, ad alias scientias acquirendas, & conseruandas?

NOta 1. Nos in titulo loqui de arte logicę, idest, de logica artificiosa, non de naturali; naturalis enim non est aliud, quàm ipsum lumen naturale vtens discursu, quod quidem non est pura potentia intellectus, sed etiam intellectus cum habitu principiorum, quæ naturalitèr sunt nota. Controuertimus igitur de logica artificiali, nempe ea, quæ in scholis docetur, & discitur.

Nola 2. Nomine scientię posse intelligi, vel scientiam solùm quòad substantiam scientiæ, etiam in statu imperfecto, sicut prima in demonstratione generatur scientia quantùm ad substantiam; id est, lumen conuincens intellectum certò, & euidentèr quòad aliquam conclusionem: vel potest intelligi scientia in statu perfecto scientiæ, & quæ simplicitèr denominet sciétem, & est illa, qua non solùm conuincitur intellectus in aliqua conclusione, sed etiam quæ per se discurrere potest circa eas conclusiones, & veritates, quæ ad plenã notitiam obiecti talis scientiæ spectant; & ab oppositis erroribus, seu impugnationibus se defendere: vtroq; autem modo scientia sumi potest, quando inquiritur de necessitate logicę ad illam acquirendam.

Nota 3. Hic sumi necessarium simpliciter, non pro necessario absolu-

ſoluto, quod ſumitur ex parte alicuius cauſę; intrinſicę, ſiue materiæ; ſiue formę ſicut eſt neceſſariũ hominem eſſe rationalem ex parte formę, & eſſe mortalem, ratione corporis ſeu materię: ſed ſumitur pro neceſſario reſpectiuè, ſeu ad aliud, id eſt, ad finem aliquem conſequendum; & hoc neceſſarium ad finem dicitur dupliciter, vel quod eſt neceſſarium ſimpliciter, vel ſecundùm quid; ſimpliciter, quando requiritur ad ipſum eſſe rei, vel primò acquirendum, vel conſeruandum; ſicut cibus & reſpiratio requiruntur ad conſeruandam vitam hominis. Secundùm quid, quando requiritur ad bene eſſe, id eſt, vel ad aliquod maius commodum, vel maiorem ornatum, non ad ipſum eſſe ſecundùm ſe. Quia ergo nemo dubitat logicam ad minus eſſe vtilem, ſeu neceſſariam ſecundùm quid ad alias ſcientias acquirendas, ſolùm con-

tro-

trouertitur, an sit simpliciter necessaria ad ipsas acquirendas, & conseruandas.

Dico 1. Logica non est necessaria simpliciter, sed tantùm ad melius esse ad acquirendas scientias imperfectè. Hæc statuitur contra sapientiss. Magistrum meum F. Frãciscum de Araujo, primarię Theologorum cathedrę apud Salmanticenses professorem emeritum. Petron. Gallego, & alios. Eam tamen docet Masius, Sanches, Complut. Noster Lisboniensis, & communiter Thomistę. Et probatur 1. Ad acquirendam scientiam sub statu imperfecto, sufficit conficere vnam, aut alteram demonstrationem facilem in qualibet materia illius, vt omnes fatentur, sed ad hoc non est simpliciter necessaria logica. Ergo neq; ad eas sic acquirendas. Probatur minor; quia in scientijs sunt aliquæ conclusiones, ita proximè innitentes princi-

pijs lumine naturali notis: ex quibus adeò euidenter & facilè sequitur conclusio, vt explicatis terminis, nullo negotio tales demonstrationes conficiamus. Et ex alia parte ad cognoscendam bonitatẽ illationis sic per se manifestæ, sufficit naturalis logica, vt per se patet. Ergo ad acquirendas imperfectè scientias, logica non est simpliciter necessaria.

Probatur 2. Logica non requiritur ad alias scientias, nisi tanquã ars, & instrumentum acquirendi illas, sed effectus artis non ita dependet ab arte, vt non possit aliquo modo saltem imperfectè, fieri sine illa: ergo scientię in esse imperfecto poterunt sine logica acquiri. Maior ex se patet, & ex sequentibus controuersijs ampliùs constabit. Minor autem probatur, quia vt dicit Arist. 9. Metaph. tex. 7. Addiscens artem operatur actionem artis sine arte. Et ratio est,

eſt , quia ſi ita non eſſet , non poſſent ipſæ artes , & ſcientiæ noſtris actibus acquiri ; nam ſaltem illi primi actus quibus acquiruntur, non poſſunt ab arte procedere ſiquidem generant illam. Ergo ſimilitèr aliquæ demonſtrationes non pendent neceſſariò a logica ſaltem quæ generant primam demonſtrationem logicæ, licet enim illæ demonſtrationes non ſint ſine logica generata per illas,non tamẽ ad illas requiritur ars logicæ , ſed ex illis procedit: & ſi demonſtratio fiat in materia alterius ſcientiæ , poteſt percipi,& cõuincere intellectum hominis nondum habentis logicam & tunc acquiret quidem habitum ſcientiæ , ad quam pertinet illa demonſtratio , ſiquidem conuincitur certò & euidentèr in illa materia ; ſed non acquirit habitum logicæ , quia de eius præceptis tunc non edocetur . Ergo acquiret habitum alterius ſcientiæ

tiæ saltèm in esse imperfecto.

Dico 2. Logica est simplicitèr necessaria ad acquirendas scientias in statu perfecto. Hęc statuitur cõtra Conimb. Iand. Fons. Et alios ex nouellis. Colligitur tamen ex S. D. opusc. 70. q. vltima. a. 1. ad. 3. quem sequuntur citati pro nobis in præcedenti conclusione, & communitèr logici, tam nostri, quam exteri, & probatur 1. Nuda potẽtia intellectus sine arte adiuta; non potest cognoscerè omnes defectus consequentiarum, & scientificè attingere bonitatem cuiuscumque consequentiæ, cum multæ non sint notæ ex ipsis terminis, solo lumine naturali, sed per discursum colligantur; multa etiam quæ pertinent ad cognitionem propositionum per se, & necessariæ connexionis, pendent ex principijs, & præceptis artis logicæ, sicut ex notitia prædicamentorũ, in quibus prædicata essentialia dispo-

diſponuntur; & prædicabilium, in quibus traduntur modi prædicandi eſſentialitèr, vel accidentalitèr; & ex notitia modorum per ſe, & de omni, & alijs quę traduntur in libris priorum, & poſteriorum, ex quibus pendet diſcretio materiæ neceſſariæ, vel contingentis, conſequentiæ legitimæ, vel defectibilis: ergo non poteſt intellectus peruenire ad ſtatũ perfectum ſcientiæ, in quo omnes errores iſtos euitet, & ad diuerſas concluſiones ſuas ſe extendat, niſi ſit perfectus per aliquod principiũ ſibi ſuperadditum, quod talem artificioſum procedendi modum demonſtret, quod præſtatur à logica.

Conf. experientia. Nullum vidimus abſq;logica in alijs ſcientijs conſummatum euaſiſſe, cùm tamen ſolius dialecticæ ope abſque alio magiſtro nonnulli ſcientias perfectè comparauerint, vt inter alios

alios de S Aug. refertur. Econtra verò ob logicæ imperitiam veteres philosophos turpiter errasse patet. Ergo logica est simplicitèr necessaria ad scientias perfectè acquirendas; quapropter diximus in superiori Controuersia ante eas eam tradi debere.

Probatur 2. Omnes scientiæ acquiruntur per definitiones, & argumentationes, quia in omni demonstratione que syllogismus est, demoonstratur propria passio de subiecto qper eius definitionem: vnde vt quis construat demonstrationem, est necessarium vt sciat argumentari, definire, & diuidere. Isidem quid sit propria passio, quid syllogismus, & quid demonstratio: sed hæc sola logica docet. Ergo ad alias scientias saltem in esse perfecto, simpliciter est necessaria.

Probatur 3. Ad operandum vnum actum, vel duos virtutis, non est necessaria prudentia; sed ad ope-

operandum ſemper opera virtutis eſt neceſſaria tanquam præſcribẽs medium, nam vnum actum, vel duos virtutis poteſt ipſa ratio per ſynderesin operari: Cæterùm ad operandum opera virtutum ſemper, facilè, promptè, & delectabilitèr, eſt neceſſarius habitus prudentię: ergo hoc ipſum erit dicendum de ſcientiarum acquiſitione reſpectu logicæ, quę neceſſaria eſt ad eas.

Dico 3. Non poſſunt conſeruari ſcientię ſine adiuuamine logicę. Hæc eſt S.D.opuſc.70. Loco citato, quem ſequuntur communitèr philoſophi, & probatur Omnis ſcientia dependet in fieri, & produci à logica; ergo etiam dependet in conſeruari. Patet conſequentia, quia ideo formę materiales depẽdent in conſeruari à materia, quia ab ipſa in fieri dependent. Et antecedens probatur, quia omnes ſcientiæ fuerunt productę per demon-

mōstrationē, sed dispositio demonstrationis essētialitèr pertitinet ad logicā; ergo in fieri depēdet à logica, ac per consequēs in conseruari.

Arg. 1 Contra 1. Concl. Scientia etiam in esse imperfecto acquisita est vera scientia, sicut animal imperfectum est verum animal: Sed non potest acquiri vera scientia sine logica; ergo neq; etiam scientia quantũuis imperfecta: maior & cōsequētia patent, & minor probatur. Logica est velùt quędam causa vniuersalis respectu omniũ scientiarum, & actuum earum; sed causa vniuersalis requiritur simpliciter ad omnem operationem causæ inferioris, sicut deficiente motu cęli, deficerent omnes inferiores motus; ergo logica ad omnem artificialem demonstrationē simpliciter, id est, omnibus modis requiritur: & si quę demonstrationes fiunt sine illa, artificiosę non erunt, nec vsq; ad prima princi-

pia resolutæ, & sic requiretur ad scientias etiam in esse imperfecto.

℞ Negando minorem, ad prob. dico, quòd logica non est causa vniuersalis per se primò, sed tanquàm instrumentum coadiuuans agēs pricipale, quod est intellectus, ipse enim est causa vniuersalis respectu suorum actuum: causa autem instrumentalis vniuersalis, non est ita simplicitèr necessaria, ita vt sine ipsa nullus effectus artis fieri possit, præsertim quando tale instrumentum virtualitèr continetur in ipsa causa principali, & ex eius principijs deducitur, vnde loco illius causa principalis potest supplere defectum artis, & facere effectum artis sine arte. Cælum autem non est causa per modum artis & instrumenti, sed est causa principalis, & vniuersalis, licet ab alia superiori mota.

6 Arg. 2 contra 2. concl. Multæ demōstrationes fieri posśūt sine logica;

gica; ergo non requiritur ad esse scientiæ, etiam pro statu perfecto. Consequentia patet, & antecedēs probatur, quia possunt multæ conclusiones in aliqua scientia demonstrari per quatuor modos primæ figuræ, qui ipso lumine naturali sunt noti, & non per discursum artis logicæ, cum ad illos vt ad principia cæteri modi reducantur; ergo non requiritur logica ad ipsum esse scientiæ, etiam vt extēditur ad plures conclusiones, quod est in esse perfecto.

℞ Negando antecedens; nàm qui demonstrationes format sine logica, semper dicitur habere scientiam in statu imperfecto, quia sine logica non potest ita ordinare, & disponere plures materias, & conclusiones alicuius scientiæ vt omnes collectiuè sumptas, & coordinatè reducat ad primos modos syllogizandi. Imo ad hoc prestandum oportet esse perfectissimè

in

in ſcientia exercitatum , & maximè callere logicæ precepta , eſto plures diuiſiuè poſſit in illis primis modis diſponere , & ordinare , quod tamen non extrahit ſcientiam à ſtatu imperfecto, & infirmo.

Arg. tertiò Contra eandem. Logica eſt neceſſaria ad alias ſcientias : ergo ad ſeipſam erit neceſſaria : ſed conſequens videtur falſum. Ergo. Conſequentia probatur, quia ipſa eſt ſciētia; vnde ſequitur quòd ipſa logica non poſſit acquiri ſine ſe ipſa, & ita quod preſupponat ſe ad ſui generationem , quòd eſt impoſſibile , quia ſi eſt iam , non generatur , & ſi non , preſupponit ſe ad ſui generationē , ergo non eſt neceſſaria ad ſe ipſam tanquam inſtrumentum , & ſic nec ad alias ſcientias .

℞ Negando conſequentiam : nam quando dicimus logicam neceſſariam eſſe ad ſcientias comparandas , intelligendum eſt ad alias

a ſe

à se ipsa; quemadmodum quando dicimus omne ens esse creatum à Deo; intelligi debet, omne ens præter Deum.

℞ 2. Concedendo consequentiam, & dico logicam posse sumi, vel secundùm se totam, vel secundùm aliquam partem: si 1. modo sumatur, non est necessaria ad se ipsam, sic enim esset se ipsa prior: si vero 2. modo sumatur, necessaria est ad se ipsam assequendam: Isagoge etenim Porphyrij necessaria est ad prędicamenta, & hęc ad libros de Interpr. & hi ad libros de priori, & posteriori resolutione, vt per se patet.

Arg. 4. Contra eandem. Logica est habitus naturalis; ergo sine illa possunt scientię, etiam in statu perfecto acquiri. Antecedens patet, & consequentia probatur, quia in hoc distinguntur habitus, & potentię, quod potentiæ dantur ad simplicitèr operandum, ita vt

sine

fine illis nullo modo possit haberi aliqua operatio; habitus verò naturalis non datur ad operandum simplicitèr, ita vt sine illa nequeat haberi operatio, sed solùm requiretur ad facilius operandum, nempè vt facilius possit operari potentia, & sic logica non erit simplicitèr necessaria ad alias scientias perfectas, sed solùm secundùm quid.

℞. Negando consequentiam: ad prob. dico, quod cognitio scientifica duo dicit, scilicet actum cognitionis, & modùm quendam ipsius, scilicet quòd sit cognitio non qualiscunq; sed scientifica; licet ergo sine habitu possit intellectus habere suam operationem quantùm ad substantiam, & cognoscere quamcumq; rem, non tamen sine habitu potest cognoscere cum tali modo, scilicet sciẽtificè, sed ad hoc simplicitèr est necessarius habitus logicæ, qui quã-

tùm

tùm ad hoc, ob sui necessitatem, æquiparatur potentiæ.

Arg. 5 contra 3. concl. Nulla scientia dependet secundùm propriam rationem formalem in fieri à logica. Ergo neq; in conseruari. Consequentia patet, & antecedēs probatur, quælibet scientia habet suam propriam rationem formalē, per quam distinguitur essentialitèr & specificè à qualibet alia scientia, ergo.

℞. Negando antecedens: ad prob. dico, quamlibet scientiam habere suam rationem formalem intrinsecam, non communicatam à logica; cæterùm logica tribuit aliquam rationem formalem extrinsecam, puta modum definiendi, diuidendi &c. In quo omnes scientiæ à logica dependent.

CON-

CONTROVESIA. III.

Vtrùm logica sit dignor alijs scientijs?

DIco, logicam nullatenùs esse digniorem alijs scientijs. Hæc est communis scholarum sensus, & probatur dignitas scientiæ sumitur ex nobilitate obiecti, sed obiectū logicæ non est dignius, seu perfectius obiectis aliarum scientiarum. Ergo nec ipsa est prior alijs dignitate: maior & consequentia patet, & minor probatur. Obiectum logicæ est ens rationis, minimæ quidem entitatis, & analogatum minus principale in ente, respectu entis realis, & rationis. Ergo est minus perfectum, quam obiecta aliarum scientiarum, quæ sunt entia realia.

Arg. 1. Logica perficit discursum in philosophia, & alijs scientijs

tijs, nullus enim poteſt philoſophari, niſi formam & figuram ſyllogiſmi à logica accipiat, & ſic aliarum ſcientiarum diſcurſus perficit. Ergo eſt perfectior illis, patet hæc conſequentia, quia perficiens vt ſic pefectius eſt perfecto, ſeu eo quod perficitur ab illo: ergo.

℞. Diſtinguo antecedens: perficit intrinſicè; nego antecedens; extrinſicè, concedo antecedens: logica enim ſolùm perficit extrinſicè diſcurſus aliarum ſcientiarum, eo modo quo charitas perficit actus fidei, & aliarum virtutum, ſcilicet regulatiuè, & directiuè; abſq; eo quod ſit forma intrinſeca earũ.

℞. 2 Diſtinguo conſequens: eſt perfectior ſecundùm quid, concedo conſequentiam; ſimplicitèr negatur conſequentia: ſolùm enim ſequitur, logicam eſſe perfectionem ſecundùm quid, & non ſimplicitèr, ſicut accidés reſpectu ſubſtantiæ quam perficit, perfectius

est secundùm quid, & substantia simplicitèr perfectior.

Arg. 2. Logica est vniuocè sciētia cum alijs, ergo obiectum eius est vniuocè scibile cum obiectis aliarum scientiarum; ergo ipsa logica est æquè digna ac aliæ scientiæ. Antecedens patet; quia logica simplicitèr est scientia. Consequentia etiā prima liquet, quia obiectū scientię simplicitèr, debet esse simplicitèr scibile, & consequentèr vniuocè cum alijs; secunda verò constat, quia dignitas scientiæ desumitur ab obiecto.

℞. Negando secundam consequentiam; licet enim obiectum logicæ in ratione communi scibilis sit æq; perfectum cùm alijs scibilibus; cæterùm in ratione differentiali est omnium imperfectissimum; quia secundùm rationem differentialem est tale scibile, fundatum in minima entitate.

Arg. 3. Logica est scientia specu-

latiua, vt dicemus infra; ergo est perfectior scientijs practicis, & sic non erit omnibu ignobilior. Probatur consequentia, quia perfectius est propter se quæri, vt quęruntur speculatiuę; quàm propter aliud, nempè propter opus, vt quæruntur practicæ, ergo.

℟. Negando consequentiam: ad prob. dico, scientiam speculatiuam esse perfectiorem practica, quando cætera sunt paria, quia modus procedendi speculatiuo, & resolutiuo modo, est perfectior modo operatiuo scientiæ practicæ; hic autèm cætera non sunt paria propter inæqualitatem obiectorum scientiæ practicæ, & logicæ; Verũ tamèn est quod logica in suo modo procedendi est perfectior secundũ quid, quàm scientia practica, non tamen simplicitèr, quia hæc perfectio sumitur ab obiecto.

CON.

CONTROVERSIA. IV.

Vtrum logica congruè diuidatur in docentem, & vtentem?

NOta, Logicam quam Græci appellarunt rebus concretã, eam latinos vocasse vtentem; & quam illi à rebus auulsam nominarunt, hanc nostri docentem nominant: vnde diuisio qua illi logicam secant in logicam rebus concretam, & à rebus auulsam, eadẽ omnino est cum ea diuisione, qua latini logicam in vtentem & docẽtem partiuntur. Logica igitur docens est, quatenus scientificè docet regulas dirigendi intellectum: vtens verò, quatenus executioni eas tradit. v.g. logica primò dictat ad constitutionẽ syllogismi in Barbara debere taliter inter se dispo- ni terminos secundùm regulas sũmulisticas: deinde verò per actũ-

a tali doctrina distinctum, conficit logica syllogismum, iuxta regulas præscriptas: eadem igitur logica prout præscribit regulas, & docet conficere syllogismum, dicitur docens, & prout regulis præscriptis vtitur, & talem syllogismum conficit dicitur vtens. Vnde patet, quòd vtens hic actiuè sumitur; nā passiuè etiam ipsa docens potest vtens dici; cùm & ea aliæ scientiæ vtantur.

Dico 1. Logica congrue & optimè diuisa est in docentem, & vtentem. Hęc statuitur contra Grachium Nunesium, & alios ex modernis: eam tamen docet S.D. 4: metaph. lec. 4. Albert. Mag. Scotus. Quos secuuntur concorditer discipuli vtriusq; scholæ, & probatur 1. In logica dantur præcepta, & datur quoq; vsus eorundem præceptorum, tàm intra, quàm extra ipsam; sed ars illa quæ tradit præcepta dicitur docens; executio verò

rò prçceptorum dicitur vſus illius artis, vt iam diximus, ergo congrua eſt diuiſio logicę in docentē, & vteſitem.

Probatur 2. Omnes artes tam ingenuę, quam męchanicæ, habēt doctrinam & vſum: etenim ex ingenuis muſica & Arithmetica ſuam habent doctrinam in prçceptis conſtitutam; habent etiam vſum talium prçceptorum. Ex mechanicis verò domificatiua, & ſutoria, habent etiam ſua prçcepta, & inſuper ſuorum prçceptorum vſum; ſed quod alijs ſcientijs, & artibus, tàm ingenuis, quam męchanicis conceditur, non eſt logicę denegandum, ergo logica optimè diuidetur in docentem, & vtentem.

Dico 2. Pars topica logicę eſt etiam diuidenda iu docentem & vtentem. Hęc ſtatuitur contra Scalig. eſt tamen communis logicorū ſenſus, & probatur. Illa facultas

quæ diſputat de rebus omnibus prȩter prȩcepta, habet etiam vsū, ſed logica (ſumpta pro parte topica) diſputat de rebus omnibus: ergo præter prȩcepta habebit etiam vſum: maior patet, & minor probatur; res omnes ſunt materia communis logicȩ; non enim habet materiam certam circa quam versetur, ſed ſeſe per omnium rerum genera diffundit, ex Ariſt. l. 1. de demonſt.cap. 8. ſed facultas illa cũi ſubiectȩ ſunt res omnes, de omnibus etiam diſputabit, ergo.

Dico 3. etiam quòad partem analiticam diuiditur logica in docentem, & vtentem. Hȩc ſtatuitur contra Conimb. Fons. Compl. & alios. Eam tamen docet D. T. 1. poſt. lec. 1. quem ſequitur Petron. Mas. lisbon. Et communiter logici, & probatur. Non eſt maior ratio, ob quam pars topica diuidi debeat, in docentem & vtentem, & non Analitica: ſed pars

topi-

topica ita est diuisa, vt iam diximus, ergò. Probatur maior, pars topica ex eo diuiditur in docentē & vtentem, quia tradit præcepta de re qualibet probabilitèr disputandi, illaq; cuilibet quæstioni probabili applicat; sed Analytica tradit præcepta disputandi ex necessarijs, & hanc formam disputandi applicat cuilibet materiæ necessariæ: demonstratio etenim non minus exigit structuram syllogismi, & bonitatem consequentiæ, regulatam secundùm regulas, & principia logicæ, quàm reliqui syllogismi probabiles, vnde dependet ex regulis logicæ, tàm ex parte formę, quæ regulatur per dici de omni, & dici de nullo; quàm ex parte materiæ, quia demonstratio debet vti propositionibus necessarijs, & per se; ergo sicut pars topica diuiditur in docentem & vtentem, sic & analytica diuidetur.

Dico 4. Logica vtens, non so-

lùm in ipsâ logica, sed etiam extra illam vtitur suis præceptis. Id est, definit, diuidit, & argumentatur de rebus omnibus ratione formæ, & sic vsus logicæ in alijs scientijs est vsus actiuus, disponens materiam alienæ scientiæ in forma & figura syllogistica. Hæc conclusio statuitur contra Cabero, Merinero, & alios Iuniores; est tamen communior, & probatur 1. Artes generales disputant de rebus omnibus, cum non versentur in certa, & determinata materia; sed dialectica est ars generalis, & vniuersa; ergo disputabit de rebus omnibus. Maior patet, & minor probatur ex Arist. 4. metaph. cap. 2. docente, dialecticum, metaphysicum, & sophistam, esse generales artifices. Tum etiam quia metaphysica ex eo dicta est ars vniuersa, quia eius obiectum sese diffundit per omnia rerum genera; sed ens rationis, quod est obiectum

logi-

logicæ, per omnia etiam rerum genera se diffundit, cùm nulla sit res, quę non possit esse subiectum, vel prędicatum, &c. Quæ sunt entia rationis. Insuper logica omnibus artibus communia instrumenta præbet, quod solius generalis artis est munus, ergo.

Probatur 2. Quælibet facultas, ars, vel habitus, versari potest circa eam rem, in qua reperitur eius formale obiectum, vt de se patet: sed ens rationis (de quo agit logica) reperitur in rebus omnibus, quia res omnes affici possunt secũda intentione logica, ergo &c.

Probatur 3. Medicus, vel quilibet alius artifex, non disputat ea ratione, qua medicus est, quia medicina non præbet disputandi præcepta; ergo disputat qùa logicus est; sed quod pręstat medicus, quà logicus, dicendum est pręstare logicum; ergo logicus est qui vtitur suis præceptis in alijs arti-

tibus, & disciplinis, & ita logica erit vtens actiuè in ipsis.

Arg. 1. contra 1. concl. Metaphysica incongruè diuiditur in docentem, & vtentem, ergo idem de logica: antecedens patet, & consequẽtia probatur, sicut logica dicitur vtens, quia ipsius regulis alię scientiæ vtuntur, vel quia vtitur regulis suis in alijs scientijs; & dicitur docens, quia speculatur ea quæ ad sciendũ sunt necessaria; ita pariter principijs metaphysicis vtuntur alię sciẽtiæ, & insuper ipsa suũ speculatur obiectum, ergo si metaphysica non congruè diuiditur in vtentem, & docentem, neq; logica congrnè diuidetur, cum par sit vtriusq; ratio.

℞. Negando consequentiam: ad prob. dico, longum esse discrimen, quia metaphysica est maximè scientia, & perfectissima omnium, vt dicemns in synopsi metaphysica: vnde licet eius principia

in

in alijs ſcientijs reperiantur, his tamen non dicuntur vti, ſed ab illis potiùs adiuuari, vt ſuas probent concluſiones. Cęterùm logica cùm ſit ſcientiarum omnium imperfectiſſima, & ad omnes alias ſcientias capeſſendas ordinetur, meritò dicitur vtens; nam vti propriè eſt ordinare aliquid in finem alterius, & applicare rem propter aliquid aliud vlteriùs obtinendum: hęc enim eſt inſtrumentorum natura, quòd agant ab alio applicata, & ad aliquid vlterius obtinendum: vndè vtriuſque longè diſpar ratio.

Arg 2 contra 3. concl. Ex D.T. 4. metaph. lec. 4 In parte logicę quę dicitur demonſtratiua, ſola doctrina pertinet ad logicam, vſus verò ad phyſicam, & ad alias ſcientias particulares, pars autem logicę tentatiua, & ſophiſtica habent doctrinam, & vſum, ergo ex mente S. D. pars demonſtratiua non eſt vtens. R.

℞. Ad antecedens dicendo, S.D. loqui de vsu quo ex principiis logicis proceditur probabilitèr in aliis scientiis, quod vtiq; parti demonstratiuę non conuenit, vt docet 1. post. lec. 20. non autem loqui de vsu, quo ipsam formam syllogisticam, & modum artificialem præbet aliis scientiis, quod etiam conuenit parti demonstratiuæ: vndè negatur consequentia.

Arg. 3. contra 4. concl. In alijs artibus, vnus artifex conficit instrumenta, & alius eis vtitur; vt faber ferrarius malleum, vel serram conficit, cuius vsum fabro lignario committit, ergo pari modo dicendum erit, quòd dialectica conficiet sciendi modos & instrumenta, & eorum vsum alijs commendabit scientiis, vt ea suæ materiæ applicent.

℞. Negando consequentiam; discrimen est inter logicam, & alias artes, quia cum aliæ sint priuatę,

uatæ, tantùm in determinata versabuntur materia; quę si fuerint instrumentariæ, instrumenta conficient, quorum tamen vsum, alijs committent: logica verò generalis est ars; vndè se diffundit per omnia rerum genera, neq; versatur, vt vtens est in certa aliqua materia: Quæ cùm sit instrumentaria, & generalis; ea parte qua est instrumentaria, instrumenta conficiet, ea verò qua generalis, vtetur eisdem ratione formæ, in omnibus alijs scientijs.

CONTROVERSIA V.

Quomodo distinguantur logica docens, & vtens?

NOta, quòd distinctio est duplex; alia realis; & est illa quæ reperitur in rebus independentèr à consideratione intellectus: Alia rationis; nempe, illa quæ fit per ope-

operationem intellectus. Distinctio autem realis est duplex; tanquàm res à re, quæ vocatur entitatiua, & est illa quæ reperitur inter duas res distinctas, vt distinctio quę est inter Pet. & Paulum. Alia est distinctio realis formalis; & est, quando vna & eadem entitas, habet plures rationes formales, quæ à parte rei distinguntur, & quibus conueniunt diuersæ definitiones, & hoc modo distinguntur actio & passio, quia licet idem motus sit actio & passio tamē secūdùm diuersas formalitates habet quod sit actio, & passio. Distinctio rationis etiam est duplex; alia rationis ratiocinātis, & est illa quę fit ab intellectu absq; aliquo fūdamēto in re, vt quādo considerat eandem rem, vt distinctam à se ipsa, vt Petrum à seipso. Alia est rationis ratiocinatę; & est illa quę fit ab intellectu cum aliquo fundamento in re, vt distinctio

quæ

quæ est inter hominem & animal.

Dico 1. Logicam docentem & vtentem non distingui realitèr entitatiuè. Hęc statuitur contra Vasq; & alios ex modernis; eam taēn docet M. Arau. Fland. Sotus. Mas. Compl. lisbon. Nauarrete, Sanchez, Gallego & concorditer Schola Angelica, & probatur 1. habitus ponuntur solùm ad vincendas difficultates potentiæ, ergo quandò non est noua difficultas circa aliquem actum, non debet poni nouus habitus circa illum; sed per illum habitum quo quis cognoscit naturam definitionis, syllogismi, &c. & quibus partibus debeant constare, vincitur tota difficultas quę poterat esse circa constructionem harum rerum, ergo non debet poni alius habitus. Antecedens admittitur ab omnibus, & 1. consequentia de se patet: minor autem subsumpta probatur: quia qui habet artem musicę,

re

vel qui cytharizat, ex eisdem præceptis artis potest digitos applicare ad quodcumq; instrumentum, qood sibi offeratur; quòd si digitos mouere non potest, aut non ita expeditè, ad hanc difficultatē vincendam non indiget noua arte, sed exercitatione corporali, aut aliquo quo tollatur prędictum impedimentum, & ità qui expeditiùs mouet digitos non generat nouam artem, sed impedimentum exercitij eius tollit: ergo sic intellectus quando excercetur in syllogizando circa diuersas materias, vel scientias, non acquirit nouam artem, seu habitum diuersum ab ipsa doctrina logicę, sed expeditiorem vsum.

Conf. Actus logicę docentis, & vtentis habent inter se ordinem; & secundus, scilicet vti, nullam addit difficultatem super 1. ergo pertinent ad vnum & eundem habitnm. Probatur consequentia in

in actibus amoris circa Deum & proximum, qui ideo oriuntur ab eodem habitu charitatis. Et antecedens probatur, quia quando duo actus se habēt consequentèr, talitèr quòd vnùs necessariò præsupponat aliū, & sequatur ad illū, non debent poni diuersi habitus circa illos, vt per se patet, ergo &c.

Probatur 2. Logica docens & vtens non distinguntur specie, ergo in vnoquoq; intellectu sunt realitèr entitatiuè idem habitus. Consequentia patet, quia in eodem intellectu non possunt esse plura accidentia solo numero distincta, vt docebimus in metaphysica Antecedens verò probatur. Illi habitus non sunt distincti specie, quorum idem est formale obiectum; vel quorum est eadem ratio formalis quę, & sub qua; sed logicæ docentis, & vtentis, est eadem ratio quæ, & sub qua, ergo. Maior patent, & minor probatur. Ratio formalis quę lo-

logicæ docentis est entitas rationis, vt infra dicemus: Ratio verò formalis sub qua, est abstractio ab omni materia, tam sensibili, quam intelligibili, vt etiam infra patebit: Sed hęc vtraq; ratio, est etiam ratio logicę vtentis: Nam imprimis si hæc permiscetur cùm alijs scientijs, ex eo est, quia in ipsarum obiectis, aliqua entitas rationis collucet: deinde circa hanc rationem versatur vt auulsam ab omni materia, vt patet, ergo.

Dico 2. Logica docens & vtens, neq; distinguntur realitèr formalitèr. Hęc statuitur contra Sanchez & alios, est tamen communior inter Thomistas, & probatur. Per habitum logicę, vt docet speculatiuè naturam rerum, de quibus agitur, vel vincitur difficultas quæ est in constructione illarum? Vel non vincitur? Si non vincitur? Ergo ad vincendum talem difficultatem debet poni

talis

talis habitus entitatiuè distinctus, vt contingit quotiescumq;est noua difficultas. Si autèm vincitur talis difficultas. ergo impertinentèr, & sine necessitate, ponitur secunda formalitas illius habitus.

Dico 3. Logica docens & vtens distinguntur ratione ratiocinata, hæc est omnium quos pro nobis adduximus in 1. concl. Vno excepto Sanchez, & probatur. Quia licet idem habitus adęquatè & formalitèr habeat cognoscere res de quibus agit logicus, & construere illas, tamen quia isti actus sunt distincti, ideò in illo habitu est fundamentum, vt nos cognoscamus ipsum inadęquatè, vt est principium diuersorum actuum, & vt diuidamus illum per nostrum intellectum in duas partes, & vt consideremus quòd ratione primæ partis respicit cognitionem rerum, & ratione 2. partis respicit constructionem earundem rerum, ergo logi-

logica docens & vtens distinguntur ratione ratiocinata.

Arg. 1. contra primam concl. Cognoscere speculatiuè naturam syllogismi, & in exercitio illum construere, sunt actus quidditatiuè distincti, ergo etiam habitus à quibus proueniunt, debent distingui; sed primus actus prouenit à logica docente, secundus verò ab vtente, ergo.

℞. Negando consequentiam; vnus enim habitus optimè potest habere plures actus distinctos materialitèr, & entitatiuè; & licet, quandò sunt plures actus formalitèr distincti, requirantur plures habitûs, ex hoc tamen quòd sint plures actus entitatiuè, & materialitèr distincti, (qualitèr in pręsenti euenit) non sequitur quòd debeant esse plures habitus. Vnicus enim habitus secundùm rem, potest habere plures actus realitèr distinctos, & maximè si vnus

ex

ex alio oriatur, vt patet in dilectione Dei, & proximi, qui actus ab vno habitu charitatis procedunt. Et insuper eadem intellectiua potentia, secundùm rem vna, plures habet actus realitèr distinctos, vt cognitionem cum discursu, & sine discursu; non secùs ac ab eodem calore solis, promanãt duæ actiones reipsa distinctæ, nempè induratio luti, & liquefactio ceræ.

Arg. 2. Contra eandem: non sufficit idem habitus vt speculatiuè cognoscamus naturam definitionis, & aliarum rerum, & vt in exercstio ista fiant, ergo logica docens & vtens, non sunt idem habitus. Consequentia patet, & antecedens, probatur non sufficit idem habitus vt speculatiuè cognoscamus naturam domus, & vt in exercitio construamus illam, ergo similitèr non sufficit idem habitus vt speculatiuè cognoscamus

mus ea de quibus in logica agimus, & vt in exercitio possimus illa construere.

℞. Negando antecedens: ad eius prob. nego consequentiam, quia adhuc cognita speculatiuè natura domus, est magna difficultas in eius constructione: at verò cognitis naturis rerum, de quibus in logica agitur, nulla est difficultas in illarum constructione, quia tales res sicùt cognoscuntur per intellectum, ita etiam fiunt per intellectum, & quia tota difficultas quæ est in intellectu vincitur per habitum qui docet naturas rerum earum, ideo ad illarum constructionem, non requiritur alius habitus. At verò licet per intellectum cognoscamus naturam domus, constructio tamē illius fit per alias potentias, in quibus est magna difficultas, in ordine ad talem constructionem; & quia istæ potentiæ debent moueri ad suas operatio-

nes

nes pec intellectum, ideo requiritur in illo aliquis habitus practicus, quo cognoſcat domum modo operabili, & mediante quo dirigat potentias exteriores ad illius conſtructionem; & ſine tali habitu ex parte ipſius intellectus eſt magna difficultas ad iudicandum quomodo ſit facienda domus; & quomodo debent moueri potentiæ ad conſtructionem eius.

Arg. 3. Contra eandem Actus vtentis multiplicati generant aliquem habitum; ſed non logicæ docentis; quia non ſunt actus ſcientifici, & ſic non generant, neq; augent ſcientiam. ergo alium diſtinctum à docente.

℞. Negando maiorem; actus enim logicæ vtentis ſolùm generant quandam facilitatem per modum diſpoſitionis, & expeditionis in applicatione materiæ; non per modum nouæ artis, ſeu habitus; quia

quia, habitus generatur de nouo, vel crescit, non per quoscunque actus, sed per illos qui ipsam specificam rationem, & formale motiuum habitus per se attingunt, non qui secundariò consequuntur, vel dispositiuè se habent tantùm, eò quòd habitus non generatur de nouo, aut crescit, nisi secundùm substantialem, & formalem rationem suam, aliæ verò formalitates accessoriæ sunt. Sic ergo actus secundarij & imperfecti, etiamsi frequentati, non generant nouum habitum perfectum, qualis est scientia, sed aliquid imperfectum in genere habitus, quod est quasi dispositio, seu expeditio quędam in ipso exercitio artis; & sic euenit in præsenti.

Arg. 4. cōtra eādē Silogica docēs & vtēs essēt vnus & idē habitus, darentur duæ conradictoriæ simul veræ: sed hoc implicat, ergo. Probatur maior. Hæ sunt contradi-
ctoriæ,

ctorię; logica est scientia, logica non est scientia; sed si docens & vtens essent idem habitus, ambæ essent verę; nam verum est, docentem esse scientiam, & verum etiam, vtentem non esse scientiam, vt infra docebimus, ergo, &c.

Conf. Logica docens procedit modo resolutiuo, & speculatiuo; sed vtens non procedit modo resolutiuo, aut speculatiuo, sed applicatiuo, & compositiuo. Ergo prædicata contradictoria verificantur de eodem habitu.

Resp. Ad Arg. negando maiorem: ad prob. dico, illas duas non esse contradicentes, quia non sunt de eodem, respectu eiusdem, & eodem modo sumptæ; quia hæc 1. Logica est scientia, vera est de Logica docente; 2. verò, id est, logica non est scientia, verificatur de logica, qua ratione est vtens; vnde tales propositiones non sunt

de eodem ſecundùm idem, & ſic non contradicunt.

Ad Conſ. negatur minor; vt ens enim non procedit modo compoſitiuo ex parte regularum, & principiorum, quibus vtitur, hæc enim ſunt ipſa principia logicæ docentis, ſed ſolùm applicat illas regulas determinatæ materię, vt ſpeculatio ipſa rectè ordinetur. Quod autem modus ipſe ſpeculationis applicetur diuerſis materijs, non induit rationem practici, quia quod applicatur ſpeculatio eſt.

Arg. 5. Contra eandem habitus diſtinguntur realitèr ex finium proximorum diuerſitate, ſed diuerſus eſt finis logicæ docentis, & vtentis, ergo, maior patet in equeſtri, frænifactiua, & militari, qui habitus penes diuerſos fines proximos realitèr diſtinguntur: minor vero probatur, finis docentis eſt ſpeculatio proprij obiecti;

iecti ; & finis vtentis construere syllogismos : ergo.

℞. Distinguendo maiorem ; si fines proximi ita se habeant , vt vnus sine difficultate ex alio oriatur , nego maiorem; Si verò alitèr se habeant , vt patet in exemplo argumenti , concedo maiorem : in nostro autem casu , finis proximus logicæ vtentis , sine difficultate oritur ex fine docentis , vt explicatum est .

CONTROVERSIA VI.

Vtrum logica docens sit Scientia?

NOta nomine scientiæ intelligi habitum per demonstrationem acquisitum, & ad demonstrationem inclinantem ; demonstratio autem , vt infra docebimus, certam & euidentem probationem alicuius veritatis importat , quæ certitudo , & euidentia ,

 licet

licet requirat resolutionem vsq;ad prima principia, quæ fortè in paucissimis inuenitur, & circa paucas materias: hoc tamen non est ex defectu scientiæ, sed ex defectu scientium, plures enim solùm sciunt scientia imperfecta, & quasi subalternata, quia credunt principia ab alia scientia tradita, potiùs quàm in illa resoluant.

Dico 1. Logicam docentem verè, propriè, & simpliciter esse scientiam. Hæc statuitur contra Ammon. Nigr. Villal. & plures alios ex modernis; Eam tamen docet D. T. 4 Metaph. cap. 2. lect. 4. Scotus, quos sequuntur concorditer discipuli, vtriusque Scholæ, angelicæ, & subtilis, tam veteres, quàm recentiores, & probatur 1. Scientia est habitus quo intellectus demonstratiuè cognoscit aliquas veritates, sed logica in quantùm docens est huiusmodi: Ergo verè & propriè est scientia. Maior

pa-

patet, & minor probatur, cognoſcere demonſtratiuè aliquas veritates, eſt cognoſcere veritates neceſſarias infallibiles, quatenùs per bonam conſequentiam inferuntur ex principijs certis, & euidentibus, ſed intellectus mediante logica, vt eſt docens, cognoſcit aliquas veritates infallibiles, quatenùs inferuntur ex principijs certis & euidentibus: ergo cognoſcit illas demonſtratiuè: probatur minor exemplo: nam iſta propoſitio eſt infallibilis: Syllogiſmus demonſtratiuus generat ſcientiã, & illam cognoſcit intellectus euidenter media logica, quatenùs infertur ex iſtis principijs: Omnis ſyllogiſmus procedens ex neceſſarijs generat ſcientiam, ſed ſyllogiſmus demõſtratiuus eſt huiuſmodi: ergo generat ſcientiam. Similitèr iſta propoſitio: ſyllogiſmus topicus generat opinionem, eſt infallibilis, & illam cognoſcit

intellectus media logica, quatenus infertur ex istis principijs: Omnis syllogismus procedens ex probabilibus generat opinionem, sed syllogismus topicus est huiusmodi: ergo generat opinionem. Denique istam propositionem infallibilem: syllogismus sophisticus facit apparentiam; cognoscit, quatenùs infertur ex istis principijs: Omnis syllogismus procedens ex apparentibus, facit apparentiam, sed syllogismus sophisticus est huiusmodi: ergo facit apparentiam; & multæ aliæ sunt propositiones, quæ hoc modo cognoscuntur in logica: ergo intellectus media logica vt est docens cognoscit aliquas veritates infallibiles, quæ inferuntur ex principijs euidentibus; & consequenter logica in quantùm est docens, simpliciter est scientia.

Conf. mediante cognitione certa & infallibili conclusionis

cau-

causata ex vi cognitionis præmissarum, generatur scientia, sed in prædictis demonstrationibus, est cognitio certa & infallibilis conclusionis, causata ex vi cognitionis euidentis præmissarum: ergo generatur aliqua scientia: Sed non alia præter logicam, vt per se patet: ergo.

Dico 2. Logica docens etiam sumpta pro parte topica, & sophistica, est verè & propriè scientia. Hæc statuitur contra Ludou. Iemosium & alios ex modernis. Eam tamen docent concorditer Thomistæ, & Scotistæ, probata manet ex præcedenti conclusione. Et vlteriùs probatur. Sicut in parte demonstratiua cognoscitur demõstratiuè syllogismum demonstratiuũ generare scientiam; ita etiam in parte topica cognoscitur demonstratiuè, syllogismum topicum generare opinionem; & in parte sophistica, syllogismum sophisti-

cum, generare apparentiam, vt patet ex dictis in præcedenti conclusione, ergo logica docens quantùm ad omnes istas partes, verè est scientia.

Arg. 1. Contra 1. Concl. obiectum logicæ non est simpliciter scibile; ergo logica non est simpliciter scientia; consequentia patet, & antecedens probatur. Non est simpliciter cognoscibile, ergo non est simpliciter scibile. Consequentia patet à negatione Superioris ad negationem inferioris; & antecedens probatur; non est simpliciter ens, siquidem est ens rationis; ergo non est simpliciter cognoscibile. Patet consequentia, in tantùm aliquid est cognoscibile, in quantùm est ens, ergo quod non est simpliciter ens, non potest esse simpliciter cognoscibile; sicut quia in tantùm aliquid est risibile in quantùm est homo, & sic quod non est homo simpliciter, non

po-

poteſt eſſe riſibile ſimpliciter.

℞. Negando antecedens: ad probat. nego conſequentiam; ad cuius prob. diſtinguo antecedens, ſi ly, in quantùm, dicat rationem præſuppoſitam, id eſt, vt aliquid ſit cognoſcibile, prius debet præſupponi quòd ſit ens, concedo antecedens: Si verò dicat rationem adæquationis, ita vt quomodo, & qualitèr ſit ens, taliter debeat eſſe cognoſcibile, nego antecedens; & hoc maximè debet admitti, imò neceſſariò, quia obiectum mathematicarum facultatum, cum ſit accidens, non eſt ſimpliciter ens, & tamen ſimpliciter eſt cognoſcibile, ſiquidem mathematicæ ſimpliciter ſunt ſciẽtiæ.

Contra. Radix & cauſa ob quam aliquid eſt cognoſcibile, eſt quia eſt ens; ergo quando non eſt ſimplicitèr ens, non poteſt eſſe ſimplicitèr cognoſcibile. Antecedens

patet, & consequentia probatur, quia causa quæ secundùm quid, & imperfectè est talis, non potest causare effectum, qui simpliciter sit talis, ergo.

℟. Negando consequentiam: quia licet entitas sit causa cognoscibilitatis, tamen entitas secundũ quid, potest esse causa cognoscibilitatis simpliciter: Ad prob. consequentiæ distinguo antecedens; causa quæ secundùm quid est talis, non potest causare effectum, qui simpliciter sit talis, in illo genere, in quo est causa secundum quid, concedo antecedens; non potest causare effectum qui simpliciter sit talis, in alio genere, nego antecedens. Vnde dicimus quod licet entitas sit radix cognoscibilitatis, tamen entitas, & cognoscibilitas, non sunt in eodem genere; nam entitas est in genere entis, & cognoscibilitas in genere intelligibilis, & genus entis est magis prin-

cipale

cipale quam genus intelligibile; sic potest aliquam habere sufficientem perfectionem vt sit simpliciter talis in genere intelligibilis, licet non habeat sufficientem perfectionem vt simpliciter sit talis in genere entis: Quamuis ergo non possit ens secundùm quid, causare aliquid quod simpliciter sit tale in genere entis; bene tamen aliquid quod simpliciter sit tale in genere intelligibilis: Obiectum autem logicæ in genere entis est secundùm quid tale, at verò in genere intelligibilis est tale simpliciter, & sic licet non sit per se scibile subiectiuè, est tamen per se scibile obiectiuè.

Arg 2. Contra eandem. Omnis scientia est habitus acquisitus per demonstrationem, sed logica non est huiusmodi; ergo, probatur minor. In logica nulla est demonstratio; ergo probatur antecedens, si aliqua esset demonstratio, maxi-

mè ista. Omne illud quod est vnū in multis, est prædicabile de multis. Sed vniuersale est vnum in multis; ergo est prædicabile de multis; sed ista nō, ergo nulla: probatur minor; in demonstratione propriè sumpta medium debet esse causa proprietatis quæ demonstratur de subiecto, sed hæc definitio vniuersalitatis quæ assumitur pro medio, non est causa prædicabilitatis, ergo non est demonstratio. Probatur minor; vniuersalitas est ens rationis & etiam prædicabilitas, sed vnum ens rationis non potest esse causa alterius, ergo vniuersalitas non est causa prædicabilitatis.

℞. Negando minorem: ad eius prob. neg. minor: ad cuius prob. distinguo minorem: ens rationis non potest esse causa alterius, loquendo de causa rigorosè & formali, concedo minorem: de causa minùs propriè, quæ tamen suf-

ficit

ficit ad demonſtrationem, id eſt, de ratione aliqua præſuppoſita ad aliam, quæ ſolet vocari cauſa virtualis, nego minorem; & hoc ſufficit ad rationem demonſtrationis, & reperitur in demonſtratione logicæ, nàm vniuerſalitas eſt priuſquàm prædicabilitas; prius eſt enim quod animal ſit in multis, quàm quòd prædicetur de illis.

Arg. 3. Contra eandem. Logica eſt modus, & inſtrumentum ſciendi; ergo non eſt ſcientia. Antecedens eſt commune proloquium, deſumptum ex Ariſt. 2. metaph. circa finem & S. D. opuſc. 70. q. 5. artic. 1. ad 2. Conſequentia verò probatur, quia inſtrumentum non eſt eiuſdem principalitatis cũ ſua cauſa, vel effectu, vt patet in ſerra, & penicillo, & alijs, quæ non ſunt eiuſdem rationis, cum re quam faciunt, & cum agente à quo mouentur, ergo.

℞. Ad

licet requirat resolutionem vsq;ad prima principia, quæ fortè in paucissimis inuenitur, & circa paucas materias: hoc tamen non est ex defectu scientiæ, sed ex defectu scientium, plures enim solùm sciunt scientia imperfecta, & quasi subalternata, quia credunt principia ab alia scientia tradita, potiùs quàm in illa resoluant.

Dico 1. Logicam docentem verè, propriè, & simpliciter esse scientiam. Hæc statuitur contra Ammon. Nigr. Villal. & plures alios ex modernis; Eam tamen docet D.T. 4 Metaph. cap. 2. lect. 4. Scotus, quos sequuntur concorditer discipuli, vtriusque Scholæ, angelicæ, & subtilis, tam veteres, quàm recentiores, & probatur 1. Scientia est habitus quo intellectus demonstratiuè cognoscit aliquas veritates, sed logica in quantùm docens est huiusmodi: Ergo verè & propriè est scientia. Maior

pa-

patet, & minor probatur, cognoscere demonstratiuè aliquas veritates, est cognoscere veritates necessarias infallibiles, quatenùs per bonam consequentiam inferuntur ex principijs certis, & euidentibus, sed intellectus mediante logica, vt est docens, cognoscit aliquas veritates infallibiles, quatenùs inferuntur ex principijs certis & euidentibus: ergo cognoscit illas demonstratiuè: probatur minor exemplo: nam ista propositio est infallibilis: Syllogismus demonstratiuus generat scientiã, & illam cognoscit intellectus euidenter media logica, quatenùs infertur ex istis principijs: Omnis syllogismus procedens ex necessarijs generat scientiam, sed syllogismus demõstratiuus est huiusmodi: ergo generat scientiam. Similitèr ista propositio: syllogismus topicus generat opinionem, est infallibilis, & illam cognoscit

intellectus media logica, quatenus infertur ex istis principijs: Omnis syllogismus procedens ex probabilibus generat opinionem, sed syllogismus topicus est huiusmodi: ergo generat opinionem. Denique istam propositionem infallibilem: syllogismus sophisticus facit apparentiam; cognoscit, quatenùs infertur ex istis principijs: Omnis syllogismus procedens ex apparentibus, facit apparentiam, sed syllogismus sophisticus est huiusmodi: ergo facit apparentiam; & multæ aliæ sunt propositiones, quæ hoc modo cognoscuntur in logica: ergo intellectus media logica vt est docens cognoscit aliquas veritates infallibiles, quæ inferuntur ex principijs euidentibus; & consequenter logica in quantùm est docens, simpliciter est scientia.

Conf. mediante cognitione certa & infallibili conclusionis

cau-

causata ex vi cognitionis præmissarum, generatur scientia, sed in prædictis demonstrationibus, est cognitio certa & infallibilis conclusionis, causata ex vi cognitionis euidentis præmissarum: ergo generatur aliqua scientia: Sed non alia præter logicam, vt per se patet: ergo.

Dico 2. Logica docens etiam sumpta pro parte topica, & sophistica, est verè & propriè scientia. Hæc statuitur contra Ludou. Iemosium & alios ex modernis. Eam tamen docent concorditer Thomistæ, & Scotistæ, probata manet ex præcedenti conclusione. Et vlterius probatur. Sicut in parte demonstratiua cognoscitur demõstratiuè syllogismum demonstratiuũ generare scientiam; ita etiam in parte topica cognoscitur demonstratiuè, syllogismum topicum generare opinionem; & in parte sophistica, syllogismum sophisti-

poteſt eſſe riſibile ſimpliciter.

℞. Negando antecedens: ad probat. nego conſequentiam; ad cuius prob. diſtinguo antecedens, ſi ly, in quantùm, dicat rationem præſuppoſitam, id eſt, vt aliquid ſit cognoſcibile, prius debet præſupponi quod ſit ens, concedo antecedens: Si verò dicat rationem adæquationis, ita vt quomodo, & qualitèr ſit ens, taliter debeat eſſe cognoſcibile, nego antecedens; & hoc maximè debet admitti, imò neceſſariò, quia obiectum mathematicarum facultatum, cum ſit accidens, non eſt ſimpliciter ens, & tamen ſimpliciter eſt cognoſcibile, ſiquidem mathematicæ ſimpliciter ſunt ſciētiæ.

Contra. Radix & cauſa ob quam aliquid eſt cognoſcibile, eſt quia eſt ens; ergo quando non eſt ſimplicitèr ens, non poteſt eſſe ſimplicitèr cognoſcibile. Antecedens

patet, & consequentia probatur, quia causa quæ secundùm quid, & imperfectè est talis, non potest causare effectum, qui simpliciter sit talis, ergo.

℞. Negando consequentiam: quia licet entitas sit causa cognoscibilitatis, tamen entitas secundū quid, potest esse causa cognoscibilitatis simplicitèr: Ad prob. consequentiæ distinguo antecedens; causa quæ secundùm quid est talis, non potest causare effectum, qui simpliciter sit talis, in illo genere, in quo est causa secundum quid, concedo antecedens: non potest causare effectum qui simpliciter sit talis, in alio genere, nego antecedens. Vnde dicimus quod licet entitas sit radix cognoscibilitatis, tamen entitas, & cognoscibilitas, non sunt in eodem genere; nam entitas est in genere entis, & cognoscibilitas in genere intelligibilis, & genus entis est magis principale

cipale quam genus intelligibile; sic potest aliquam habere sufficientem perfectionem vt sit simpliciter talis in genere intelligibilis, licet non habeat sufficientem perfectionem vt simpliciter sit talis in genere entis: Quamuis ergo non possit ens secundùm quid, causare aliquid quod simpliciter sit tale in genere entis; bene tamen aliquid quod simpliciter sit tale in genere intelligibilis: Obiectum autem logicæ in genere entis est secundùm quid tale, at verò in genere intelligibilis est tale simpliciter, & sic licet non sit per se scibile subiectiuè, est tamen per se scibile obiectiuè.

Arg 2. Contra eandem. Omnis scientia est habitus acquisitus per demonstrationem, sed logica non est huiusmodi; ergo, probatur minor. In logica nulla est demonstratio; ergo probatur antecedens, si aliqua esset demonstratio, maxi-

ficit ad demonſtrationem, id eſt, de ratione aliqua præſuppoſita ad aliam, quæ ſolet vocari cauſa virtualis, nego minorem; & hoc ſufficit ad rationem demonſtrationis, & reperitur in demonſtratione logicæ, nàm vniuerſalitas eſt priuſquàm prædicabilitas; prius eſt enim quod animal ſit in multis, quàm quòd prædicetur de illis.

Arg. 3. Contra eandem. Logica eſt modus, & inſtrumentum ſciendi; ergo non eſt ſcientia. Antecedens eſt commune proloquium, deſumptum ex Ariſt. 2. metaph. circa finem & S. D. opuſc. 70. q. 5. artic. 1. ad 2. Conſequentia verò probatur, quia inſtrumentum non eſt eiuſdem principalitatis cũ ſua cauſa, vel effectu; vt patet in ſerra, & penicillo, & alijs, quæ non ſunt eiuſdem rationis, cum re quam faciunt, & cum agente à quo mouentur, ergo.

℞. Ad

℞. Ad antecedens dicendo, quod logica dicitur modus & instrumentum ſciendi, quaſi obiectiuè, non formaliter; agit enim tanquàm de obiecto de modo ſciendi, & de inſtrumentis neceſſarijs ad alias ſcientias, vt ſunt ſyllogiſmi, propoſitiones, &c. Vnde negamus conſequentiam; & ad prob. dicimus, quod logica non eſt inſtrumentum aliarum ſcientiarum, ſed ipſius intellectus, qui vtitur logica vt inſtrumento ad alias ſcientias dirigendas; Vndè ſolùm ſequitur quod logica non adæquetur intellectui, non verò ſcientijs; Et inſuper non repugnat vnum inſtrumentum eſſe eiuſdem rationis cùm re effecta, licet non ſemper ſit neceſſarium, vt patet dùm malleus malleo fit.

Arg. 4. Contra eandem. Scientia eſt de neceſſarijs & perpetuis: ſed logica eſt de contingentibus; ergo non eſt ſcientia. Maior eſt

Ariſt.

Arist. 1. post cap. 7. minor prob. quia est de syllogismis, definitionibus, & alijs huiusmodi instrumentis, quæ sunt entia factibilia à nobis, & contingentia, ergo.

Conf. Omnis scientia, vel est subalterna, vel subalternata; sed logica non est huiusmodi; ergo, probatur minor, quia non apparet quam scientiam subalternet, vel cui subalternetur, ergo.

℞. Ad arg. negando minorem: logica namque sicut & quælibet scientia, de perpetuis, & æternis tractat: nam si respiciamus ad veritates demonstratas, constat illas esse æternas, vt quod demonstratio generet scientiam, quòd vniuersale sit prædicabile. Subiectum etiam de quo istæ veritates 1. & per se demonstrantur, quia est vniuersale, non per se corrumpitur; neque enim logica agit de hac vel illa definitione, vel syllogismo, in singulari, sed de illis

in

in communi; & licet hæc vel illa definitio, & aliæ res in singulari sint defectibiles, in communi tamen, quomodo de illis in logica agitur, incorruptibiles sunt, necessariæ, & perpetuæ. Si tamen singulare aliquod incorruptibile esset, de eo optime posset esse scientia, quia singularitas scientiæ non repugnat ratione singularitatis, sed ratione corruptibilitatis ipsius singularis: vt patet in Deo, qui licet singularissimus sit, scitur tamen à beatis clara scientia, & à uobis sub quadam vniuersali ratione.

Ad Conf. negatur maior; non enim oportet scientiam omnem esse subalternantem, aut subalternatam: subalternatio etenim propriè dicta, accidens scientiæ alicuius, & non omnium est; de quo agemus in nostra metaphysica Synopsi.

Arg. 5. Contra 2. concl. Quælibet

bet ſcientia procedit argumentis neceſſarijs: ſed pars topica procedit argumẽtis probabilibus, & paritèr ſophiſtica argumentis apparentibus; ergo logica ſaltem quoad iſtas partes non erit ſcientia.

℞. Diſtinguendo minorem: pars topica procedit ex probabilibus; pars topica vtens, concedo minorem; docens, nego minorem, idemque dicendum de Sophiſtica, topica etenim, & ſophiſtica docens explicando naturam ſui obiecti, non vtitur probabilibus, aut apparentibus, ſed neceſſarijs argumentis, demonſtratiuè procedens: Topica vero & ſophiſtica vtens, cum in rebus omnibus verſetur per communia principia, quæ generant opinionem, vel errorem; progreditur argumentis probabilibus, & apparentibus.

CON.

CONTROVERSIA VII.

Vtrum logica vtens vt sic, sit scientia.

DIco, logicam formaliter vt vtentem, non esse scientiam hoc statuitur contra Cauer. Murtiam, & alios modernos. Eam tamen docet D. Thom. 4. met. lect. 4. B Alb. Mag. Sotus Scot. Onna Petron. Ruu. Lisbon. & concorditer Thomistæ, & probatur 1. logica vtens vt sic, non respicit actus scientificos; ergo vt sic non est scientia; consequentia patet, & antecedens probatur, actus scientificus est cognitio conclusionis propter præmissas, & consistit in assensu alicuius veritatis, sed actus logicæ vtentis vt sic, non est assensus veritatis, aut cognitio conclusionis propter præmissas, sed constructio syllogismi, & modo-

rum

rum ſciendi; ergo, &c.

Probatur 2. Omnis ſcientia demonſtrat aliquam paſſionem de ſuo ſubiecto, ſed vtens hoc non præſtat; ergo, maior patet, & minor probatur. Actus logicæ vtentis eſt conſtruere inſtrumenta apta diſputationibus, & ſcientiarum acquiſitioni; ſed in tali conſtructione nulla paſſio demonſtrata reperitur, vt patet; nam conſtruendo definitionem, diuiſionem &c. ſolùm attenditur partium compoſitio ſub aliqua forma, omiſſa conſideratione cuiuſcunque paſſionis, ergo.

Probatur 3. Scientia omnis procedit reſoluendo concluſiones in ſua principia, vt v.g. quòd homo eſt riſibilis, quia eſt rationalis; Deus eſt æternus, quia immutabilis: ſed logica vtens procedit modo quodam compoſitiuo, introducendo formam modi ſciendi, aut alterius 2. intentionis, in

actus

actus intellectus, vt per se patet; ergo.

Arg. 1. Logica docens & vtens, sunt idem habitus, vt supra docuimus; sed quatenùs docens est vera scientia, vt diximus in præcedenti controuersia, ergo etiàm quatenùs vtens. Probatur consequentia, quia esse scientiam, & non esse scientiam contradictoriè opponuntur, vnde non possunt de eodem reali habitu verificari, ergo.

℞. Negando consequentiam: solùm enim probatur, quod habitus logicæ vtentis entitatiuè & realiter est scientia; non verò formalitèr, & reduplicatiuè: prout sic enim nullum est inconueniens, quod idem habitus dicatur esse, & non esse scientia, comparatione diuersorum actuum, ad quos potest inclinare; quia sic non opponuntur contradictoriè. Quare cùm logica solùm dicatur vtens, for-

formaliter in quantùm elicit assensus probabiles, & contingentes; inde est, quod formaliter prout sic, non inclinat ad assensum scientificum; sed potiùs degenerat, & recedit à modo scientiæ.

Arg. 2. Logica vtens acquiritur per demonstrationem; ergo est scientia. Consequentia patet, & antecedens probatur. Logica vtens acquiritur per eundem actū, & in eodem instanti in quo acquiritur docens; sed docens, quia acquiritur per demonstrationem est scientia; ergo & vtens ob eandem rationem scientia erit.

℞. Distinguo antecedens: logica vtens acquiritur per demōstrationē, tanquā eius effectus primarius, nego antecedens; tanquàm secundarius, & consecutus, concedo antecedēs; & dico, quod in logica sunt duæ rationes formales; altera docentis, altera vtentis; demonstratio

tio ergo per quam fuit acquisita logica, primò fuit terminata ad docentem; ad vtentem verò secundariò; vt autem logica vtens esset scientia, deberet esse habitus primò acquisitus per demonstrationem: ex hoc enim quòd ad qualitatem sequatur similitudo, non sequitur quod motus alterationis, qui est ad qualitatem, sit etiam ad similitudinem; nàm ad similitudinem talis motus non terminatur per se 1. sed secundariò; sic dicendum in nostro casu.

Arg 3. Idem est formale obiectum logicæ docentis, & vtentis; ergo si logica vt docens, est scientia, etiam vt vtens erit. Antecedens patere videtur, quia obiectum vtriusque est 2. intentio. Consequentia verò probatur; quia quæ habent idem obiectum formale, sunt eiusdem speciei, adeò vt si vnum ponitur in vna specie

quæ

qualitatis, in eadem ponatur & aliud: sed logica docens ponitur in specie scientiæ, ergo & in eadem ponetur, qua ratione est vtens.

℞. Negando antecedens; nam logica qua ratione est docens cõsiderat suum obiectum, resolutiuo modo; vt verò est vtens, modo compositiuo: isti autem diuersi modi refunduntur in rationem formalis obiecti; & sic logicæ docentis & vtentis, diuersum est formale obiectum.

CONTROVERSIA VIII.

Vtrum logica sit ars, & scientia simul?

Nota 1. Ex S.D. 1.2.q.57.a.3. & 4. Quod ars nihil est aliud, quam quædam recta ratio aliquorum operum faciendorum, id est, habitus quidam quo inclinamur ad facienda quædam opera bona

bona; quorum operum bonitas & rectitudo consistit in conformitate ad artem; non enim respicit artificiati bonitas & perfectio, qua voluntate, vel fine fiat, an bono, vel malo.

Nota 2. Ex eodem D.Th. ibidem, Quòd etiam in ipsis speculabilibus, est aliquid per modum cuiusdam operationis, putà constructio syllogismi, aut orationis congruæ: Et ideo quandocunque ad huiusmodi opera rationis, habitus speculatiui ordinantur, per quandam similitudinem artes dicuntur liberales, (sic dictæ, quia ordinantur ad opus rationis & animæ, quæ est libera, & corporis domina) ad differentiam illarum artium quæ ordinantur ad opera per corpus exercita, quæ sunt quodammodo seruiles, in quantùm corpus subditur animæ seruiliter, & homo secundum animam est liber.

Nota

Nota 3. Ad artem duo requiri. Primò ex parte materiæ dirigibilis, & formabilis, quòd non ſit omnino determinata, ſed habeat aliquam indifferentiam, alioquin non erit capax regulationis & artis, ſicut actus videndi, & audiendi, non ſunt arte dirigibiles. 2. requiritur ex parte formæ, quæ ſe habet vt regula dirigens, quod regulatio fiat per certas, ac determinatas vias, alioquin ſi non ſint certa, & determinata media, ſed contingẽtia, non per artem, ſed per prudẽtiam diriguntur, quæ conſilio dirigit, non arte, eo quod non habeat certas & determinatas regulas, ſed arbitrarias & prudentiales, iuxta circumſtantias occurrentes, ideoq; pertinent ad conſilium & prudentiam. Cadunt autem ſub regulatione artis, non ſolùm opera externa, quæ factibilia vocantur, circa quæ mechanicæ verſantur artes; ſed etiam interna, quæ ſunt magis

libera, & minùs seruilia, & ideo artes illa dirigentes, liberales appellantur. In vtrisq; autem actionibus inuenitur materia dirigibilis per certas ac determinatas regulas, quia datur indifferentia vt benè vel malè, cum errore, vel sine errore fiant.

Dico 1. Logica est ars, & scientia simul; scientia secundùm quod docens, ars verò qua ratione est vtens. Hæc est concors philosophorum sententia; Quod sit scientia suprà probauimus, quod verò vtens sit ars, probatur. Sicut reliquæ artes habent introducere formam aliquam in materiam, vt ars statuaria formam statuæ in ęs; argentum &c. ita logica vtens introducit formam syllogismi, definitionis &c. in actus intellectus, qui possunt cum errore, vel sine errore procedere, & sic habent sufficientem indifferentiam, vt dirigantur, & formentur recta dispo-

sitio.

ſitione, & ordinatione: ergo ſi reliquę artes, ſunt tales ob formæ introductionem in ſuam materiã; logica vtens, formam rationis ſecundùm certas, determinatas, & immutabiles regulas introducens in operationes, ſeu cognitiones intellectus, iuxta eaquæ in ſummulis tradidimus, ars paritèr erit,

Dico 2. logica qua ratione eſt vtens, eſt ars quidem, ſed liberalis. Hæc eſt communis inter logicos, & probatur. Logica vt vtens eſt ars, vt iam probauimus: Sed non eſt ars mæchanica, ergo liberalis. Probatur minor, artes męchanicę propriè introducunt formam in externam materiam; ſed logica vtens id non præſtat, vt de ſe liquet, ergo.

Arg. 1 contra 1. concl. Ratio artis repugnat ſcientiæ; ergo altera illarum non conuenit logicæ habitui, & ſic cum ſit ſcientia, non erit ars. Antecedens probatur,

nam ars agit de ſingularibus & cō-
tingentibus, & eſt in parte animæ
opinatiua ex S. D.a.4. citato ad 2.
ſcientia verò eſt de vniuerſalibus,
& neceſſariis, & eſt in parte de-
monſtratiua: ſimilitèr ars proce-
dit modo compoſitiuo & practico,
ſcientia modo reſolutiuo & ſpe-
culatiuo, ergo &c.

℞. Diſtinguo antecedens; ra-
tio artis mæchanicæ repugnat ha-
bitui ſcientifico, concedo antece-
deus; liberalis, negatur antece-
dens: ad cuius prob. dico, quod
ars dicitur eſſe de ſingularibus &
contingentibus ex parte applica-
tionis ad opus,vel ex parte mate-
riæ remotæ, indifferentiam habē-
tis, non ex parte regularum, qui-
bus dirigit, illæ enim ſunt certæ
& determinatæ, & in vniuerſali,
vnde & ars numeratur inter virtu-
tes intellectuales, quæ tamen non
verſantur circa verum contingēs,
ſed circa neceſſarium, alioquin
enim

enim virtutes non essent. Dicitur autem ars esse in parte opinatiua animæ, vel propter artes mechanicas, vel propter applicationem ad opus, aut indifferentiam materiæ remotæ dirigibilis; non verò ex parte directionis, & regulationis, qua ratione ars est virtus intellectualis, quod non conuenit habitui opinatiuo. Neq; deniq; est de ratione artis, quod procedat modo compositiuo & practico, sed quando eius opus est speculatiuo, dirigit non componendo, sed resoluendo.

Arg. 2. Contra eandem. Ars essentialitèr versatur circa res factibiles ad extra, vt patet de arte frænifactiua & statuaria; Sed logica qua ratione est vtens, non agit de rebus, quę transeunt in exteriorem materiam, vt de se patet, ergo.

R. Distinguo maiorem: ars mechanica, concedo maiorem; li-

beralis, negatur: nos autem non asserimus logicam vtentem esse artem mechanicam, sed liberalem, vt ex dictis patet.

Arg. 3. contra eandem Diuersum est obiectum artis & scientię; sed logica & secundùm quod docens, & secundùm quod vtens, non habet nisi vnum obiectum, quod est secunda intentio, ergo. Minor à nobis infra demonstrabitur; & maior patet, quia ars & scientia specie differunt; ergo diuersum est vtriusq; obiectum.

℞. Negando minorem, si rigorosè loquamur; logica enim secundùm quod ars & scientia, habet formalitèr distinctum obiectum; nam logica vt scientia, conconsiderat secundam intentionem resolutorio modo; vt verò est ars, modo compositiuo, introducendo formam in materiam: sicut diuersum habet obiectum ars domificandi, & scientia de domo, & sic di-

diuersus ille modus transit in rationem formalis obiecti.

CONTROVERSIA IX.

Vtrum Logica sit vna scientia?

NOta 1. Quòd vt intellectus eliciat scientificos actus, duo requiruntur; 1. etenim requiritur ex parte obiecti quòd vniatur cùm ipso intellectu, & quia non potest per se ipsum vniri illi, requiritur quòd mittat in illum quasdam formas sibi similes, vt illis medijs cum intellectu vniatur, & istæ vocantur intelligibiles species. 2. requiritur ex parte intellectus quædam forma tribuens illi facilitatem vt cognoscat demonstrabile obiectum, quæ forma vocatur habitus: scientia autem non consistit in illis speciebus, sed in hac forma & habitu tribuente facilitatem intellectui ad eliciendos

ſcientificos actus circa ſuum obiectum, & de illo inquirimus, vtrum ſit vna ſcientia?

Nota 2. Quòd non agimus de vnitate numerica logicæ, certum enim eſt, quod illa eſt diſtincta numero in diuerſis ſubiectis, ſed agimus de vnitate formali, & ſpecifica; Vnde inquirimus; Vtrum in Petro v.g. qui cognoſcit multas propoſitiones in logica, ſit tantùm vnica ſcientia logicæ formalitèr; vel ſint plures ſcientiæ logicæ quibus cognoſcuntur illæ propoſitiones?

Nota 3. Quòd diſtinctio ſpecifica ſcientiarum & habituum deſumitur ex vnitate formalis obiecti; licet enim aliquis habitus conſideret plures res diſtinctas, ſi tamen omnes illæ conueniunt in vnica ratione formali, ſecundum quòd pertinent ad talem habitũ, omnes faciunt vnicum obiectum formale, & conſequenter omnes

ca-

cadunt ſub vnico habitu formali.

Nota 4 Quod in obiecto alicuius ſcientię vel habitus eſt duplex ratio: alia eſt ratio formalis quæ; & alia ratio formalis ſub qua obiectum cognoſcitur à ſcientia, per rationem formalem quæ, conſtituitur res in genere entis, hæc enim ratio formalis, eſt natura & eſſentia rei quæ cognoſcitur, & per rationem ſub qua conſtituitur res in genere ſcibilis: Ratio ergo formalis quæ, eſt res quæ conſideratur, vel pertinet ad obiectum ſcientiæ, non tamen tribuit illi ſpecificationem, & vnitatem, niſi induat rationem ſub qua, & conſequenter ab hac ratione ſub qua ſumitur formalitèr vnitas ſpecifica ſcientiæ.

Nota 5. Quòd ratio formalis ſub qua conſtituens obiectum in ratione ſcibilis, eſt abſtractio formalis à materia: nomine autem

abstractionis formalis, non intelligimus abstractionem actiuam, id est, actionem intellectus abstrahentis vnum ab alio, nam ista est extrinseca: neque etiam abstractionem passiuam prouenientem ab actiua, quod est esse abstractum ab alio: sed intelligimus abstractionem radicalem obiecti, & est ipsa immaterialitas obiecti, quia quatenùs aliqua res magis habet de materia, tantùm minus habet de cognoscibilitate, & consequentèr per separationem à materia, res pertinent ad genus cognoscibiiitatis.

Dico, logicam docentem esse vnam scientiam formalitèr, & specificè. Hæc statuitur contra Greg. Gab., Tolet. & alios ex modernis; est tamen concors Thomistarum sententia, & probatur 1. Obiectum logicæ est vnum specie in genere scibilis; ergo logica est vna scientia secundùm spe-

ſpeciem Conſequentia patet, quia ab obiecto in genere ſcibilis, ſciẽtia ſumit vnitatem ſpecificam. Antecedens verò probatur. Obiectum logicæ habet vnam abſtractionem, & ſeparationem à materia, ergo obiectum eius eſt vnum ſecundùm ſpeciem in genere ſcibilis. Conſequentia patet, & antecedens probatur. Omnia quæ conſiderat logicus abſtrahunt æqualitèr à materia ſenſibili, & intelligibili, & includunt materiã denominationis, quia agit logica de forma directiua operationum intellectus, & denominatiua naturæ realis, ergo logica habet vnicam abſtractionem, & ſeparationem à materia, & conſequentèr eſt vna ſpecificè.

Probatur 2. Illa ſcientia eſt vna ſpecie, quę habet vnam rationem formalem ſub qua, quæ conſtituit obiectum in ratione ſcibilis, & in ratione obiecti, ſiue

in ratione immutatiui potentiæ: sed logica est huiusmodi; ergo, maior patet & minor probatur, quia logica agit de suo obiecto sub ratione præfatę abstractionis; & de omni ente prout denominatur à secunda intentione, ergo.

Arg. 1. Scientię distinguuntur formalitèr per obiecta, sed logica versatur circa plura obiecta, ergo non est vna scientia formalitèr; Maior & consequentia patent, & minor probatur. Logica versatur circa definitionem, diuisionem, argumentationem, & alia huiusmodi; Sed ista sunt diuersa obiecta, etiam specie, vt per se patet, ergo.

℟. Distinguendo minorem: Versatur circa plura obiecta materialitèr, concedo minorem: formaliter, & in ratione scibilis, nego minorem: & ad probat. dico illa distingui solùm materialitèr, non autem formalitèr,

litèr, & in ratione ſcibilis; conſiderantur etenim à logica vt conueniunt in vna ratione formali ſcibilis, ſcilicet vt habent eandem abſtractionem, ab omni materia.

Contra. hinc ſequeretur quod opinio logicæ, & logicæ ſcientia ſint eiuſdem ſpeciei, ſed conſequens falſum, ergo. Sequela probatur, verſantur circa idem obiectum, abſtractum eadem abſtractione ab omni materia; ergo ſi hoc ſufficit ad vnitatem formalem obiecti, habent idem obiectum formalitèr, & conſequentèr ſunt eiuſdem ſpeciei.

℞. Negando ſequelam: ad prob. diſtinguo antecedens; abſtractum eadem abſtractione quantùm ad apparentiam, concedo antecedens: in re, negatur antecedens. Itaque licet opinio reſpiciat obiectum abſtractum ab omni materia, tamen reſpicit illud vt cognoſcibile medio probabili: Scientia verò vt cognoſcibile modo & medio demonſtratiuo:

uo: & abstractiō ab omni materia, vt radicatur in modo probabili, distincta est à se ipsa, vt radicatur in modo demonstratiuo.

Arg. 2. Pars analytica, topica, & sophistica, differunt specie, sed logica ambit has partes, ergo non erit vna specie: minor patet, & maior probatur, distinctio specifica sciētiarum petenda est ex distinctione specifica obiectorum, sed demonstratio in qua explicāda versatur pars analytica, argumentatio probabilis, in qua versatur pars topica, & argumentatio sophistica, in qua versantur libri ethicorum, sunt obiecta specie diuersa; ergo & partes logicæ specie different.

℞. Negando maiorem: ad prob. distinguo maiorem; ex distinctione specifica obiectorum in esse rei, nego maiorem; in genere scibili, concedo maiorem: hac autem ratione, Analytica, topica, & sophistica, non sunt specie diuersæ; illorum enim om-

omnium de quibus agunt, vna est ratio formalis entis rationis, & eadem abstractio ab omni materia, tàm sensili, quàm intellectili.

Arg.3. Scientia est habitus per demonstrationem acquisitus, ergo vbi erunt multæ demonstrationes, erunt multæ scientiæ: Sed in logica dantur multæ demonstrationes; ergo erunt multæ scientiæ.

℞. Negando consequentiam: nam quælibet demonstratio, & si nata sit iuxta propriam naturam generare scientiam, non tamen illam generat, nisi prima, reliquæ verò demonstrationes subsequentes augent & extendunt habitum scientiæ prius genitum: sicut ignis qui 1. applicatur aquæ, generat in ea calorem, alij verò ignes subsequentes calorem non producunt, quia inueniunt illum productum, sed præexistentem augent, & perficiunt.

ficiunt. Igitur cum demonſtrationes ſubſequentes habeant eandem rationem formalem, non poſſunt producere diſtinctos habitus formaliter, & aliàs quia intellectus non eſt capax plurium accidentiū diſtinctorum ſolo numero, vt dicemus in metaphyſica; & ideò licet quælibet demonſtratio habeat virtutem producendi ſcientiam, de facto tamen ſola prima producet eam, ſecundæ non, quia præuentæ.

Arg. 4. Phyſica & metaphyſica ſpecie differunt, quia vna agit de ente communi, alia autem de ente particulari mobili: ergo etiamſi logica agat de modo ſciendi in communi, erit illa alia logica ſpecie diſtincta, quæ agit de definitione, diuiſione, &c. Antecedens patet, & conſequentia probatur à paritate rationis, ergo.

℞. Negando conſequentiam: diſpar enim eſt ratio, ideo enim phy-

physica & metaphysica differunt specie, quia alia est abstractio, & ratio sub qua in ente, quam in ente mobili, vt dicemus in physicis: hoc autem non habet verum in modo sciendi in communi & particulari, quandoquidem eandem abstractionem habent, & modi sciendi particulares sunt partes eiusdem formalis obiecti; ens verò mobile non est pars eiusdem subiecti formalis; quinimò ens condiuiditur in ratione scibilis contra ens mobile, quod non verificatur de modo sciendi in communi, & particulari.

Arg. 5. Quæ sunt eiusdem naturæ, ita sunt inter se affecta, vt quicquid repugnat vni, repugnet & alteri: sed ea quæ repugnant libris cathegoriarum non repugnãt libris de interpretatione; ergo logica complectens hos libros, non erit vna secundum speciem; probatur minor, potest quis habere errorem

rorem circa libros Catheg. vt tantùm esse tres cathegorias, & non circa libros de interpr. v.g. circa naturam nominis & verbi &c. sed error, qui est circa cathegorias, contrariatur cathegorijs, & non libris de interpret. ergo.

℞. Negando minorem, si formalitèr, & propriè, loquamur: ad cuius prob. dico ea quæ tractantur in logica sumi posse dupliciter 1. iuxta suas proprias naturas, 2. iuxta naturam entis rationis: esto 1. modo, nō quicquid repugnat vni, alteri aduersetur parti, secundo tamen modo, quicquid repugnat vni, repugnat & alteri; quicquid etenim repugnat alicui enti rationis, vt ens rationis est, repugnat quoque alteri, vt tale est: sicut quicquid repugnat equo, vt est albus, repugnat quoque muro, vt est albus; & quia hoc 2. modo tractantur omnia ea de quibus agit logica, in omnibus suis partibus,

ideo

ideo erit vna secundùm speciem.

CONTROVERSIA X.

Vtrum id à quo desumitur vnitas specifica in logica, & alijs scientijs, sit ratio formalis sub qua; an ratio quæ?

Dico 1. potissimum specificatiuum à quo logica, sicut & quælibet alia scientia vnitatem specificam sumit, est ratio formalis sub qua. hæc statuitur contra plures logicos & metaphysicos modernos asserentes esse rationem formalem quæ, est tamen communis inter Metaphysicos, & probatur. Id specificat, & tribuit vnitatem specificam scientiæ, quod constituit obiectum in ratione obiecti, & in ratione scibilis, seu speculabilis. Sed hoc solùm habet

bet ratio formalis sub qua, scilicet abstractio se tenens ex parte obiecti, seu ipsa immaterialitas obiecti; ergo, minor & consequentia patent, & maior probatur. Obiectum non habet tribuere vnitatem specificam scientiæ in genere entis; quia vt sic est multiplex, & diuersarum specierum, & vt sic non est mensura scientiæ; neque scientia specificatur intrinsecè per ordinem realem ad illud: scientia enim respicit illud, & specificatur per ordinem ad illud in genere scibilis; vnde scientia non specificatur per ordinem ad rationem formalem quæ: hæc enim est solum obiectum consideratum in genere entis, sed specificatur per ordinem ad rationem formalem quæ, quatenùs est formalitèr constituta in genere obiecti, & in ratione scibilis; per rationem formalem sub qua; ergo ratio formalis sub qua id erit, quod potissimè, & for-
ma-

maliter tribuit vnitatem specificam scientiæ, quia illa est quæ formaliter tribuit obiecto scientiæ, rationem obiecti, & rationem scibilitatis, vt possit terminare ordinem realem quem scientia dicit ad suum formale obiectum.

Dico 2. Abstractio quæ est ratio formalis sub qua, non est aliquid rationis in ipso obiecto reali. hæc statuitur contra Caiet. est tamen communis in scholis, & probatur 1. Obiectum v.g. physicæ, est aliquid reale in ratione obiecti; ergo abstractio quæ constituit illud in ratione obiecti, debet esse aliquid reale. Antecedens patet, & consequentia probatur. Implicat aliquid rationis constituere obiectum in ratione obiecti realis; nam forma rationis non potest tribuere effectum realem; ergo ratio formalis sub qua, scilicet abstractio, debet esse realis, si ratio formalis quæ, siue obie-

ctum

ctum quod attingitur est reale.

Conf. Ratio formalis sub qua, est passio consequens ad rationem formalem quæ; ergo quoties ratio formalis quæ, est realis, ratio formalis sub qua, debet esse realis.

Probatur 2. Abstractio quæ est ens rationis, siue denominatio rationis, est illa, quæ se tenet ex parte intellectus; sed abstractio quæ est ratio formalis sub qua specifica, se tenet ex parte obiecti, ergo.

Arg. 1. Contra 1. concl. Ratio formalis sub qua est ens rationis: ergo non potest ttibuere vnitatem specificam scientiæ, quæ est habitus realis. Consequentia patet, quia specificatiuum formale tribuens vnitatem specificam enti reali, non potest intelligi, quòd sit ens rationis. Antecedens probatur. Ratio formalis sub qua est ab-

abstractio, & separatio à materia; sed hæc in obiecto scientiæ, est aliquid rationis: nam obiectum v.g. physicæ inuenitur iu singularibus in quibus concernit materiam indiuidualem, & quod sit separatum & abstractum à materia, tantùm habet per intellectum; ergo abstractio in obiecto, seu ratio scibilis tantùm est aliquid rationis, & consequenter nequibit scientiam specificare.

℞. Transeat antecedens: ad prob. distinguo maiorem; abstractio quæ se tenet ex parte potentiæ, concedo maiorem; quæ se tenet ex parte obiecti, negatur maior; hæc autem abstractio est illa, quæ dicitur ratio formalis sub qua constituens obiectum in ratione scibilis, & speculabilis: Et solùm est ens rationis, quando ratio quę, est aliquid rationis; realis tamen est, si ratio quę, sit realis.

℞. 2. Negando consequentiam;

tiam; ad prob. distinguo antecedens; quando ratio quę est aliquid reale, concedo antecedens; quando est aliquid rationis, negatur antecedens. Igitur quando ratio quę est aliquid reale, etiam ratio sub qua, alicuius scientię realis erit; quia ratio formalis sub qua consequitur vt passio ad rationem formalem quę. Cęterùm si ratio formalis quę, est ens rationis, vt in logica euenit, etiam ratio sub qua ens rationis erit.

Arg. 2. Contra eandem. Si ratio formalis sub qua, esset potissimum specificatiuum tribuens vnitatem scientię, sequeretur quod metaphysica v.g. non esset vna specie scientia, cuius oppositum docebimus in nostra Metaphysica synopsi; ergo, sequela probatur. Ratio formalis sub qua in metaphysica, siue immaterialitas quę est in obiecto metaphysicę, est vna genere, ergo si huiusmodi ratio

for-

formalis est illa, quæ tribuit vnitatem formalem metaphysicæ, erit vna scientia genere, non specie. Consequentia hæc patet, & antecedens probatur; eorum quæ metaphysica considerat quædam ex natura sua, & secundùm rem sunt immaterialia v.g. Deus, & angeli: quædam verò solum secundùm rationem sunt immaterialia, vt substantiæ corporeæ, quas metaphysicus considerat; ergo talis immaterialitas, & ratio sub qua, est vna genere.

℞. Negando sequelam: ad cuius prob. dico obiectum quidem metaphysicæ esse ens abstractum ab omni materia sensibili, & intelligibili. Quod verò hoc participent aliqua entia ex se actualiter, alia verò ex se fundamentaliter, & actualiter solùm per intellectũ, parùm refert; dummodo id quod terminat scientiã, obijciatur sub tali immaterialitate.

Arg. 3. Contra eandem. Si ratio formalis sub qua sit specificatiuum & distinctiuum logicæ ab alijs scientijs, sequitur quòd logica & metaphysica sint eiusdem speciei; sed consequens omnino falsum; ergo, sequela probatur. Logica & metaphysica habent eãdem rationem formalem sub qua, nempè eandem abstractionem à materia sensibili & intelligibili, ergo &c.

℞. Negando sequelam: ad cuius prob. nego antecedens: logica etenim & metaphysica non habent eandem abstractionem; quod inde constat, quia ratio formalis quæ, in illis est omnino diuersa, altera scilicet realis, & altera rationis: Cum autem ratio formalis sub qua sit passio consequens ad rationem formalem quæ, non est quod in logica & metaphysica sit diuersa ratio formalis sub qua, scilicet diuersa abstractio

à ma-

a materia ſenſili & intellectili; quia ea quæ in metaphyſica conſiderantur, ob ſui maximam perfectionem, poſitiuè abſtrahunt ab omni materia, vt ſunt v.g. Deus, angeli, &c. At verò ea, quæ à logica conſiderantur, ob ſui imperfectionem, negatiuè tantùm ab omni materia abſtrahunt, vt ſunt entia rationis.

℞. 2. Quod logica & metaphyſica habent quidem eandem abſtractionem ſe tenentem ex parte intellectus, quæ quidem abſtractio ſolùm eſt conditio ſine qua non, & non eſt ratio ſpecificans, ſiue ratio formalis ſub qua: non tamen habent eandem abſtractionem ſe tenentem ex parte obiecti, quæ eſt ratio formalis ſpecificans ſcientiam, & ratio formalis ſub qua, quæ conſtituit obiectum in eſſe ſcibili, ſeu ſpeculabili, & in ratione obiecti, vt iam diximus: licet autem logica

abstrahat præfatò modo, concernit tamen materiã denominationis; secùs metaphysica.

CONTROVERSIA XI.

Vtrum logica sit scientia speculatiua, vel practica?

NOta 1. Quod speculatiuum respicit veritatem vt sciatur, practicum verò vt fiat, & executioni mandetur in opere. Sed cùm ipsa veritatis cognitio sit etiam quoddam opus, & rursus quodlibet opus sit etiam aliqua veritas, oportet inter hæc distinguere; non etenim practicum dicitur quod efficit quomodocumq; opus seu elicit operationem, sed quod dirigit ad opus, & illud per regulas ordinat; & habet pro fine, ita quòd non solùm sit operatio elicita sed etiam obiectum, seu materia quæ in sui executione,

ne, & vt efficiatur regulis directionis ad faciendum indigeat, & non solùm regulis ad sciendum, semper enim sciri, & fieri distinguuntur in speculatiuo, & practico. Nec speculatiuum dicitur quod cognoscit quomodocumq; veritatem; sed quod tantùm intendit cognoscere; non verò vlteriùs facere, nec dirigit vt faciat, sed vt sciat, & vt ignorantiam effugiat. Vnde vt sit speculatiuum requiritur quòd vel materia eius operabilis non sit, sicut qui considerat Deum, angelos, cælum &c. vel si sit quid operabile non vt operabile; sed vt scibile, & tanquàm verum quoddam attingatur: vt autem sit practicum, requiritur vt materia sit operabilis, & vt modo operabili attingatur: vel saltèm vt sit assequibile nostris actibus; vt est Deus, qui obiectum est Theologiæ, quæ simul est practica & speculatiua.

Nota 2. Quòd cùm philosophus distinguit practicum & speculatiuum ex fine, non loquitur de fine solùm ex parte intelligentis, & operantis actualitèr, sed ex fine intento ex vi ipsorum principiorum, & regularum; quibus vtitur aliqua scientia; si enim sunt principia solum manifestantia veritatem, & quasi illuminantia, & fugantia ignorantiam, speculatiuè procedunt: si autem non solùm manifestant veritatem, sed dirigunt ad hoc vt fiat, & costituatur in esse, sunt practica, & ordinant praxim; seu obiectum practicæ cognitionis: vnde principia speculatiua dicuntur resolutiua, quia solùm respiciunt veritatem vt resoluitur in sua principia; principia autem practica dicuntur compositiua, quia respiciunt veritatem, seu entitatem vt ponendam in esse. Vnde in præsenti inquirimus; An principia formalia quibus

bus

bus logica procedit, ita respiciant veritatem quam tractat, vt purè resolutiuè procedant, in ordine ad sciendum, an modo compositiuo ita vltimatè ordinentur ad aliquod opus exercendum, & faciendum preter ipsum scire, quod non sit sola speculatio veritatis, sed etiam praxis; vel potiùs an ipsa ordinatio ad sciendum possit esse practica.

Nota 3. non solùm controuerti de logica docente, sed etiam de vtente, & ita in titulo, scientia non accipitur rigorosè, siquidem logica vtens vt sic, scientia non est, sed nomine scientiæ intelligimus habitum cognoscitiuum, siue sit scientificus, siue non; & sic idem est ac inquirere; an logica sit habitus speculatiuus, vel practicus?

Dico 1. Ridiculum est asserere, logicam non esse habitum speculatiuum, aut practicum, sed esse ha-

habitum organicum. Hæc ſtatuitur contra Pet. Nigr. & aliquos ex modernis; eſt tamen communis logicorum, & metaphyſicorũ ſententia, approbata concorditèr in vtraq; ſchola, Angelica, & ſubtili, & probatur. Habitus procedens ex naturali lumine ſufficientèr diuiditur in practicum & ſpeculatiuum; ergo logica erit habitus practicus, aut ſpeculatiuus. Conſequentia patet, & antecedens probatur. Impoſſibile eſt habitum alterum harum rationum effugere, ſi ex naturali lumine procedat, quia vel ordinatur ad opus & non ad ſpeculandum, & erit practicus; vel ad ſpeculationem, & erit ſpeculatiuus; ergo figmentum erit, & commẽtitium nullius probati auctoris, aſſerere logicam non eſſe habitũ practicum aut ſpeculatiuum, ſed organicum.

Dico

Dico 2. Logica non poteſt eſſe ſimul practica & ſpeculatiua hæc ſtatuitur contra Vaſq; Ruu Hurt. Cauer. & plures alios ex iunioribus ſocietatis. Noſtra tamen concluſio deſumitur ex D.Th. 1. p. q 1.a.4.quem ſequuntur doctores ad ducendi in ſequenti concluſione, & probatur 1. ratione deſumpta ex S. D. loco citato. Vnus & idem habitus ſcientiæ inferioris, ſeu omnino naturalis, (quæ ſcilicet principijs altioris ordinis non ſubalternatur) nequit eſſe ſimplicitèr practicus, & ſpeculatiuus: ſed logica eſt huiuſmodi, ergo. Minor & conſequentia patent. maior autem probatur, quia vt ſumitur ex Ariſt. 6. metaph. cap. 1. practicum, & ſpeculatiuum ſumpta formalitèr, ſecundùm quod inueniuntur in habitibus inferioris ordinis, ſunt differentiæ eſſentiales eorum, ſe inuicèm excludentes; quippè cùm

vna & eadē ratio formalis obiecti finita, non possit habere vtramq; hanc conditionem, quòd scilicet sit, ex qua sumitur regula operandi, & quòd sit in se scibilis, etiam si nulla posset ex ea regula operis desumi; ergo vtraq; ratio non potest eidem habitui inferioris ordinis simpliciter conuenire.

Dico 3. Logica docens simpliciter, & absolutè, tantùm est scientia speculatiua. Hæc statuitur contra Gab. Greg. Conimb. Murciam, Auersam Vasq; Ruu. Fons. & plures alios recentiores. est tamē D. S. 1. 2. q. 57. a. 3. & sæpius alibi, cui subscribunt concorditer disci. puli, cum Scoto, & sequacibus, & probatur. 1. Illa est scientia speculatiua, cuius finis est speculatio, & veritatis cognitio, & non opus; sed logica docens est huiusmodi, ergo. Maior patet ex dictis. Minor probatur. Logica solùm intendit fugere ignoran-

tiam,

tiam, ad hoc enim inuenta est, vt ratio non procedat ignorantèr; neq; erroneè, sed rectè sciat, tractando de secunda intentione, eius passiones demonstrando, & resoluendo illas in sua principia, sicut & aliæ scientiæ faciunt, ergo logica est speculatiua, sicut sunt aliæ scientiæ, quæ hoc munus prę-stant; probatur consequentia; quia ex hoc quòd cognitionem passionis in sua principia resoluat, resolutiuo modoprocedit, qui est oppositus modo procedendi scientiæ practicæ, quæ compositiuo procedit modo, ergo.

Probatur 2. Actus logicæ docentis sunt speculationes: ergo ipsa est scientia speculatiua. Consequentia patet. Et antecedens probatur; quia scire quòd prædicabilia sint quinque, quòd genus sit prædicabile de speciebus, & alia huiusmodi, quæ in logica sciuntur, ita sunt speculationes;

ſicuti ſcire compoſitum ex materia & forma eſſe mobile, & ſicut ſcire animal rationale eſſe riſibile, ergo.

Probatur .3 Ideo in mathematicis (quæ ex communi ſcholæ ſenſu ſunt ſpeculatiuæ) conſtructio alicuius operis, putà trianguli, ſphęrę, aut aſtrolabij; non extrahit eas à ratione ſciẽtiæ ſpeculatiuę; quia talis operis conſtructio ordinatur ad cognitionem veritatis; neq; per illam tales ſcientię intendunt, ipſum opus factum, ſed veritatem: ſed logica dirigit operationes intellectus, & conficit ſyllogiſmos, non vt operetur, ſed vt rectè cognoſcat: neq; in tali opere efficiendo intendit opus, ſed veritatem, ergo talis operis conſtructio non extrahet logicam à ratione ſpeculatiuę ſcientiæ.

Dico 4. logica qua ratione eſt vtens, eſt habitus ſpeculatiuus, &

non practicus. Hæc statuitur contra Masium, & alios, est tamen expressa S. D. super Boet. de Trinit. q. 5. a. 1. ad 4. & 2. 2. q. 47. a. 2. ad 3. quem sequuntur omnes discipuli, & probatur. Vt aliquis habitus sit practicus, requiritur quòd habeat pro fine opus: quia per scientiam speculatiuam scimus vt sciamus; per practicam autem scimus, vt scientes operemur: sed logica vtens, non habet pro fine opus, aliquod, vt sistat in eo; sed ipsius scopus est veritatis cognitio, vt per se patet; ergo.

Conf. Ipsa opera quæ dirigit logica vtens sunt speculationes, & opera speculatiua, ergo logica vtens erit speculatiua. Consequentia patet, & antecedens probatur, talia opera sunt definitiones, syllogismi, & alia huiusmodi sciendi instrumenta, quibus intellectus speculatiuus cognoscit

spe-

ſpeculatiuè veritates; ergo opera quæ dirigit, & facit logica vtens, non ſunt practica, ſed ſpeculatiua.

Arg. 1. contra 1. concl. Logica dirigit operationes intellectus ſecundùm ſe conſiderati, abſtrahendo à ratione intellectus practici, vel ſpeculatiui: ſed illę operationes nec ſunt practicæ, nel ſpeculatiuæ, ergo neq; logica erit practica, aut ſpeculatiua, ſed orgànica. Maior patet, quia intellectus vt ſic, neq; eſt practicus aut ſpeculatiuus, iſtæ enim ſunt differentiæ per accidens illius. Conſequentia patet, & minor probatur, quia logica eſt directiua operum rationis, vbi non ponuntur rationes practicæ, nec ſpeculatiuæ; ergo neq; eſt practica, neq; ſpeculatiua, ſed aliquid tertium nempe organicum.

℞. Negando maiorem; Logica enim ſolùm dirigit ex natura

ra

ra sua operationes intellectus speculatiui, & ad hoc est ordinata per considerationem secundę intentionis: Ad prob. maioris dico, quodlicet intellectus secundùm se, non sit practicus, aut speculatiuus; habitus tamen non ita vniuersalem rationem obiecti respiciunt, sicuti potentiæ: sed quandam particularem, & determinatam rationem, quia sunt determinationes potentiarum; & ita in vna potentia reperiuntur multi habitus: non enim quicquid diuersificat habitum, diuersificat potentiam, quia potentia requirit vniuersalius obiectum, & magis commune, quam habitus.

Arg. 2. contra 2. concl. Logica non solùm procedit modo resolutiuo, qui proprius est scientiarum speculatiuarum, sed etiam modo compositiuo, qui constituit scientias practicas; ergo simul est

spe-

ſpeculatiua, & practica. Conſequentia patet, & antecedens probatur; quia logica verè contemplatur naturam & paſſiones ſui obiecti per reſolutionem vſq; ad prima principia: & ſimul introducit formam ſyllogiſmi, aut definitionis in materiam; ergo procedit vtroq; modo.

℞. Negando antecedens, quoad ſecundam partem: ad cuius probationem dico, quod quando compoſitio ipſa, ſeu introductio formæ in materiam, non exit extra meram cognitionem intellectus, tota ordinatur ad cognitionem veritatis, ac proinde nihil ibi inuenitur praxis: neq; à tali compoſitione denominatur modus compoſitiuus ille, qui conſtituit ſcientias practicas. Non tamen repugnat, quòd actus intellectus, ſit praxis, ex eo quòd actus intellectus ſit præciſè; ſed ex eo quòd ſpeculatio eſt, & tendit

dit ad veritatem, ibiq; ſiſtit; quod autem ſiſtit in veritate contemplatiuum eſt. Vnde ſola exterior actio, id eſt extra cognitionem inuenta, vt præciſe ſiſtentem in veritate pertinet ad intelectum practicum, ſiue actiuum, vt docet D.T.2.2.q.179.a.2. Actus autem intellectus vt induunt moralitatem, & liberæ voluntatis motioni ſubsũt, poſſunt practicis regulis prudentię regulari, ſicut actus aliarum virtutum, quia hi quodammodo actus exteriores ſunt reſpectu cognitionis veritatis, id eſt extra illam; & in hoc ſenſu debet intelligi, illud metaphyſicorum dictum. Intellectus extenſione fit practicus, & ſic in intellectu aliquandò reperitur praxis, quando ſcilicet ipſius actus non ſiſtit merè in veritatis contemplatione; ſed veluti vltra ad opus conficiendum dirigit, & tendit, quomodo dicitur quod-

quodammodo extendi, & veluti exire intellectum extra seipsum.

Arg. 3. Contra eandem. Theologia est simul practica & speculatiua ex D.Th. 1.p.q.1.a. 4. ergo id poterit, & debet logicæ concedi; probatur consequentia; quia logica est communis ianua, & generale quoddam instrumentum ad acquirendas omnes scientias; è quibus aliæ sunt speculatiuæ, & aliæ practicæ; ergo concedi debet logicæ vtraq; ratio; speculatiuę quidem, vt speculatiuis viam aperiat, & practicæ, vt practicis.

℞. Negando consequentiam; discrimen est, quia Theologia est scientia superioris ordinis; & participatio diuinæ scientiæ, quæ simul est practica & speculatiua; quod non potest alteri scientiæ inferiori conuenire. Ad probationem consequentiæ, nego con-

se-

quentiam; logica enim non est
inua ad scientias practicas, aut
eculatiuas, reduplicatiuè secun-
im quòd sunt practicæ, aut specu
tiuæ; sed secundùm quòd sunt
ientiæ, vt scilicet scientificè, & or
natè procedant, in quo omnes
onueniũt; vndè bene potest esse,
uod logica sit ianua ad scientias
racticas absq; eo quod ipsa sit
ractica.

Arg. 4. contra 3. concl. Logica
tiam in quantùm docens agit de
biecto operabili, modo opera-
ili; ergo non est speculatiua.
Consequentia patet, & antece-
ens probatur. Logica in quan-
um docens non solùm habet pro
ne cognoscere speculatiuè res,
le quibus agit, sed etiam trade-
e præcepta vt tales res fieri pos-
int, ergo agit de obiecto opera-
bili, modo operabili. Probatur
consequentia, quia agere modo
operabili nil aliud est quam tra-

dere

dere modum quo res fieri debeat, ergo.

℞. Negando antecedens: ad cuius prob. nego antecedens; nàm logica in quantùm docens solùm habet cognoscere speculatiuè res de quibus agit; & si agit de præceptis, vt tales res fiant, tantùm agit de illis speculatiuè cognoscendo talia præcepta.

℞. 2. Negando paritèr antecedens: ad prob. distinguo antecedens: si loquamur de fine principali, & qui per se 1. intenditur à logica, nego antecedens; si de secũdario, & de aliquo quod se habet consequentèr ad finem principalem, concedo antecedens, & nego consequentiam: quia, vt ageret de obiecto operabili, & modo operabili, requirebatur quòd finis principalis, & per se intentus, esset operabilis.

Arg. 5. contra eandem. Quælibet scientia speculatiua est nobilior

bilior scientijs practicis. Sed logica non est nobilior, illis, ergo non est speculatiua. Maior constat ex Arist. 6. metaph. tex. 2. asserente; quod Theoricæ alijs scientijs desiderabiliores sunt, seu illis præponendæ. Minor verò probatur; quia nobilitas scientiæ sumitur ex certitudine, & nobilitate obiecti, vt ibidem tradit philosophus: sed inter omnia obiecta scientiarum, debilissimum, & incertissimum est obiectum logicæ, quod est ens rationis, vt dicemus infrà, ergo.

Conf. scientiæ speculatiuæ non quæruntur quasi ad aliquid vtiles sed vt per se honorabiles ex D. Th 6. ethic. lec. 6. Sed logica intrinsicè, & per se quæritur propter alias scientias; vtpote quæ ex natura sua est via, & instrumentum ad illas comparandas: ergo logica non est scientia speculatiua, sed practica.

3.

R. Distiuguo maiorem: quælibet scientia speculatiua principalis,& cuius obiectum est ens reale, concedo maiorē: instrumentalis, & rationis negatur: logica ergò cùm non sit scientia speculatiua principalis, sed ministra, & instrumentum, non est necessarium, quod simpliciter sit nobilior scientijs practicis, sed sufficit secundùm quid esse illis nobiliorem, ex modo scilicet speculatiuè procedendi circa suum obiectum. Neq; ampliùs requiritur ad verificandum philosophi dictū; qui & intelligi debet de scientijs speculatiuis principalibus, vt ex textu patet.

Ad Conf. Dico quod logica ex parte qua est scientia speculatiua, verè est propter se appetibilis; vtpotè quæ tradit cognitionem plurium veritatum circa secundas intentiones; quæ cognitio bonum quoddam est, &

per-

perfectio intellectus: ac proinde expetibilis propter ſe. Cum quo tamen ſtat, quod ex parte qua eſt miniſtra, & inſtrumentum aliarum, quæratur propter illas: in quo deficit à ratione, & perfectione qua aliæ ſcientiæ appellantur Theoricæ. Cùm enim logica in conficiendis inſtrumentis ſciendi, & operibus rationis habeat aliquam ſimilitudinem cum artibus propriè dictis: inde eſt, quod ſecundùn quid, & per quandam analogiam poſſit denominari practica. Et inſuper ex parte qua logica eſt miniſtra, & inſtrumentum aliarum ſcientiarum, ſeu potuis intellectus ad earum acquiſitionem, aliqualitèr deficit à rigore quo cæteræ ſcientiæ, nullum habentes miniſterinm ſpeculatiuæ appellantur: ob quod inter illas non eſt ab Ariſt. Enumerata 6. metaph.cap.primo.

Arg. 6. contra eandem. Logica

gica aliquando conficit argumẽtationem ad probandum conclusionem; quæ pertinet ad habitum practicum; sed tunc argumentatio quæ est à logica est praxis: ergo logica est scientia practica. Maior per se patet, & minor probatur. Illa argumentatio est per se proxima regula praxis; quod enim 1. & per se regulatur & cognoscitur per illam, est practica conclusio, ergo, &c.

℞. Negando minorem: logica enim non est necessaria ad habitus practicos: & quod si aliquando artifex, qui scit logicam, conficiat argumentationem in materia artis mæchanicæ, illa argumentatio per se est speculatiua, quia ex natura sua ordinatur ad speculationem. Quod vero ordinetur ad opus, est ex fine operantis, & ex parte materiæ, non vero ex parte formæ, quæ habet, quod est consideratum formalitèr à logica. Arg.

Arg. 7. Contra 4. concl. Finis habitus ſpeculatiui eſt cognitio, & ſpeculatio veritatis, vt iam ſæpè diximus: ſed finis logicæ vtentis non eſt ſpeculatio, ſed conſtruere ſyllogiſmum, & illum ordinare ad cognitionem; ergo non erit habitus ſpeculatiuus.

Conf. Logica vtens habet introducere formam etiam in externam materiam, & opus, ergo eſt practica; conſequentia patere videtur. Et antecedens probatur, quia conficit ſyllogiſmum vocalē, & ſcriptum, ergo.

℞. ad arg. Diſtinguo maiorem; finis habitus ſpeculatiui ſcientifici, concedo maiorem: artis ſpeculatiuæ, nego maiorem. Igitur habitus ſcientiæ ſpeculatiuæ habet pro fine cognitionem; habitus verò ſpeculatiuæ artis, habet pro fine ſpeculatiuum opus, & tale eſt ſyllogiſmi conſtructio; eſt enim opus ſpeculatiuæ rationis, vt

N patet,

patet, & non practicæ artis.

℞. 2. Negando minorem: licet enim logica in quantum vtens habeat pro fine constructionem syllogismi, & operationem, tamen non operationem distinctam à speculatione, quia ipsa constructio syllogismi speculatio est: Ad habitum autem practicum requiritur quòd habeat pro fine operationem, quæ non est speculatio.

Ad Conf. Distinguo antecedens, habet introducere formam in externam materiam practicam, idest cuius finis est ipsius vsus, nego antecedens: cuius finis est speculatio, & veritatis cognitio, concedo antecedens. Illud igitur opus externum, etiam dicitur speculatiuum; quia est instrumentum interioris syllogismi, qui est speculationis opus; & secundùm hanc rationem respicitur à logica vt vtente; vndè etiam negamus consequentiam.

CONTROVERSIA XII.

Vtrum obiectum logicæ sit quid reale; vel rationis?

NOta 1. quod nomine obiecti logicæ intelligimus illud circa quod versatur logica; in quo duo possunt considerari; 1. est illa ratio sub qua cognoscitur talis res; & hic non agimus de ratione sub qua obiecti logicæ; quam diximus supra esse abstractionem ab omni materia sensibili, & intelligibili intrinseca, concernendo tamen materiam denominationis. Sed agimus de ratione quæ cognoscitur à logica; & vocatur obiectum, quia habitui cognoscendum obijcitur. Dicitur etiam subiectum, quia subijcitur prædicatis, quæ de illo in scientia demonstrantur. Appellatur etiam materia, non in qua, vel ex qua, sed circa quam habitus versatur: & sic obiectum, subiectum, & materia, pro eodem

communitèr vſurpantur, reſpectu ſcientifici habitus.

Nota 2. Obiectum eſſe duplex; vel vt proprius loquamur, eiuſdem integri obiecti duæ ſuut partes; alia materialis, & alia formalis. Obiectum materiale illud eſt, quod non per ſe, ſed ratione formalis obiecti attingitur à ſcientia: formale verò illud eſt, quod per ſe, ſeu ratione ſui attingitur à ſcientia. vt v.g. Obiectum materiale potentiæ viſiuæ eſt corpus, quia non per ſe, ſed ratione coloris videtur; color verò eſt formale obiectum ipſius; quia per ſe, & ratione ſui à potentia viſiua attingitur. Et in iſto obiecto formali cuiſcumq; ſcientiæ, duo poſſunt diſtingui, putà res ipſa, quæ à ſcientia conſideratur, & dicitur ratio formalis quæ, ſeu in eſſe rei, aut obiectum quod; & ratio ſub qua; & dicitur obiectum quo, aut in eſſe ſcibilis. Cum etenim res ipſa

quæ

quæ eſt formale obiectùm, aliquádo ſit vna genere, vt eſt numerus in Arithmetica; vel vna tantùm analogicè, vt eſt ens in metaphyſica: & conſequentèr de pluribus rebus ſpecie, vel genere diuerſis, aliquando vna eſt ſcientia: Quandoque verò de eadem re, ſeu ratione formali quæ, dantur plures ſcientiæ; vt de hac propoſitione: terra eſt rotunda; agit philoſophus naturalis, & Aſtrologus: Vnde, præter rationem formalem quæ; debet aſſignari alia ratio, quæ vltimò rem conſtituat in eſſe obiecti, & ſcibilis, à qua ſumatur vnitas & diſtinctio ſciẽtiæ; & hæc eſt ratio formalis ſub qua; vt iam diximus.

Nota 3. Quòd obiectum aliud eſt adæquatum, & aliud inadæquatum. Rurſus inadequatum, aliud eſt principale, & aliud minùs principale: quid autem ſit quodlibet ex iſtis, ex ipſis conſtat terminis. Obiectum adęquatum

ſolet appellari obiectum attributionis, cuius tres aſſignantur conditiones à doctoribus. Prima eſt, quod ſit id, per quod talis ſcientia diſtinguitur à qualibet alia. Secunda, quod ſit id; de quo eſt potiſſima cura in tali ſcientia. Tertia, Quod contineat omnia, quæ tractantur in ſcientia; ita vt ad ipſam reuocentur omnia, vel tanquàm principia, vel tamquam partes, aut ſpecies, vel proprietates eius. Cæterùm vt aliquid ſit obiectum adequatum ſcientiæ non requiritur quod habeat ſub ſe vt partes ſubiectiuas, & quidditatiuas inferiores, omnes res de quibus in ſcientia tractatur: Sed ſatis eſt, quòd contineat illas in obliquo, id eſt, quòd dicant ordinem ad obiectum adæquatum, ita quòd conſiderentur à tali ſcientia per ordinem ad tale obiectum v.g. obiectum adæquatum Theologiæ eſt Deus, qui licet contine-

neat sub se angelos, & alia de quibus agitur in Theologia, ita vt non possit prædicari de illis in recto, continet tamen in obliquo, quia de omnibus illis agitur, quatenùs dicunt ordinem od Deum, & conducunt ad eius perfectam cognitionem.

Nota 4. Quod ens rationis est proprietas quædam, seu esse conueniens rebus, vt sunt in intellectu, sicut esse subiectum, prædicatum, genus &c. & vniuersim omnes termini secundæ intentionis, sunt entia rationis, non enim homo à parte rei species est, sed solùm per intellectum; & hinc patet, ens reale esse illud, quod habet verum esse à parte rei, & ante intellectus cognitionem, vt est homo. Duo etenim genera prædicatorum inueniuntur in rebus omnibus; alia sunt quæ conueniunt illis à parte rei, & hæc sunt ratio entis, & passiones eius,

de quibus metaphysica tractat. Alia verò sunt prædicata, quæ omnibus entibus conueniunt beneficio intellectus, vt esse subiectum, genus, &c. quæ proinde secundæ intentiones nuncupantur, & de his est logica, vt dicemus in sequẽti controuersi. Prædicata primi generis sunt intrinseca, & naturalia omni enti, secundæ verò intentiones extra essentiam, & naturas entium, eisq; accidentales, & extraneæ.

Nota. 5. Quod logica dirigit intellectum vt cognoscat omnes res, non secundùm sua prædicata realia; sed secundùm prædicata, quæ adueniunt rebus per intellectus operationem: ideoq; logica specialitèr dicitur dirigere tales operationes: quia nimirum tradendo notitiam secundarum intentionum, quæ resultant in rebus ex eo, quod intellectus, hoc, vel illo modo res cognoscat, dirigitur

gitur

gitur ipſe intellectus in modo proprio operandi : & ſic logica quæ has intentiones cognoſcit, & inter ſe ordinat, vt ex eis fiant congrua ſciendi inſtrumenta, tribuit ipſi intellectui modum, vt de quolibet re, rectè, & abſq; errore cognitionem aſſequatur ; & hic eſt ſpecialis modus quo logica dicitur dirigere operationes intellectus.

Nota 6. In hoc quòd conceptus mentis diſponantur ab intellectu artificioſo quodam modo in ordine ad inueſtigationem veritatis; poſſe conſiderari diſpoſitionem actiuam in intellectu, id eſt, actionem illam per quam intellectus diſponit tales conceptus ; & poſſumus conſiderare diſpoſitionē paſſiuam, id eſt, quòd conceptus illi ſint diſpoſiti, & ordinati formalitèr in modū definitionis, ſyllogiſmi, &c. logica autem non agit de illa diſpoſitione actiua per ſe formalitèr

 nam

nam agere de illa sic, etiam pertinet ad philosophum, siquidem est actio realis ab intellectu physicè procedens; sed pertinet ad logicam quatenùs est prærequisitum, vt conceptus sint dispositi, & ordinati, & ita forma illa qua cōceptus formalitèr dicuntur dispositi, est quæ formalitèr pertinet ad logicam: sicut enim obiectum artis domificatiuæ non sunt ea ex quibus domus coalescit, si secundùm suam naturam spectentur, sed vt sic disposita artificiosè sub forma domus: & sicut talis ars non habet pro obiecto actionem illam per quam disponuntur partes domus; sed dispositionem ipsam passiuam, & formam à qua formalitèr dicuntur dispositæ. Ita logica non agit de illis conceptibus secundùm se; nec agit per se de dispositione actiua intellectus, sed de illis vt sunt dispositi tali, aut tali modo, & de illa forma & dispo-

sitio-

ſitione paſſiua, à qua formalitèr dicuntur diſpoſiti.

Dico obiectum formale logicæ eſſe ēs rationis Hæc ſtatuitur cōtra Suar. Fons. Conimb. Murciam, Hurtad. Cauerum, & plures alios ex modernis. Eam tamen docet D.T. 4. metaph. cap. 2. lec. 4. & opus. 42. cap. 2. & ſæpius alibi, cui ſubſcribit concorditèr Torrens Thomiſtarum, & ex neotericis, Ruu. Salas, Tolet. Onna, & alij, & probatur. 1. In qualibet ſcientia prodātur aliqua prima principia propria obiecti illius ſcientię, à quibus procedit ad concluſiones de obiecto demonſtrandas, & in quæ tandem eaſdem concluſiones reſoluit. Vnde ſi obiectum eſt ens reale, neceſſariò principia debent etiam eſſe quid reale: ſunt enim vel partes intrinſicæ obiecti, vt materia & forma in phyſica: punctum & vnitas in mathematicis; vel eſſentia ipſius obiecti, vt eſ-

ſentia ipſius obiecti, vt eſſentia entis in metaphyſica; vel cauſę reales ipſius; quę omnia vt conſtat, repugnat eſſe quid rationis, ſi obiectum eſt ens reale; ſed logica non habet aliqua prima principia realia, ex quibus procedat ad cõcluſiones de ſuo obiecto demonſtrandas. Ergo eius obiectum non poteſt eſſe ens reale. Maior & conſequentia patent. Minor autem, quę eſt D.T.opuſ.70.q.6 a 1. probatur, quia tota ars ſyllogiſtica innititur duobus illis principijs. Dici de omni, & dici de nullo. Similitèr ars definiendi, & diuidendi, innititur intentionibus generis, ſpeciei, &c. Quę omnia conſtat eſſe entia rationis, ergo principia, ex quibus logica procedit, ſunt intentiones rationis, & per conſequens eius obiectum.

Probatur 2. Enti rationis, & non enti reali conueniunt tres illę conditiones obiecti adęquati, in

nota-

notabilibus assignatæ, ergo obiectum logicæ non est ens reale. Probatur antecedens discurrendo per singulas: Quia ens rationis prædicatur ferè de omnibus, quæ in tota logica tractantur, aliaque ad ipsum reducuntur, vt partes, principia, aut species: sed hoc de nullo ente reali verificari videmus, ergo enti rationis conueniet hæc conditio obiecti. Maior patet; quia hæ sunt veræ prædicationes. Vniuersale est ens rationis; genus species, vniuocum, prædicamentum, terminus, syllogismus, demonstratio &c. Sunt ens rationis. neq; præter istas, & similes intentiones, aliquid aliud in logica tractatur, quod per se pertineat ad ipsam: nam de substantia, quantitate, qualitate, aut alijs prædicamentis agere, non pertinet ad logicam, secundùm quòd sunt partes entis realis, quo modo circa illas metaphysica versatur; sed secundùm

dùm quòd in eis attenditur subijcibilitas, & prædicabilitas, aut ratio generis, speciei, &c. De intellectu autem & eius actibus solùm tractatur in logica, secundum quòd sũt principia, & causæ, ex quibus dictæ intentiones resultant, vt patet quando inquirimus: vtrùm solus intellectus faciat ens rationis: per quem actum intellectus fiat; An vniuersalitas resultet in natura per abstractionem, vel cõparationem; neq; aliæ quæstiones nisi his similes mouentur in logica de actibus intellectus, ergo.

Probatur 3. Consideratio logica se extendit ad omnia, de quibus ens reale prædicatur; in quo metaphysicæ assimilatur, ergo cõsiderat illa sub aliqua vna ratione in eis inuenta, Sed vltra rationes reales omnibus rebus communes, quæ sunt obiectum metaphysicæ, nullæ aliæ dantur rationes, seu prædicata, quæ conueniant omnibus

nibus entibus, nisi 2. intentiones; seu prædicata rationis, ergo ratione illarum considerat logica omnia entia; ac proinde ipsæ erũt obiectum formale eius.

Conf. Logica, grammatica, & Rhetorica distinguntur contra scientias reales, & appellantur rationales; non quia ipsæ non sint veræ qualitates reales, vt patet: neq; præcisè quia dirigunt rationem, seu intellectum: cum id conueniat omnibus scientijs: neque quia habeant pro obiecto actus rationis: alias scientia de anima diceretur rationalis, & non realis: ergo ideo distinguntur contra scientias reales, & dicuntur rationales, quia earum obiectum est ens rationis: cum tamen aliæ versentur circa ens reale.

Arg. 1. Logica agit de triplici operatione intellectus; sed (vt omnes concedunt) tales operationes non sunt entia rationis, sed

realia, ergo obiectum adæquatum logicæ, non est ens rationis.

℞. Distinguo maiorem: agit de illis secundùm suas naturas reales, nego maiorem: secundùm quòd diriguntur in modum definitionis, syllogismi, &c. concedo maiorem: licet enim secundùm hanc considerationem pro materiali sint aliquid reale, tamen formaliter sunt entia rationis; id est, licet conceptus qui disponuntur sint reales, tamen forma, qua formalitèr denominantur dispositi, est aliquid rationis; ratione cuius formæ agit de illis logica, quę licet nil intrinsecũ ponat in ipsis cõceptibus, consideratur tamen ab intellectu, ac si esset aliquid in illis, & tunc tribuit eis quandam entitatem rationis, per quam intrinsicè dicuntur dispositi. Et in hoc sensu intelligi debet dictum Auicennę: Quod logica sit de secundis intentionibus, adiunctis primis.

primis. Id eſt, de ſecundis intentionibus directè, formalitèr, & ratione ſui: de primis autem intentionibus materialitèr ſolùm, & vt de fundamento ſui obiecti.

Contra. Etiam conceptus vt diſpoſiti, & ordinati formalitèr ſunt entia realia, ergo ſolutio nulla. Probatur antecedens, illi conceptus formalitèr dicuntur diſpoſiti, ab actione ipſius intellectus diſponentis & ordinantis illos: ſed talis actio intellectus eſt realis, ergo conceptus vt diſpoſiti formalitèr ſunt entia realia.

℞. Negando antecedens: ad prob. diſtinguo maiorem: denominatione extrinſeca, concedo maiorem: denominatione intrinſeca, negatur maior: & concedo minorem, & diſtinguo conſequẽs; vt ſunt diſpoſiti denominatione extrinſeca ſunt entia realia, concedo conſequentiam; vt diſpoſiti denominatione intrinſeca, negatur

tur consequentia ; & vt sic pertinent ad logicam. Dupliciter igitur conceptus denominantur dispositi formalitèr, vno modo denominatiuè ab extrinseca dispositione actiua intellectus, & hęc denominatio est realis formalis, vel extrinseca, siquidem prouenit à forma reali extrinseca: Alio modo denominantur formalitèr dispositi denominatione intrinseca, à quadam forma rationis, quam intellectus confingit in ipsis conceptibus, & hęc denominatio est rationis; & secundùm quòd tales conceptus denominantur dispositi intrinsicè, pertinent ad logicam; & consequentèr vt ad illam spectant, sunt entia rationis.

Arg. 2. Demonstratio quam logica docet conficere est vera & realis causa scientiæ, quę est habitus realis; ergo demonstratio etiã pro formali non potest esse ens rationis. Antecedens patet, & conse-

ſequentia probatur ; quia demonſtratio non ſolùm ſecundùm entitatem actuum, ſed etiam vt ſunt inter ſe diſpoſiti, eſt verè diſcurſus, & cauſa ſcientię ; ergo vt ſic, eſt ens reale.

℞. Diſtinguo antecedens : pro materiali, concedo antecedens ; pro formali, negatur; ſcientia enim, cum ſit habitus acquiſitus generatur ex actibus circa ipſius obiectū : vnde ſi demonſtrationem ſumamus pro actu diſcurſus, vel pro iudicijs, verè demonſtratio generat ſcientiam : Si verò demonſtratio ſumatur formalitèr, pro ſecunda intentione, vel pro aggregato ſecūdarum intentionum, quæ in illa reperiuntur ; ſic demonſtratio pro formali, non eſt cauſa realis ſcientię. Neq; ex eo quod inter ipſos actus, requiratur talis ordo, aut diſpoſitio, vt generent ſcientiam, ideo ordo ille debet eſſe realis; iſte enim non eſt forma conſtitutiua actu-

actuum in esse causæ scientię, sed tantùm conditio sine qua non.

Arg. 3. Omnis scientia specificatur à suo obiecto, ergo obiectum logicę erit ens reale, & non rationis. Antecedens patet, & consequentia probatur. Impossibile est quòd aliquid reale possit specificari abente rationis, sed logica est scientia realis, ergo specificabitur ab ente reali. Maior probatur, aliquid specificari ab alio, est sumero suam rationem formalem ab illo, sed non potest ens reale sumere suam rationem formalem ab ente rationis, ergo.

℞. Negando consequentiam: ad cuius prob. dico, quòd licet ens reale non possit specificari ab ente rationis, tanquàm à specificatiuo intrinseco, benè tamen tanquàm à specificatiuo extrinseco; id est tanquàm ab aliquo, ad quod dicit essentialem ordinem: scientia autem specificatur ab obiecto,

obiecto, tãquàm à specificatiuo extrinseco; intrinsicè verò specificatur ab ordine quem dicit ad suum obiectum; & ita logica intrinsicè specificatur ab ordine quem dicit ad ens rationis, & iste ordo est realis.

CONTROVERSIA XIII.

Quodnam ens rationis sit obiectum logicæ?

NOta 1. Hic à nobis supponi dari entia rationis, de quo abundè in Metaphysica agemus. Intelligimus autem nomine entis rationis id quod in se, & semota consideratione intellectus, non potest existere, potest tamen per intellectum considerari; multa enim consideramus quę in re non sunt; sed quia omnia intellectus considerat ad modum entis. Ideo ea quæ considerantur, & non sunt, dicuntur entia rationis, quasi solo

rationis beneficio exiſtentia, & aliquando tale ens rationis eſt purè fictum, vt quando imaginamur aliquid fingendo illud ſinè aliquo fundamento in re, vt quando formamus chimeram; montem aureum, & ſimilia: Aliquando verò non eſt purè fictum, ſed fundamẽtum habet in aliquo ente reali, quod tali modo poteſt cognoſci, vt ex ipſo modo cognoſcendi aliquid ei attribuatur, vel conſequatur, quod tamen in re non eſt, vt quã do cognoſcimus Deum relatiuè ad creaturas, vel tenebras ad modũ formę afficientis aerẽ, cùm tamen in re nõ ſit forma, ſed carẽtia formę; & quę primo modo finguntur, vocã tur ẽtia rationis ratiocinãtis, id eſt. nihil fundamenti extra rationem habentia; quę verò ſecundo modo, dicuntur rationis ratiocinatæ, id eſt, fundata in re cognita.

Dico 1. Obiectum adæquatum logicæ non eſt ſyllogiſmus.

Hæc

Hæc ſtatuitur contra Scotum. Io. Anglicum, Maurit. Seuerinum, & innumeros ſequaces ſcholæ ſubtilis. Eſt tamen concors Thomiſtarum ſententia, & probatur. Syllogiſmus non poteſt continere omnia de quibus agit logica, ergo non eſt obiectum adæquatum ipſius. Conſequentia patet, & antecedens probatur, in logica agitur de inductione, & exemplo; quę neq; ſub ſyllogiſmo continentur, neq; ad ipſum pertinere poſſunt; ſunt enim argumentationis ſpecies inter ſe maximè diuerſæ; vna autem ſpecies ſub altera contineri nequit, ergo.

Dico 2. Obiectum adequatum logicę nequit eſſe argumentatio. Hęc ſtatuitur contra B. Alb. Iouan. Iemoſium, Iauel. & alios. eſt tamen omnium Thomiſtarum, & probatur: eodem modo ſicut præcedens concluſio. Argumentatin non continet omnia de

qui-

quibus agitur in logica, ergo. Probatur antecedens, agitur in logica, de diuisione, & definitione; sed hęc non continentur sub argumentatione, ergo. Probatur minor, quia sunt modi sciendi specie essentiali ab argumentatione distincti, & vna species sub alia non continetur, vt per se patet, ergo.

Dico 3. Obiectum principale logicę dici potest quod sit syllogismus, siuè Argumentatio, aut demonstratio. Ita communitèr logici in schola Angelica, & probatur. Illud est obiectum principale alicuius scientię, de quo principalitèr talis scientia tractat & quò pręcipua ipsius dirigitur cura; & quod perfectissimum est inter ea de quibus scientia agit, sed ita se habet syllogismus, siue argumentatio, aut demonstratio in logica, vt per se patet, ergo.

Dico 4. Modus sciendi in communi non est obiectum adęquan-

quatum logicæ hæc statuitur contra Mercadum Tol. Fons. Bernardum Mirandul. & alios. Est tamen omnium Thomistarum, & probatur. Obiectū adæquatum alicuius scientiæ est id, quod non excedit scientiam neq: exceditur ab ea: sed modus sciendi exceditur à logica, ergo. Maior patet, & minor probatur, logica considerat per se multa alia, quæ non sunt modus sciendi; vt v. g. genus, speciem, prædicamentum, nomen, verbum, & alia huiusmodi, ergo modus sciendi exceditur à logica. & sic non poterit esse adequatum ipsius obiectum.

Dico 5. Secunda intentio in concreto, seu relatiuum rationis dicens de formali secundam intentionem, est obiectum formale adæquatum logicæ. Hæc est contra omnes eos, aduersus quos egimus in præcedenti controuersia; est tamen eorum quos ibidem

pro nobis adduximus, & omnium Thomiſtarum, & probatur 1. Iam excluſis à ſubiecto logicæ, ente reali, ſyllogiſmo, Argumentatione, modo ſciendi, &c. nil aliud reſtare videtur, quod poſſit eſſe ſubiectum adæquatum eius, niſi ſecunda intentio, vt per ſe patet, ergo.

Probatur 2. Conditiones obiecti ſupra coſtitutæ, conueniunt ſecundæ intentioni ſic acceptæ, ergo &c. probatur antecedens; nàm ſecunda intentio ſub omnimoda immaterialitate, & abſtractione à materia omni, non per depurationem actualitatis ab illa, ſed per negationem omnis materiæ; diſtinguit logicam ab omnibus alijs ſcientijs; & prædicatur de omnibus quæ per ſe conſiderátur in illa; & ea eſt, quæ principalitèr intenditur in logica; non enim quieſcimus, donec ſecundæ intentionis in ſe, & in ſuis partibus ſubiectiuis perfectam cognitionem

tionem habeamus, ergo secunda intentio est obiectum adæquatum logicæ.

Probatur 3. Logica per se tractat de genere, propositione, nomine, verbo, Argumentatione, & similibus, ergo est assignandum pro obiecto adæquato logicæ, aliquid commune, quod omnia ista comprehendat. Antecedens patet, & consequentia probatur. In Arithmetica assignatur numerus, in Geometria quantitas continua, in metaphysica ens vt ens; & in physica ens mobile, quæ sũt communia ad omnia considerata in illis scientijs: ergo in logica assignari debebit aliquod obiectũ, quod sit commune ad omnia; quæ considerantur in ipsa scientia: sed hoc nil aliud potest esse, nisi præfata secunda intentio, vt per se patet; ergo præfata secunda intentio erit formale logicæ obiectum, & ipsius materiale obiectum erit,

ipsæ res, voces, & actus intellectus, de quibus agit ratione secundæ intentionis.

Arg. 1. contra 1. conclus. Illud est obiectum adæquatum alicuius scientiæ, cuius principia partes, & species in scientia considerantur; sed syllogismus est huiusmodi, ergo; maior patet, & minor probatur: principia syllogismi sunt termini, propositiones sunt partes: & species sunt syllogismus demonstratiuus, topicus, & sophisticus, ergo.

℞. Negando minorem: ad prob. dico, quod omnia ea reducuntur ad syllogismum, non tanquàm ad subiectum adæquatum: sed tanquam ad principale, seu partiale subiectum; exceditur enim a scientia logica syllogismus, vndè nequit esse subiectum adęquatum illius.

Arg. 2. Contra eandem. Si in logica agitur de definitione, diui-

diuisione, &c.In ordine est ad syllogismum; sed de syllogismo non agitur in ordine ad aliquod aliud logicale obiectum, ergo syllogismus erit adæquatum ipsius obiectum. Consequentia patet, quia finis est adæquatum obiectum omnium eorum quę in logica tractantur, ergo.

℞. Negando minorem; nam consideratio, & cognitio syllogismi in logica ordinatur ad cognitionem secundę intentionis; & ita syllogismus non est vltimus logicę finis, nec obiectum adęquatum illius: cùm vltimatus finis sit scientię adęquatum obiectum.

Arg. 3. contra 4. conclus. Finis logicæ est iuuare intellectũ, vt de qualibet re scientiam habere possit: sed tribus instrumentis sciendi, seu modis, talis finis sufficientèr obtinetur, ergo solùm illa pertinent ad obiectum adæquatum logicę. Maior patet, &

minor probatur: quia tria possumus de qualibet re ignorare, nempè essentiam, partes, aut passiones; sed essentiam aperit definitio, partes diuisio, & passiones argumentatio; ergo hæc tria instrumenta tantùm per se, & immediatè pertinent ad obiectum immediatum; Cęterę verò intentiones, non per se, & primariò, sed mediantibus istis, & earum ratione tractabuntur à logica.

℞. Ad minorem dicendo, quod licet definitio, diuisio, & argumentatio proximius attingat finem logicę, quam alię intentiones minoris notę; hoc tamen non tollit quò minus istæ immediatè contineantur sub obiecto illius. Quia sicut ex hoc, quod sola demonstratio proximè, & immediatè attingat consecutionem scientię; non sequitur definitionem, & diuisionem mediatè contineri sub obiecto logicę: sic ex hoc,

quod

quod definitio,diuisio,& argumé-
tatio, propiùs accedant ad consecutionem scientię, non sequitur alias intentiones ab obiecto logicę esse repellendas: quia vnaquęque est scibilis per logicę principia, & immediatè subest rationi sub qua obiecti ipsius; vndè negatur consequentia.

Arg. 4. contra 5. Concl. Conditio necessaria cuiuslibet obiecti est, quòd pręsupponatur quòad an est, in scientia, vt dicitur 1. post. tex. 5. sed logica non pręsupponit an est entis rationis directiui actuũ rationis, seu secundę intentionis in concreto. ergo. prob. minor, quia ipsa logica quęrit, an sint huiusmodi entia rationis, & quid sint? ergo.

℞. Ad maiorem dicendo, quod prędicta conditio subiecti, quòd scilicet pręsupponatur an est, & quid est illius, est quidem necessaria, sed taliter, vt ipsa scientia

in quadam sui parte, nempè prę-ambulari; possit huiusmodi quęsita mouere; licet postea in alijs partibus necessariò debeat illas prę-supponere, sicut facit logica respectu entis rationis directiui, & denominatiui naturę realis; & sic negatur consequentia.

Arguitur 5. Contra eandem. Relatiuum rationis, seu secunda intentio in concreto non continet omnia de quibus agit logica per modum prędicationis in recto; ergo secundę intentioni in concreto non conuenit pręcipua conditio requisita ad obiectum adæquatum scientiæ, ac per consequens non erit obiectum adęquatum logicæ. Consequentia patet, & antecedens probatur, logica agit de specieitate, genereitate, &c. sed de his non prędicatur secunda intentio in concreto, in recto; ergo. probatur minor, quia hęc propositio est falsa; specieitas est secunda intentio

tio

tio in concreto ergo .

℞. Distinguo antecedens: secunda intentio in concreto non continet omnia per modum predicationis in recto, de quibus agit logica 1. & per se, nego antecedens; de quibus agit ex consequēti, concedo antecedens: logica autem 1.& perse, agit de specie ex consequenti autem agit de specieitate, quę speciem constituit; & ita 2. intentio in concreto non debet prędicari de specieitate, quia non est necessarium quod obiectū, quod debet prędicari in recto de omnibus, de quibus agit scientia per se primò, etiam debeat prędicari de omnibus illis in recto, de quibus agit scientia ex consequenti.

CONTROVERSIA XIV.

Quid sit Prima, & Secunda intentio logica?

NOta 1. quod intentio non sumitur a nobis in pręsenti, prout dicit actum voluntatis, qui distinguitur ab electione; & respicit finem, sed pro actu seu conceptu intellectus, qui dicitur intentio generali modo, quia tendit in aliud, nempè in obiectum & ita sicut conceptus alius est formalis, alius obiectiuus; scilicet ipsa cognitio, vel res cognita: ita alia est intentio formalis; & alia obiectiua. Ipsa relatio rationis, quę attribuitur rei cognitę, dicitur intentio odiectiua: formalis verò intentio est ipse conceptus per quem formatur obiectiua intentio. Sicut v. g. quando concipimus animal tanquàm superius ad sua inferiora, ipsa vniuersalitas

tas ex parte animalis se tenens, dicitur intentio obiectiua, seu passiua; ipse verò conceptus, quo sic concipitur animal, dicitur intentio formalis, & sic aliud est formalis intentio, vt distinguitur contra obiectiuam, & aliud formalitas intentionis secundæ, vt se tenet ex parte obiecti cogniti; hæc enim semper est aliquid rationis, vtpotè ex cognitione resultans; illa verò est actus realis.

Nota 2. Quòd secunda intentio sic vocatur secundùm differentiam à prima; quasi dicatur secundus status, seu conditio obiecti. Potest enim obiectum cõsiderari in duplici statu, 1. secundùm quòd est in se, siue quantum ad existentiam, siue quantum ad quidditatem. 2. vt est in apprehensione; & status iste essendi in cognitione, est secundus respectu status essendi in se, qui est primus; quia sicut cognoscibilitas sequitur

ad entitatem, ita esse cognitum, est post illud esse quod habet in se: illæ ergo affectiones, seu formalitates, quæ conueniunt rei prout in se, vocantur primæ intẽtiones; & quæ conueniunt rei prout cognitæ, vocantur secundæ; & quia pertinet ad logicam dirigere res, secundùm quòd sunt in apprehẽsione, ideo per se considerat intentiones secundas, quæ cõueniunt rebus vt cognitis.

Nota 3. Quod isti termini prima, & secunda intentio sunt termini connotatiui, & ita significant vnum de materiali, & aliud de formali; significatum materiale est illud quod intelligitur, & cognoscitur; significatum verò formale est quidam ordo rei cognitæ ad intellectum cognoscentem; qui ordo non solùm in secunda intentione, sed etiam in prima aliquid est rationis.

Dico 1. Si sermo sit de prima in-

intentione pro materiali, aliquando est ens reale, quod est substantia, siue accidens, & aliquando est ens rationis. Hęc est communis doctorum sententia, & probatur. Prima intentio est quicquid primò intelligitur, & primò concipitur: sed aliquando cognoscitur ens teale, quod est substantia, vt homo; aliquando accidens, vt albedo: aliquando ens rationis, vt cęcitas, esse visum, ergo prima intentio pro materiali, aliquando est ens reale, & aliquando rationis.

Conf. Sicut v.g. genus habet pro materiali substantiam: vt v.g. animal; aliquando accidens, vt colorē; aliquando verò ens rationis, vt vniuersale, similiter prima intentio aliquando habet pro subiecto, ens reale substantiale, siue accidentale; & quandoq; ens rationis, vt per se patet, ergo.

Dico 2. Prima, intentio pro for-

formali, semper est relatio quędam rationis, qua id quod primò intelligitur, & obijcitur intellectui refertur ad ipsum. Hęc statuitur contra Sanches, Mas. & alios. Eam tamen docet Heruęus. Bruxell. & alij, & probatur. Rem esse primam intentionem, est rem esse primò cognitam, & terminare primum conceptum intellectus (accipimus autem intentionem obiectiuè, pro eo quod est esse obiectum intellectus) sed rem esse primò cognitum, aut terminare primum conceptum, nil ponit in re, ergo est ens rationis: Sed neque est negatio, neq; priuatio, vt patet, ergo est relatio rationis.

Dico 3. Si sermo sit de secunda intentione pro materiali, semper importat, & dicit relationem rationis. v.g. vniuersalitas, siue relatio prędicati, aut subiecti, est materiale huius termini, secunda intentio, siue illius relationis rationi

tionis quam ſecunda intentio dicit ad intellectum. Hęc eſt communis logicorum ſententia, & probatur. talis relatio rationis ad intellectum facit aliquid referre ad intellectũ & non apparet quid hoc poſſit eſſe niſi huiuſmodi relationes rationis, ergo. Maior patet, & minor probatur; quia huiuſmodi relatio nequit referre, aut denominare ens rationis quod eſt chimæra, aut id quod eſt priuatio, aut eſſe viſum, quia hæc omnia denominantur à prima intentione rationis, ergo.

Dico 4. Secunda intentio de formali dicit relationem rationis qua refertur materiale ſecundę intentionis ad intellectum. Hæc eſt contra Sanchez, & Mas. eſt tamen communior in ſcholis, & probatur 1. de ratione ſecundæ intentionis eſt, quòd terminet ſecũdum conceptum, ſiue ſecundam cognitionem intellectus: ergo habet quod ſit relatio, qua id, quod ſecun-

secundò cognoscitur ab intellectu, referatur ad illum, tanquàm terminans eius secundam cognitionèm. Consequentia probatur, quia prima intentio pro formali, est relatio rationis, qua id, quod primò cognoscitur, refertur ad intellectum, tanquàm terminans eius primam cognitionem; ergo & secunda intentio pro formali, erit etiam relatio rationis.

Probatur 2. Species v. g. aut vniuersale, sunt entia secũda cognitione cognita ab intellectu, vt per se patet: ergo formalitèr loquendo, necessario debent dicere relationem rationis ad intellectum. Consequentia patet, quia implicat aliquid esse cognitum, & non dicere relationem rationis ad intellectum cognoscentem, ergo.

Dico 5. Non omnis relatio rationis est secunda intentio. Hæc est communis, & probatur. Quia licet omnis relatio rationis resul-

tet ex cognitione, non tamen omnis iſta relatio denominat rem ſolùm in ſtatu cogniti, qui eſt ſtatus ſecundus, ſed etiam in ſtatu exiſtentiæ extra cognitionem, ergo. Probatur antecedens, relatio creatoris, & domini, non denominat Deum in ſe cognitum, ſed Deum exiſtentem; & ſimilitèr eſſe doctorem, & iudicem: neque enim homo vt cognitus eſt doctor, aut iudex, ſed homo exiſtens; & ita denominant iſtæ relationes pro ſtatu exiſtentiæ, ergo.

Arg. 1. contra 2. concl. Sequeretur quod omnis terminus primæ intentionis ſignificaret formalitèr relationem rationis: ſed hoc eſt abſurdum, ergo prima intentio non dicit relationem rationis ad intellectum. Sequela patet, nam terminus primæ intẽtionis ſignificat primam intentionem in concreto, quæ formalitèr dicit relationem rationis ad intellectum,

ctam, cùm ſit eius formale conſtitutiuum. Minor autem probatur, quia hic terminus Deus, non dicit formalitèr relationem rationis, ſed naturam; idemq; eſt de termino homo, ergo.

℞. Negando minorem: ad prob. dico, quòd ſi loquamur de ſubſtrato primæ intentionis, ſcilicet de iſto termino Deus; homo, &c. ſic terminus primæ intentionis non ſignificat relationem rationis, ſed tantùm importat ſuum ſignificatum; ſi verò loquamur de termino primæ intentionis ſecundùm ſuam formalitatem, & vt eſt forma rationis denominans, v. g. hunc terminum, homo, primam intentionem, vt ſic ſolùm importat relationem rationis; quia huiuſcemodi relatio eſt ratio eſſentialis conſtitutiua primæ intentionis.

Arg. 2. contra eandem. Natura à parte rei habet, quod ſit obie-

obiectum intellectus, cum omne ens reale habeat ex se quod sit obiectum eius: ergo secundùm se habet quòd sit prima intentio; & sic prima intentio pro formali non dicit relationem rationis ad intellectum.

℞. Distinguo antecedens: natura habet ex se, quod sit formalitèr obiectum intellectus, nego antecedens; fundamentalitèr, concedo antecedens: formalitèr enim id solùm natura habet per hoc, quòd formalitèr intellectus tendit in ipsam naturam, tanquàm in quoddam cognitum per ipsum; ex quo sequitur, quòd statim natura dicat habitudinem ad intellectũ, quæ est relatio rationis, nempè prima intentio pro formali. Cætera de ente rationis tradentur in metaphysica.

CON-

CONTROVERSIA XV.

Vtrum à parte rei dentur naturæ vniuersales?

NOta 1. Quod iste terminus vniuersale, est connotatiuus & ita significat duo, vnum de materiali, scilicet rem quæ denominatur vniuersalis: & aliud de formali, nempè illam formam, à qua denominatur vniuersalis: An autem forma conueniat rebus ante operationem intellectus, posteà ttademus: hic verò solùm inquirimus, vtrum res significata per terminos, possit denominari vniuersalis à parte rei, à tali forma.

Nota 2. Nomine vniuersalis intelligi id quod habet respectũ aliquem ad plura: contraponitur enim singulari, quod multis communicari nequit; sed quia contingit multipliciter aliquid plura re-

spi-

ſpicere, pluritèr etiam vniuerſale ſumitur; ſed præſertim triplicitèr putà in ſignificando, cauſando, eſſendo ſeu prædicando. Vniuerſale iu ſignificando eſt quod comparatur ad plura vt ſignum eorum vt ſunt voces communes quæ plura ſignificant, vt homo, animal. Vniuerſale in cauſando eſt illud, cuius virtus ad plures effectus ſe extendit ſiue ſit efficiens, ſiue in alio genere cauſæ, vt Deus, Cælum. Deniq; vniuerſale in eſſendo, ſeu prædicando eſt illud, quod reſpicit plura iu quibus habet eſſe, & de quibus prædicatur, ſicut animal inuenitur in homine, & leone, & prædicatur de illis: & hoc vocatur abſolutè, & ſimplicitèr vniuerſale: nam alia enumerata entitatiuè & ſimplicitèr ſunt ſingularia, vt per ſe conſtant; ſolùmq; dicuntur vniuerſalia, quia cauſant, repræſentant, vel ſignificant plura, quod eſt eſſe vniuerſale ſecundùm quid.

Omiſ-

Omissis ergo alijs acceptionibus, hic solùm agimus de vniuersali in essendo, seu prædicando, quod dicitur vniuersale logicum.

Nota 3. Quod vniuersale logicum, definitur hoc modo. Vniuersale est vnum in multis, & de multis. Vel vt Arist. dicit 7. metaph. tex 14. vniuersale est, quod pluribus inesse natum est. Dicitur autem in prima definitione esse in multis per identitatem cùm illis, quia per communicationem vniuersale fit idem cum singulari, seu inferiori: & dicitur esse, de multis, per prædicationem; nil autem prædicatur de alio, nisi sit idem cum illo; & per hoc explicatur prædicabilitas, quæ est passio vniuersalitatis: vndè vniuersale in essendo, & prædicando differunt, vt essentia & passio; quia ex eo quod aliquid sit in multis, sequitur de illis posse prædicari. In secunda autem definitione dicitur, quod

quod pluribus natum eſt ineſſe ; quia plura vniuerſalia ſunt, quæ de facto non exiſtunt, niſi in vno tantùm, vt ſol, luna &c.

Nota 4. Vniuerſale aliud eſſe metaphyſicum, aliud logicum; quia enim metaphyſicus conſiderat principalitèr naturas, logicus verò intentiones, ſiue relationes rationis, ipſa natura ſeu ſubiectũ abſtractum à pluribus, dicitur vniuerſale metaphyſicum, quia in illo directè & principalitèr conſideratur natura. At verò vniuerſale logicum principalitèr reſpicit ipsã intentionem, ſeu formam qua aliquid denominatur vniuerſale, quæ eſt ſecunda intentio, & relatio rationis; hanc enim præcipuè conſiderat logicus, præſuppoſitiuè autem naturam, tanquàm in quo fundatur vniuerſatas, agit enim de ſecundis intentionibus, vt fundantur in pimis. Et ſic intelligitur quod metaphyſicus & logicus

gicus agunt de eodem, sed diuerso modo. Metaphysicus principalitèr de natura, logicus de intentione.

Nota 5. Quod vniuersalitas, & particularitas pertinent ad ratione statu ipsius naturæ, quæ ab vniuersalitate, vel singularitate denominari potest. Vnde triplex status solet assignari in qualibet natura. Primus est status naturę secundùm se, quia in eo non considerantur nisi ea tantùm quæ constituunt ipsam naturam, & quidditatem, vnde vocatur etiam status indifferentiæ, quia natura secundùm se indifferens est ad prædicata accidentalia, & vocatur etiam status solitudinis, quia natura est sola ab omni extrinseco prędicato; vocatur etiam communis negatiuè, quia non intelligitur multiplicata natura. Secundus status est secundùm esse quod habet natura in singularibus, qui est status singularitatis. Tertius deni-

denique ſtatus eſt, ſecundùm eſſe quod habet in abſtractione intellectus, quæ abſtractio etiam dici poteſt ſtatus ſolitudinis, non pro ſolitudine ab omni extrinſeco prædicato, ſed ſolùm pro ſolitudine, ſeu præciſione ab indiuiduis; & iſti duo ſtatus non conueniunt naturę ſecundum ſe, quia neuter eorum eſt prædicatum eſſentiale naturæ; ſi enim natura ſecundùm ſe eſſet vniuerſalis, nunquam poſſet eſſe ſingularis; vel ſi ſecundùm ſe eſſet ſingularis, nunquàm poſſet inueniri vniuerſalis. Quare in ſtatu naturæ ſecundùm ſe, omnia quæ non ſunt prædicata quidditatiua, illi denegantur.

Dico 1. A parte rei præter voces communes, dantur etiàm naturæ multis communes. hæc ſtatuitur cõtra Ocham, & plures alios Nominales. eſt; tamen Ariſt. 1. Perih. cap. 15. D. Th. de ente, & eſſentia cap. 4. & opuſ. 55. & 56. quos ſequuntur con-

corditèr Scholę & probatur 1. Plures sunt prædicationes verę, & necessariæ in quibus genus prędicatur de specie, & species de indiuiduis. ergo id quod in illis enunciatur est res aliqua, & non voces. Antecedens patet, quia hæ propositiones: Petrus est homo, & homo est animal, veræ sunt, & necessariæ, & consequentia probatur. Quia si voces prædicarentur, vtraque propositio esset falsa, & impossibilis, nàm ita falsum est dicere, Petrum esse hanc vocem homo, sicut vocem homo esse vocē animal. ergo.

Probatur 2. scientiæ reales verè tractant de rebus, sed non de rebus singularibus, ergo de vniuersalibus. minor & consequentia constant, quia singularia sunt corruptibilia, & à natura per accidens intenta: maior autem Probatur. Quia philosophia definiens hominem, quod sit animal rationale, non definit hanc vocem homo; siquidem illa

illa non constat corpore, & anima rationali, & Astrologia demonstrãs terram esse rotundam, id non probat de vocibus, vt patet: vtimur tamen eis loco rerum, quia has ad Scholas adducere non possumus, vt ait Arist. ergo verè dantur res, & naturæ vniuersales.

Probatur 3. obiectum intellectus est à parte rei, sed naturę vniuersales sunt obiectum intellectus. ergo. maior patet, & minor probatur; eo differt sensus ab intellectu, quia sensus est singularium, intellectus verò naturarum vniuersarum, alioquin enim si intellectus, est singularium tantùm, non differret à sensu, & ita intelligere esset sentire; sed hæc omnia sunt absurda. ergo.

Dico 2. naturæ vniuersales non sunt à parte rei à singularibus separatę. hæc statuitur contra Plat. eam tamen docet Arist. 7. metaph. tex. 51. quem sequitur S. D ibidem lec. 14. & concorditèr philosophi, & pro-

batur 1.ratione desumpta ex D.Th. opusc. 55. & 56. Impossibile est aliquid esse de essentia alterius, & quòd non sit in illo: imò prædicatio necessaria requirit aliquã identitatem rei, de qua dicitur, vt indicat ipsa forma prędicationis. ergo sibi contradicit Plato, dum admittit naturas eas, siue ideas esse de essentia singularium, verèq; prædicari de illis; & simul asserit ab eis esse realitèr separatas.

Probatur 2. Si daretur talis natura à singularibus separata, simul esset vniuersalis, & non vniuersalis; vniuersalis quidem, vt supponimus, & non vniuersalis; quia talis natura, seu idea verè existeret à parte rei; ergo ex vi alicuius actionis realis, siquidem esset quid creatum, sed quælibet actio realis terminatur ad rem singularem: ergo illa natura verè esset singularis. probatur minor, quia illius proprium est fieri, cuius proprium est esse; sed in re-

bus

bus creatis esse proprium, est singularis, non verò naturæ communis, vt docet D. Th. q. 9. de pot. ar. 5. ad 13. ergo &c.

Arguitur 1. contra 1. conclus. Ex eo, quod detur à parte rei natura vniuersalis, à pluribus indiuiduis abstrahens, tria præsertim sequuntur inconuenientia. ergo probatur antecedens, 1. Quia omnia illa indiuidua sunt illud vnum vniuersale, ergo sunt idem inter se; Quæcunque enim sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, sed Pet. & Paul. sunt idem vni tertio, putà homini, qui est aliquid reale; ergo sunt realitèr idem inter se. 2. vel ipsa natura vniuersalis descendit tota ad quodlibet indiuiduum, vel vna pars descendit ad vnum, & alia ad alterum? secundum hoc dici nequit, sic enim Pet. esset pars hominis, non integrè homo. Si verò dicatur primum, admittitur mysterium Trinitatis in creaturis, quod natura ho-

minis vna exiitens, & aliquid reale, tota communicatur vni indiuiduo, & tota alteri. 3. Ille homo in vniuersali, vel esset corruptibilis, vel non? Si non est corruptibilis: ergo corruptibilitas non est propria passio eius, quod est falsum; quia omnis homo est corruptibilis. Si est corruptibilis? ergo & generabilis: ergo ad illum potest terminari generatio, & existentia, quod est ponere ideas Platonis.

℞. Negando antecedens. Ad prob. dico 1. inconueniens inde non sequi, quia illa maxima intelligitur de his quæ sunt eadem vni 3. quod ita est vnum, vt virtualiter non sit multiplex. Quod S. D. 1. p. q. 28 ar. 3. appellat esse idem vni 3. re & ratione; id est vni tertio quod est idem secundum rem & secundum rationem, & non virtualitèr multiplex; natura autem vniuersalis, virtualitèr est multiplex, quia pluribus est communi-

cabi-

cabilis; vnde ex identitate cum illa, non ſequitur identitas indiuiduorum inter ſe, vel poteſt dici; quod omnia indiuidua dicũtur eſſe vnum in natura communi, non vnitate reali, ſed vnitate ſimilitudinis, & conuenientię, quæ per intellectum accipitur tanquam vnitas, vnde non ſequitur quod ſint vnum inter ſe, ſed ſolùm ſimilia, & conuenientia; per rationem tamen accipiuntur tanquam vnum.

Ad 2. Inconueniens dico, Quod communicatio naturæ vniuerſalis, ad ſingularia, non eſt ſicut communicatio totius integralis ad partes integrantes, ſed ſicuttotius, prædicabilis ad partes ſubiectiuas. in quo non fit diuiſio per partes ſed diuerſa multiplicatio naturę in diuerſis indiuiduis. Vnde in diuiſione integrali quælibet pars non adęquat totum, in communicatione verò vnsuerſalis ad particularia, quælibet pars ſubiectiua adæquat

 totum,

totum, quantum ad naturam communicatum, sed non quantum ad extensionem, & multiplicabilitatem illius. Quod longe distat à mysterio Trinitatis, in quo non fit communicatio per multiplicationẽ naturæ, sed per identitatem eiusdẽ naturæ singularis cum tribus personis.

Ad 3. inconueniẽs dicitur. Quod homo in communi dicitur corruptibilis, & generabilis, quantum ad radicem, & conuenientiam corruptibilitatis, non quantum ad exercitium: conuenit enim corruptibilisas naturæ, sed exercetur in indiuiduis, sicut conuenit ei risibilitas, sed exercitium ridendi non conuenit naturæ in communi, sed indiuiduo. Vnde hoc in omnibus proprijs passionibus inuenitur, quod connexio, & conuenientia earum, est respectu naturæ communis, exercitium verò respectu ndiuiduorum.

Ar-

Arguitur 2. contra eandem: Quicquid existit à parte rei, est singulare; ergo à parte rei nulla datur res, seu natura vniuersalis: sed tantùm voces, aut conceptus, quæ entitatiuè sunt singularia, vt iam diximus. Antecedens patet, & consequentia probatur, quia vniuersale opponitur singulari; ergo si à parte rei omnes res sunt singulares, à parte rei nulla erit vniuersalis.

℞, Negando consequentiam: quia sicut naturæ vniuersales à parte rei sunt idem cum singularibus, ita à parte rei existunt per existentiam singularium, sicut etiam fiunt per actiones quibus fiunt singularia. Ex hoc tamen solùm sequitur, non dari vniuersale à parte rei separatum; hoc enim est, quod opponitur singulari; non tamen infertur non dari à parte rei naturas communes, & vniuersales, singularizatas tamen, & à singularibus à

parte rei non separatas.

Arguitur 3. contra 2. conclus. scientia est de vniuersalibus, perpetuis, & inuariabilibus. ergo præter singularia quæ sunt caduca, & contingentia, ponendę sunt naturę aliquæ reales, & vniuersales à singularibus separatæ. Antecedens patet, & consequentia probatur; quia alias non, essent immunes à mutatione & contingentia, si cum ipsis singularibus orirentur, & interirent. ergo.

℞. negando consequentiam; quando enim dicitur obiecta sciẽtiarum, & veritates quę ab illis attinguntur, esse perpetuas, & ęternas; id non dicitur ratione existentię æternæ, quam realitèr habent in aliquo subiecto extra intellectũ diuinum, sed dicuntur æternę obiectiuè, & negatiuè, id est, quia connexio veritatum essentialium, quæ sunt obiecta, non dependet ab aliquo fundamento temporali, vel exi-

existentia facta in tempore, sed ex se habet semperveritatem attingibilem ab intellectu, quantumcunq; intellectus sit æternus, & nullo modo fundatam in aliqua ratione libera, vel contingenti; quare non est necesse quod veritas quę attingitur à scientia, sit subiectiuè extra singularia, sed obiectiuè attingatur sine illis.

CONTROVERSIA. XVI.

Vtrum à parte rei detur vnitas formalis in natura?

NOta 1. certum esse ad hoc, vt natura sit materia apta vniuersalis non debere esse singularem essentialitèr, qualis est natura diuina, quę quia est simplicissima, & actus purus, non admittit compositionem ex ratione communi, & singulari, sed ipsa per se ipsam, est essentialitèr singularis; ac proindè

repugnat esse vniuersalem. Vn
prædicationes in quibus natu
diuina dicitur de personis, vt P
est Deus, &c. non possunt esse a
ius prædicabilis.

Nota 2. entia per accıden
aceruum, & vniuersim omnia
posita ex entibus completis
diuersorum prædicamentorum
posse esse materiam vniuersalis
vniuersale de quo loquimur, d
esse vnum simpliciter, quale
est ens per accidens. Eademo
ratione excludũtur trãscende
analoga, & ęquiuoca; quę sicu
fectu vnitatis excluduntur à li
prædicamentali: vt infra do
mus, ita etiam excluduntur a
teria vniuersalium: Vndè ta
naturæ vniuocę, vniuersales es
terunt.

Nota 3. vnum nihil aliud es
si ens indiuisum in se, & diui
quolibet alio; ita vt vnitas
carentiam diuisionis: diuisio
(qu

(quantum ad presens attinet) ex cuius cognitione vnitas cognosca-tur , duplex est . Alia materialis, & alia formalis . diuisio materialis, & numerica est illa quæ fit per princi-pia materialia , & per conditiones indiuiduantes , & ista reperitur in-ter omnia indiuidua eiusdem spe-ciei, vt inter Pet. & Pau. qui non distinguntur specie , & formalitèr, sed solum materialitèr intra eandē speciem . Diuisio formalis illa est quæ prouenit ex principijs forma-libus , & ex diuersis formis forma-litèr distinctis, & hoc modo distin-guntur homo,& leo, qui distinctas habent essentiales,& specificas for-mas . Similiter ergo vnitas est du-plex. Alia materialis, & numerica, & alia formalis . Materialis, & nu-merica est entitas indiuisibilis , & habet carentiam diuisionis mate-rialis, qua vnitate Petrus est vnus, quia caret principio materiali, per quod posset diuidi in plura indiui-

dua

dua. Vnitas formalis est entitas indiuisibilis, vt habet carentiam diuisionis per principia formalia formalitèr distincta; & hac vnitate homo v. g. est vnus formalitèr, quia caret principio formali, per quod possit diuidi formalitèr in plura inferiora, formalitèr & specificè distincta.

Nota 4. de vnitate numerica nullum esse dubium, quin detur à parte rei, cùm clarè constet Pet. v.g. à parte rei esse ens indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio vltima diuisione, & nequeat diuidi in plura indiuidua; quod est habere à parte rei vnitatem numericam. Vnde solùm est difficultas de vnitate formali: An scilicet in Petro, prætèr vnitatem numericam, detur à parte rei vnitas formalis? Cuius sensus non est: an vnitas formalis, & numerica distinguantur à parte rei: sed, an sicut à parte rei datur vnitas numerica, sic etiam detur à

parte

parte rei vnitas formalis: potest enim hæc esse à parte rei, quin sit realitèr distincta à numerica. In hoc ergo sensu controuertimus: an sicut datur à parte rei vnitas numerica in natura, sic enim detur vnitas formalis?

Dico, à parte rei,& ante omnem operationem intellectus dari vnitatem formalem in natura; hæc statuitur contra plures ex modernis; Colligitur tamen ex Aristot. 5. metaph. tex 1 1. eam docet D. Th. opusc. 42. c.7. & omnes vtriusq. Scholæ doctores, & probatur 1. vnitas formal s est carentia diuisionis formalis, seu entitas indiuisa formalitèr: sed Pet. à parte rei habet carentiam diuisionis formalis, seu entitatem formalem indiuisam, & non tantum indiuisionem materialem. ergo à parte rei, non solùm habet vnitatem numericam, sed etiam formalem; maior patet, & minor probatur; quia sicut à parte rei Petr s non est diuisus in plures materias, seu indiuidua: ita non est
di i.

diuisus in plures formas, seu essentias. ergo sicut à parte rei habet carentiam diuisionis materialis; ita à parte rei habet carentiam diuisionis formalis.

Conf. Quia à parte rei non solùm datur diuisio materialis inter indiuidua eiusdem speciei, sed etiam datur diuisio formalis inter indiuidua diuersarum specierum. ergo in Petro, præter vnitatem numericam datur à parte rei vnitas formalis. Consequẽtia patet; quia priuationes seu carentiæ regulantur per habitus, seu formas oppositas. Antecedens verò probatur; quia nullo intellectu considerante, sicut Pet. distinguitur à Paulo materialiter; ita distinguitur à leone essentialiter. ergo,

Probatur 2. A parte rei Pet. & Paul. habent relationem similitudinis, seu identitatis in natura humana: ergo datur ibi vnitas formalis. Antecedens patet, & consequentia probatur; quia relatio similitudinis, seu identitatis fundatur in vnitate ex Aristot. 5. metaph.

táph. tex. 20. sed non fundatur in vnitate numerica, cùm in hac potius sint dissimiles, & diuersi; ergo fundabitur in vnitate formali.

Arg. 1. Vnitas realis in actu, tantum est passio entis realis in actu, quod solùm est ens singulare, vt per se patet. ergo vnitas realis tantum sequitur singularitatem, & indiuiduationem.

℞. negando consequentiam: licet enim concedamus vnitatem realem in actu, solùm sequi entitatem singularem, quæ est entitas in actu: negamus tamen tantùm sequi ad singularitatem, seu differentiam numericam; quia etiam sequitur ad alias perfectiones essentiales, quæ in tali entitate singulari continentur.

Arg. 2. sicut non datur nisi duplex ens, nempe reale, & rationis, ita non datur nisi duplex vnitas, purâ realis, & rationis: sed vnitas realis solùm est vnitas numerica; ergo vnitas formalis solùm potest esse per intelle-

tellectum; probatur minor; quia omnia quæ sunt in singularibus, à parte rei sunt singularizata, & indiuiduata: ergo quamuis Pet. v. g. à parte rei sit homo, animal, viuens, nihil tamen istorum erit à parte rei commune, sed singulare, & ex consequenti omnia erunt vnum numero per vnitatem numericam, ac proinde non dabitur vnitas formalis.

℞. negando minorem: sicut enim entitas realis Petri non solum continet principia materialia, vnde sumitur differentia numerica, sed etiam principia formalia, vnde sumitur differentia essentialis: ita vnitas realis Petri, non solum continet vnitatem numericam, quæ sequitur principia materialia, sed etiam vnitatem formalem, quæ sequitur principia essentialia; quamuis à parte rei non distinguantur istæ vnitates, sicut non distinguuntur à parte rei differentia numerica, & essētialis. Vnde ad prob. minoris, concedo quod omnia quæ à

par-

parte rei sunt in Petro, sunt singularizata, nihilq; esse à parte rei commune; indè tamen solum sequitur vnitatem formalem esse à parte rei coniunctam cum vnitate numerica in quocunq, indiuiduo: & non dari aliquam vnam vnitatem formalem communem omnibus, vt dicemus infra; cum quo tamen stat verè dari vnitatem formalem, quod intendimus.

CONTROVERSIA XVII.

Vtrum vnitas formalis conueniat naturæ ante operationem intellectus?

Nota, Quod vnitas nil aliud est, quàm carentia diuisionis, & vnitas formalis carentia diuisionis penes principia formalia generica, vel specifica. Quæcunque autem vnitas dicit aliquid positiuum ex parte entitatis, & negatiuum ex parte formalis

malis quod entitati superaddit. Vnitas autem naturæ, & entitatis dupliciter poteſt eſſe cõmunis; negatiuè ſcilicet, & poſitiuè. Tunc eſt communis negatiuè; quando natura non eſt appropriata alicui ſuppoſito, vt ipſum nomen indicat; nam negatiuè commune idem eſt quod non ſingulare: Vnde natura ſic ſumpta, idem eſt, quod natura ſolitariè, abſque conſortio ſcilicet indiuiduorum. Tunc vero vnitas eſt poſitiuè communis; quando natura indiuiſa manens ſecundùm illam vnitatem reperitur in pluribus.

Dico I. Tot dantur à parte rei, vnitates formales in aliqua natura, quot dantur indiuidua illius. hæc ſtatuitur contra Scot. Anton. Andr. Monlor. & plurimos Scholæ ſubtilis aſſeclas. eſt tamen concors Thomiſtarum ſententia, & probatur. Si natura humana à parte rei habet vnitatem formalem, vt oſtendimus ſupra, & talis vnitas non eſt vna in

omni-

omnibus indiuiduis. ergo à parte rei tot sunt constituendæ vnitates formales, quot sunt indiuidua.

Confir. 1. Vnitas formalis quantùm ad realem entitatem (qualitèr de ea loquimur) est ipsa natura; ergo multiplicata natura, multiplicatur etiam formalis vnitas.

Confir. 2. hæc vnitas formalis est passio naturæ, sicut vnum est passio entis; sed passiones multiplicantur, multiplicata essentia; ergo sicut alia est natura Petri, & alia Pauli; ita etiam alia erit vnitas formalis vnius, & alia alterius.

Dico 2. loquendo de vnitate, quantùm ad realem entitatem quã dicit, à parte rei nulla datur vnitas formalis, quæ sit positiuè communis indiuiduis, aut quid realitèr vnum, & indiuisum in illis. hæc etiam est contra Scotum, & sequaces. eam tamen docet D. Th. cap. 4. de ente, & essentia, quem sequuntur concorditèr discipuli, patet ex præcedenti con-

Probatur 2. natura humana à parte rei est multiplex in indiuiduis. ergo à parte rei non est vna in illis. Consequentia patet, antecedens verò probatur. natura non distinguitur realitèr à singularitate; sed à parte rei tot sunt singularitates realitèr distinctæ, quot indiuidua, vt per se patet. ergo tot etiam erunt naturę; patet hæc consequentia, quia in creatis impossibile est aliqua duo esse realitèr idem, & quod multiplicetur realitèr vnum, alio realitèr immultiplicato; ergo.

Conf. Omnes proprietates reales, quæ prædicantur de aliqua natura, prædicantur etiam de illius indiuiduis: sed data à parte rei hac vnitate positiuè communi, esset proprietas realis naturę, vt probatum est; ergo prædicatur de indiuiduis eius; & per consequens Pet. haberet vnitatem positiuè communem pluribus, quòd est omnino absurdum.

Dico 3. nulla datur natura cui à

par.

parte rei conueniat aliqua vnitas communis requisita & sufficiēs ad vniuersale. hæc conclusio patet ex precedenti, & probatur. Vt detur natura communis eo modo, quo requiritur ad vniuersale, vel debet habere vnitatem positiuam, vel ad minus negatiuam; sed nulla datur natura, quæ à parte rei habet talem vnitatem. ergo; maior patet, & minor probatur, imprimis de vnitate communitatis positiuæ, quia communitas positiua, siue commune positiuè est idem quod existens sine sui diuisione in multis, quę non reperitur in aliqua natura creata, vt patet ex præced. conclus. deniq ue de vnitate communi negatiuè probatur. Illa natura dicitur communis negatiuè, quæ nulli indiuiduo est appropriata, sed nulla est natura quæ à parte rei non sit appropriata alicui indiuiduo, quia nō inuenitur nisi in singularibus. ergo non datur natura quę habet à parte

rei

rei communitatem negatiuam; probatur minor, nulla datur natura, quæ à parte non sit inuoluta conditionibus indiuiduantibus, quæ sunt propriè singularium. ergo nulla datur natura quæ à parte rei non sit appropriata alicui indiuiduo. probatur consequentia, quia effectus formalis conditionum indiuiduantium, est appropriare, & determinare naturam ad aliquod indiuiduum. ergo.

Dico 4. Vnitas siue indifferentia requisita ad vniuersale, conuenit naturæ per operationem intellectus cum fundamento in re: hæc est concors Thomistarum sensus, & probatur ipsam explicando. Igitur natura humana v.g. sumpta secundùm ea quæ sibi ex natura sua, & essentialitèr conueniunt, non includit aliquam differentiam indiuidualem, sed omnes differentiæ particulares sunt extra rationem, & essentiam illius; ex quo sumit occa-

ſionem intellectus, vt ſaltem natu. ram conſideret ſine illis differentijs indiuidualibus, in quibus à parte rei erat diuiſa, ſed talis natura quæ à parte rei eſt multiplicata per plures differentias indiuiduales per quas appropriatur pluribus indiuiduis, quando ab intellectu cõſideratur ſine illis differentijs indiuidualibus, manet in intellectu cũ vnitate communi, & requiſita ad vniuerſale. ergo.

Arguitur 1. contra 1. concl. vnitas formalis eſt illa qua aliquid dicitur vnum formale, ſeu vnum in ſpecie; ſed vnum indiuiduum ſine conſortio alterius non dicitur vnũ in ſpecie; neque enim admittimus quod Pet. ſit vnum in ſpecie, niſi addatur Pet. cum Paulo, vel Ioanne; ergo vnitas formalis non multiplicatur in quolibet indiuiduo, ſed facit plura indiuidua eſſe vnum inter ſe.

℞. Diſtinguo minorem: vnum indiui-

diuiduum ſine conſortio alterius non dicitur vnum in ſpecie, quantùm ad ſimilitudinem,& conueniẽtiam, concedo minorem, quantum ad indiuiſionem ſpecificam, negatur. Habet enim natura quæ eſt in vno indiuiduo, etiam prout in illo, negationem diuiſionis ſpecificæ per principia formalia. Conuenientiam autem, & ſimilitudinem cum alio indiuiduo non habet ſine conſortio alterius,& ſic dicitur illa vnitas formalis facere plura indiuidua vnum inter ſe, quia facit illa conuenire in vno, ſeu habere ſimilitudinem, & conuenientiam in natura: vndè pariter negamus conſequentiam.

Arguitur 2. contra 2. & 3. concl. natura humana à parte rei in Pet. & Paulo eſt vna formaliter. ergo à parte rei conuenit illi vnitas formalis communis pluribus; conſequentia patet; & antecedens probatur; à parte rei. Pet. & Paulus ſunt eiuſdem ſpeciei,& conueniant

in ratione hominis. ergo in i
parte rei eſt vna vnitas formali
turæ. Antecedens patet, quia v
eſt eſſentialitèr homo; & conſeq
tia probatur, quia non poteſt i
ligi conuenientia ſine vnitate
illa ratione in qua eſt conuen
tia; ergo ſi à parte rei Pet. & Pa
conueniunt in ratione homini
parte rei natura humana habet
tatem reſpectu illorum.

℞. Diſtinguendo anteceden
parte rei natura humana eſt
formalitèr in Pet. & Paulo, id
vtroque habet ſuam diſtinctam
tatem formalem cum mutua n
tione diuiſionis formalis per p
cipia diuerſarum ſpecierum; co
do antecedens: eſt vna in vtro
& reſpectu vtriuſque habet vn
& eandem vnitatem formalem
go antecedens: & ad probatio
diſtinguo 2. partem antecede
conueniunt in ratione homini
eſt, in aliqua ratione quę à par

ſit vna aliqua vnitate reali communi reſpectu vtriuſque, nego antecedens: conueniunt in ratione hominis, id eſt, vterque habet ſuam propriam, & particularem rationem hominis, cum mutua negatione diſtinctionis per principia formalia; concedo antecedens; negatur tamen conſequentia: ad cuius prob. diſtinguo antecedens, non poteſt intelligi conuenientia ſine vnitate, quando eſt conuenienita identitatis, concedo antecedens: quando eſt ſolùm conuenientia ſimilitudinis, nego antecedens: at verò Pet. & Paulus à parte rei non habent cōuenientiam identitatis in aliqua vna ratione, ſed ſolùm conuenientiam ſimilitudinis, per hoc quod vterque eſt homo; vt Petrus albus, & Paulus albus dicuntur habere conuenientiam in albedine, non per identitatem, ſed ſolum per ſimilitudinem; certū enim eſt, quod non datur aliqua vna albedo à parte

rei in qua conueniant Pet. & Paulus, sed sunt duæ albedines, & quia sunt similes ideo dicuntur habere conuenientiam in albedine.

R. 2. etiam distinguendo antecedens: natura humana in Petro, & Paulo à parte rei, est vna formalitèr; id est, vna per conformitatem, concedo antecedens, vna per aliquam entitatem vnam, & indiuisam in ipsis, nego antecedens: dicimus igitur Petrum, & Paulum à parte rei habere vnitatem conformitatis, seu similitudinis in ratione naturæ; Ad quam non requiritur alia tertia vnitas, aut entitas eadem in omnibus indiuiduis; sed quòd natura vnius indiuidui sit cõformis naturæ alterius indiuidui in prædicatis essentialibus.

Arguitur 3. contra easdem. datur distinctio formalis à parte rei diuersa à numerica, sicut homo, & leo formalitèr in re distinguntur, seu specificè, ergo etiam datur vnitas

for-

formalis diſtincta à numerali à parte rei;probatur conſequentia, quia quot modis dicitur vnum oppoſitorum, tot modis dicitur, & alterum. ergo.

℞. diſtinguo conſequens : datur vnitas fosmalis poſitiua,& communis, nego conſequentiam ; vnitas negatiua, vel fundamentalis, concedo cenſequentiam. ſic ergo dicimus dari vnitatem formalem à parte rei fundamentaliter, & quantùm ad vnitatem negatiuam; non formalitèr, & ſecundum vnitatem poſitiuam. Vocamus autem vnitatem fundamentalem, conuenientiam, ſeu ſimilltudinem,hęc enim darur à parte rei, quia Petrus v.g. & Paulus ſunt ſimiles in natura; ſed iſta conuenientia non eſt vnitas; conuenientia enim poriùs ſupponit diſtinctionem extremorum. Siuiilitèr cum dicimus dari vnitatem negatiuam formalem, non eſt ſenſus,

rei in qua conueniant Pet. & Paulus, sed sunt duæ albedines, & quia sunt similes ideo dicuntur habere conuenientiam in albedine.

R. 2. etiam distinguendo antecedens: natura humana in Petro, & Paulo à parte rei, est vna formalitèr; id est, vna per conformitatem, concedo antecedens, vna per aliquam entitatem vnam, & indiuisam in ipsis, nego antecedens: dicimus igitur Petrum, & Paulum à parte rei habere vnitatem conformitatis, seu similitudinis in ratione naturæ; Ad quam non requiritur alia tertia vnitas, aut entitas eadem in omnibus indiuiduis; sed quòd natura vnius indiuidui sit cōformis naturæ alterius indiuidui in prædicatis essentialibus.

Arguitur 3. contra easdem. datur distinctio formalis à parte rei diuersa à numerica, sicut homo, & leo formalitèr in re distinguntur, seu specificè, ergo etiam datur vnitas for-

formalis diſtincta à numerali à parte rei;probatur conſequentia, quia quot modis dicitur vnum oppoſitorum, tot modis dicitur, & alterum. ergo.

℞. diſtinguo conſequens: datur vnitas formalis poſitiua,& communis, nego conſequentiam; vnitas negatiua, vel fundamentalis, concedo conſequentiam. ſic ergo dicimus dari vnitatem formalem à parte rei fundamentaliter, & quantùm ad vnitatem negatiuam; non formalitèr, & ſecundum vnitatem poſitiuam. Vocamus autem vnitatem fundamentalem, conuenientiam, ſeu ſimilitudinem,hęc enim datur à parte rei, quia Petrus v.g. & Paulus ſunt ſimiles in natura; ſed iſta conuenientia non eſt vnitas; conuenientia enim potiùs ſupponit diſtinctionem extremorum. Similitèr cum dicimus dari vnitatem negatiuam formalem, non eſt ſenſus,

quod in duobus indiuiduis sit eadem negatio, cum sint diuersa subiecta; sed quòd vtraque negatio facit vnum, & eundem effectum, scilicet illam naturam nō esse diuisam per principia formalia; & eodem modo dicendum est, quod duo indiuidua diuersæ speciei, minùs sunt vnum, quam indiuidua eiusdem, id est minus conuenientia, & similia, neutra tamen magis, vel minùs vnum vnitate reali, & positiua.

Contra. Si non daretur talis vnitas positiua communis, maximè quia idem secundùm suam entitatem repugnat esse in multis; sed hoc non repugnat. ergo. maior patet, & minor probatur. ex D. Th. 1. p. q. 1. ar. 4. idem numero peccatum originale quod fuit in Adamo est in omnibus hominibus. ergo non implicat quod eadem numero res, & entitatiuè eadem sit in multis, & sic non implicabit quod à parte rei detur vnum in multis.

℞. Ne-

℟. Negando minorem: ad prob. dico, quod idem numero est in omnibus causalitèr, quatenùs vnum, & idem peccatum fuit causa, vt omnes filij nascantur peccatores; non verò idem numero formalitèr, vel effectiuè; ita quod idem numero peccatum, quod fuit commissum ab Adamo, sit commissum ab omnibus: & sic solùm sequitur dari à parte rei vniuersale in causando, quod & nos fatemur, cùm sit quid singulare.

Arguitur 4° contra easdem: natura humana quæ est in Petro, & Paulo, definitur vnica definitione: ergo habet aliquam vnitatem in illis: nihil enim in re definiri potest nisi quatenùs vnum ex Arist. 4 metaph. tex. 10. sed hæc vnitas non est per intellectum; quia à parte rei, & nō ab intellectu habet natura quod sit definibilis. ergo est vnitas realis, & ex consequenti sicut definitio indiuisa manens est positiuè communis

indiuiduis, ita etiam vnitas.

℞. Distinguo consequens: habet aliquam vnitatem realem, & positiuè communem, nego consequentiam: habet vnitatem conformitatis, concedo consequentiam. Ad hoc igitur, vt natura sit definibilis remotè, sufficit vnitas conformitatis, quam indiuidua alicuius naturę habent à parte rei: quia verò intellectus, priusquàm definiat naturam, necessariò concipit illam confusè vnico conceptu, in quo resplendet ipsa natura absque singularitatibus distinguentibus: ideò vltra conformitatem illam realem, datur in natura aliqua vnitas rationis, vel saltèm aliqua denominatio extrinseca, ratione cuius natura sit proximè definibilis. Quæ vnitas rationis indubiè requiritur; nam quicquid definitur debet esse simplicitèr vnum: vndè ad minorem dicimus, naturam à parte rei habere quod sit definibilis remotè,

non

non verò proximè; hoc enim habet ab intellectu.

Arguitur 5. contra easdem. Quãtumcunq; natura diuidatur per differentias numericas, manet formalitèt indiuisa. ergo in illa manet vnitas formalis: sed talis natura manens eadem formalitèr, communicatur pluribus: ergo vnicam, & eandem vnitatem formalem habent illa plura: & per consequens dabitur in natura vnitas formalis, quæ non multiplicetur in illis.

℞. Distinguo antecedens: manet formalitèr indiuisa, vnica indiuisione, nego anteeedens; pluribus, conceditur; vnde negamus consequentiam; non enim sequitur naturam habere vnam vnitatem formalem, sed plures. Addimus tamen, quod licet vnitas formalis à parte rei multiplicetur in indiuiduis; tamen vnitas formalis vnius non distinguitur formalitèr ab vnitate formali alterius; sed tantùm materialitèr, & nu-

mericè. Quarè licet natura, quæ in se quid formale est, sit realitèr diuisa per indiuidua; non est tamen formalitēr diuisa: & sic verè dicitur semper manere formalitèr indiuisam, non verò indiuisam realiter. ex quo fit naturam à parte rei habere plures indiuisiones, seu vnitates formales, non formalitèr inter se distinctas, sed tantùm materialitèr.

CONTROVERSIA XVIII.

Vtrum aptitudo, & indifferentia ad multa conueniat rebus extra operationem Intellectus.

NOta 1. Nomine aptitudinis, seu potentię indifferētis ad multa, nō intelligi in præsēti aliquā potentiam positiuā ad agendū aliquid, vel recipiendum, cùm vniuersale, de quo agimus, non respiciat inferiora tanquàm effectus, quia non est vniuersale in causando: sed esse poten-

tentiam per modum capacitatis, seu non repugnantiæ ; vt multiplicetur in multis;& sit in illis per idẽtitatem,& consequenter per prædicationem, quatenùs vniuersale, & particulare, superiùs& inferiùs, significãt quoddam totum; vniuersale quidem quasi indeterminatum, & abstractum; particulare verò, vt determinatum,& contractum; & quia indeterminatum pòtest fieri determinatum, dicitur habere aptitudinem, vt sit in illo, & prædicetur de eo.

Nota 2. Quod hæc aptitudo potest considerari formalitèr,& positiuè, in quantum respicit inferiora; vel fundamentalitèr pro ipsa capacitate, seu non repugnantia ad respiciendum inferiora,& descendendum ad illa, in hac enim non repugnantia fundatur ille respectus, & quando sumitur positiuè, seu per modum respectus, est ipsa formalis intentio, seu vniuersalitas in actu ; com-

communitas autem negatiua nō est aliud, quàm naturam ex se non esse singularem. Vnde quod controuertimus est, an ratione huius communitatis negatiuæ; inueniatur in natura secundùm se sumpta, aliqua non repugnantia, seu capacitas, vt sit in pluribus, & prædicetur de illis.

Nota 3. Quòd non distinguimus in præsenti aptitudinem ad essendum in multis, & ad prædicandum de multis; quia licet sint distincti respectus vniuersalitas, & prædicabilitas; siquidem prædicabilitas est passio vniuersalitatis; tamen capacitas, seu non repugnantia eadem est ad essendum in multis, & ad prædicandum de multis; quia ista duo scilicet esse, & prædicari, ita essentialitèr coordinātur, vt posito vno, sequatur aliud: quando autem aliqui actus essentialiter ordinantur, eadem aptitudo, seu non repugnantia, est ad vnum, & ad alterum sicut

sicut formam vniri materiæ, & materiam recipere esse ab illa, in eadem capacitate, seu non repugnantia materiæ fundantur.

Dico; istam aptitudinem, seu non repugnantiam, quæ est fundamentum proximum vniuersalitatis, nullo modo inueniri in natura secundum se, neq; vt contracta in indiuiduis, sed in natura abstracta, & præcisa per intellectum: Hæc statuitur contra Scotum, Et sequaces. Desumitur tamen ex D. Th opusc. 56. & cap. 4. de ente & essentia, quem sequuntur omnes discipuli, & probatur. Aptitudo ista quæ est fundamentum proximum vniuersalitatis, non est sola communitas negatiua, seu negatio habendi singularitatem, sed est capacitas, seu non repugnantia, vt natura vna existens, multiplicetur in multis; ergo in statu, in quo natura non est vna, nec plures; vel in statu, in quo est contracta ad indiuiduationem; non habet capacitatem vnitatis

tis ad multiplicationem : ſed in ſtatu ſingularitatis habet repugnantiam ad iſtam multiplicationem : in ſtatu autem ſolitudinis,ſeu naturæ ſecundum ſe, nondùm habet vnitatem multiplicabilem in plura, ſed ſolùm prædicata quidditatiua, inter quæ non poteſt numerari iſta capacitas, ſeu non repugnantia vnitatis ad multiplicationem : Alioquin vbicunque eſſet natura conueniret illi talis capacitas ; quod manifeſtè eſt falſum, vt patet ex ijs quæ ſupra docuimus : ergo.

Conſ. Natura ſecundùm ſe,& in ſingularibus, non eſt capax intentionis, & reſpectus poſitiui ad multa : ergo neq; fundamenti proximi iſtius relationis, qualis eſt aptitudo vnitatis ad multa ; ergo non datur talis aptitudo in natura ſecundùm ſe, neq; in indiuiduis: ſed omnino dicendum eſt, quod iſta aptitudo neceſſariò ſupponit vnitatem capacem multiplicationis in multis : vnde quamdiu

in

in natura non inuenitur talis vnitas; neq; aptitudo reperitur; ista autem vnitas solùm est vnitas abstracta, & non realis, vel naturæ secundum se: ergo.

Arg. 1. Natura possibilis non petit essentialitèr hanc numero singularitatem, vel existentiam, alias esset essentialitèr singularis, quod nulli naturæ creatæ conuenit; ergo indifferens est ad plures existentias, & sic ex se, & non ab intellectu, apta est inesse multis.

℞. Distinguo consequens; manet indifferens negatiuè, concedo consequentiam. Positiuè, negatur consequentia. Sic ergo natura in tali statu, esset negatiuè indifferens; id est non determinata ad hoc, vel illud: non verò haberet aliquam indifferentiam, seu communicabilitatem positiuam; & sic neq; daretur in natura vnitas, aut aptitudo desiderata ad vniuersale; sed ad summum à parte rei esset vnitas conformitatis;

quæ

quæ non est aliqua vnitas in pluribus.

Arg. 2. Non repugnant ista duo quod natura ex principijs materialibus sit singularis,& contracta;ex principijs tamen formalibus & specificis sit indeterminata, & consequenter apta ad essendum in pluribus, licet impediatur per ipsam singularitatem, ergo. Probatur antecedens; quia materia prima habet aptitudinem ad plures formas, licet sit impedita quãdiu est sub vna, vt informetur illis; ergo pari modo de natura dicendũ.

℞. Negando antecedens: ad prob. dico, esse dispare rationem inter aptitudinem materiæ, & aptitudinem vniuersalitatis, quia materia ex sua propria natura habet capacitatem ad plures formas,& eius aptitudo & potentia ad illas est eius entitas; vnde vbicunquè saluatur entitas illius, saluatur & ista aptitudo, quia conuenit illi secundùm se; at verò aptitudo ad essendum, & prædicandum de multis, consequitur naturam ratio-

ratione ſtatus, & vnitatis abſtractæ, eſt enim aptitudo non quomodo cunq; ſed ad hoc vt vna natura multiplicetur in multis, quæ vnitas illi non conuenit ante operationem intellectus; & ſic diſpar eſt ratio de aptitudine materiæ, & naturæ; quare negatur vltima conſequentia.

Arg. 3. Actus aptitudinis naturæ, eſt realis; ergo & ipſa aptitudo conuenit rei ſecundùm ſe, ſeu à parte rei. Conſequentia patet, quia potentia ſumit ſuam ſpecificationem ab actu, ſic enim verificatur, quod potentia & actus ſunt in eodem genere, quando actus eſt per ſe ſpecificatiuus potentiæ; & ſic ſi actus eſt realis, etiam & potentia. Antecedens verò probatur, quia actus huius aptitudinis, eſt exiſtere in pluribus ſingularibus, quod eſt aliquid reale, eſſe enim particulare, aliquid reale eſt, ergo & eius correlatiuum, quod eſt eſſe vniuerſale.

℞. Negando antecedens: ad cuius

ius prob. dico, actum aptitudinis vniuersalis non esse existentiam plurium indiuiduorum, seu prædicationem, seu contractionem vnius naturæ ad plura indiuidua, quod aliquid rationis est: existentia autem plurium indiuiduorum, solùm potest esse fundamentum, vt abstrahatur vnitas vniuersalis, & reddatur apta ad istam prædicationem: particulare autem non est correlatiuum vniuersalis nisi sumatur secundò intentionalitèr; si autem sumatur pro particulari, vt inuenitur in re, seu primò intentionalitèr, sic non est correlatiuum vniuersalis, sed fundamentum eius.

CONTROVERSIA XIX.

Vtrum datur vniuersalitas à qarte rei.

NOta 1. vniuersale duplex esse (vt supra diximus) aliud logicum, & aliud metaphysicum, inter

quæ

quæ illa est differentia, quod licet vtraque respiciat, seu connotet inferiora; dispariter tamen, nam metaphysicum ea respicit, vt terminũ à quo relictum; logicum verò, vt terminum ad quem comparatur; idque inde est, quia metaphysicus considerat naturas denudatas à cõditionibus indiuiduantibus, non verò pertinet ad eum considerare respectum earum ad easdem naturas, vt prædicetur de illis, sed ad logicum; vnde vniuersale logicum consistit in respectu ad inferiora; qui quidem respectus triplex est, primus aptitudinis ad essendum in inferioribus, secundus aptitudinis ad prædicandum, seu prędicabilitas ipsa positiuè, & relatiuè accepta. tertius est relatio ipsius prædicationis actualis, qua prædicatum est, & non solùm prędicabile.

Nota 2. In vniuersali solùm inueniri tria, quæ ad integram eius rationem pertinent, putà vniuersale

ſale materiale, fundamentale, & formale. Quod eſt dicere naturam, ſeu ſubiectum, quod denominarur vniuerſale, & hoc dicitur vniuerſale pro materiali; fundamentum proximum relationis vniuerſalis, quod eſt vnitas pręciſa ab inferioribus cum aptitudine, ſeu non repugnantia ad eſſendum in illis; & formam ipſam relatiuam, qua comparatur, & reſpicit illa plura, & hæc eſt vniuerſale formale, ſeu vniuerſalitas, quæ conſideratur à logico, vt eſt ſecunda intentio, aut quædā relatio rationis; in omni autem relatione hęc tria concurrunt, & ſufficiunt, ſcilicet ſubiectum, fundamentum, & forma ipſa relationis.

Dico, à parte rei non dari vniuerſale formalitèr, ſeu vniuerſalitatem; ſed naturam fieri formalitèr vniuerſalem per operationem intellectus. hęc ſtatuitur contra Scot. & ſequaces. eſt tamen Ariſt. 1. de Anima cap. 1, D. Th. opuſc. 55. & 56. & c. 4.

& c. 4. de ente, & essentia, estque concors Thomistarum sententia, patet ex dictis in superioribus controuersijs, & probatur 1. natura in statu contractionis non est formalitèr vniuersalis, neque etiã considerata secundùm se: ergo solùm potest esse vniuersalis formalitèr, quatenùs est in intellectu, seu in statu abstractionis. Consequentia patet, quia non est alius status, in quo possit natura considerari. Antecedens verò quòad primam partem liquet; Quoad posteriorem autem probatur; tùm quia natura secundûm se non habet vnitatem positiuè communem, vt suprà docuimus. Tum etiam quia illi prouè sic, omninò accidit esse vniuersalẽ, vel particularem: ergo secundùm quod consideratur in tali statu, non est formalitèr vniuersalis.

Confir. vt natura sit formalitèr vniuersalis, debet esse simplicitèr vna, & non multiplicata; sed nulla talis

talis natura eſt à parte rei,vt ex dictis patet. ergo.

Probatur 2. Hæc prędicatio; homo eſt vniuerſalis, eſt accidentalis: ſed prędicatum illius non eſt entitatiuè ſubſtantia, vt contingit in aliquibus prædicationibus accidẽtalibus, vt in hac, annulus eſt aurũ; ergo dicit pro formali aliquod accidens: non reale; ergo rationis. maior patet; quia ſi eſſet prędicatio eſſentialis, prædicatum conueniret omni contento ſub ſubiecto, & ita Petrus eſſet vniuerſalis, quod eſt abſurdum. minor etiam eſt manifeſta; quia vniuerſale etiam reperitur in alijs prędicamentis; ſiquidem quantitas eſt vniuerſalis, &c. ergo non poteſt eſſe entitatiuè ſubſtantia. Per quod etiam patet non poſſe eſſe aliquod accidens reale: ſiquidem non continetur in aliquo determinato prędicamento. ergo reſtat vniuerſalitatẽ eſſe formã rationis; ac proindè non dari à parte rei.

Argui-

Arguitur 1. Obiectum præcedit potentiam, etiam secundùm id quo formalitèr est obiectum, siquidem prout sic specificat eam; sed obiectum intellectus est vniuersale; ergo præcedet illum, & sic dabitur à parte rei.

℞. Distinguendo minorem; Obiectum intellectus est vniuersale fundamentalitèr, concedo minorem; vniuersale formalitèr, negatur minor; non enim ab eadem forma constituitur in esse obiecti, & in esse vniuersalis, & sic potest esse formalitèr obiectum, cum tamen sit fundamentalitèr vniuersale, quòd de facto euenit.

Arguitur 2. Vniuersale non potest constitui formalitèr in esse talis per quid singulare; sed quæcunq; intentio ab intellectu producta est singularis; ergo per illam non potest constitui formalitèr vniuersale maior patere videtur, quia vniuersale, & singulare opponũtur: minor

autem probatur, quia quæcunque intentio continetur sub aliqua specie, vt indiuiduum eius. ergo.

℟. Distinguo maiorem; per quid singulare denominatiuè, concedo maiorem; entitatiuè, negatur maior: sicut enim species impressa, vel expressa rei, etiamsi in se sit quid singulare, dicitur tamen, & est in repræsentando vniuersalis; pari modo secùnda intentio vniuersalis, potest esse entitatiuè singularis, cũ tamen sit constitutiua vniuersalis.

Arguitur 3. si vniuersale fieret per intellectum, ex eo esset, quia separatur natura à phantasmatibus; sed dantur multę naturæ vniuersæ, quę non habent phantasmata, vt sunt res spirituales, virtutes, & vitia: ergo dantur plures naturę, quę non fiunt vniuersæ per intellectum.

℟. Distinguò maiorem, in ijs naturis quę phantasmata habent, concedo maiorem; quæ phantasmate-

ca-

carent;negatur maior. Igitur naturę illæ, quæ phantaſmatibus ſunt inuolutæ,fiunt vniuerſæ abſtractione à phantaſmatibus, medio lumine intellectus agentis,loquendo de vniuerſo metaphyſico: Illæ verò naturæ, quę à phantaſmatibus ſunt depuratę,vniuerſales redduntur ab intellectu poſsibili abſtrahente naturam communem à ſingularibus, vt ab hac, & illa iuſtitia abſtrahitur communis iuſtitiæ ratio; & vt ab intellectu in ordine ad inferiora cognoſcitur, ſit vniuerſalis logicè, modò infra explicando.

Arguitur 4. Metaphyſicus à dialecticoin eo differre videtur,quia ille agit de ente rei, hic verò de ente rationis: ſed metaphyſicus diſputat de genere, & ſpecie,quę ſunt vniuerſalia,ex Ariſt. 4. metaph.c.2. ergo vniuerſale ſic erit ens rei, & non habebit eſſe per intellectum.

℞. Negando maiorem; falſum enim eſt quod metaphyſicus ſolùm

agat de ente rei, & non de ente rationis; vt dicemus in metaphysicis: Cæterùm id diuersè, ac logicus agit, quia hic tractat de ente rationis, quà relatio rationis; & ille qua natura, & entitas. Vndè ad minorem dicimus metaphysicum agere de genere, & specie, non quidem formalitèr, sed fundamentalitèr; id est, agit de naturis quę denominantur genera, & species.

CONTROVERSIA XX.

Per quem actum Intellectus repræsentetur, & fiat vniuersale metaphysicum?

NOta 1. in nobis duplicem esse intellectum, alterum scilicet agentem, & alterum possibilem, seu passibilem: dicitur intellectus agēs, non ab agendo, & producendo cognitionem, sed ab agendo species, quæ recipiuntur in intellectu possibili,

bili, qui ideo dicitur possibilis, seu passibilis, quia patitur seu recipit istas species, & illis receptis operatur cognitionem, eò quod omnis cognitio generatur à potentia, & obiecto; Obiectum autem non potest per suam entitatem esse in potentia, sed per suam speciem, seu similitudinem, quæ in nostris potentijs est accidens quoddam, gerens vices obiecti, & illud repræsentans. Et licet ab obiectis externis mittantur species istæ ad sensus exteriores, quibus informati in cognitionem procedunt, & indè ad interiores sensus alias species transmittunt, quas dari experientia testatur, cum cessantibus externis sensibus, repræsentationes fiant in internis, sicut patet in somniantibus: tamen istæ species non sunt proportionatæ intellectui, qui cum spiritualis sit, spiritualium repræsentationem postulat, & obiectum intelligibile, non sensibile; ideò ne-

cesse fuit ponere quandam vim, seu potentiam, quæ ex istis speciebus sensibilibus, spiritualem speciem eliceret, quam intellectui possibili tribueret. Ista autem vis, seu potentia non potest intelligere, quia intellectio producitur à potentia, & specie, ista verò potentia facit species, non supponit illas, vt intelligat, vnde faciendo illas non intelligit: & sic dicimus quod intellectus agens omnia facit, & intellectus possibilis, omnia fit.

Nota 2. Actum absolutum intellectus dici per oppositionem ad comparatiuum, scilicet illum qui non comparat, neque ordinat vnū ad aliud, sed rem ipsam cognoscit secundùm se. Potest autèm aliquis actus absolui ab ordine ad aliud dupliciter: vno modo purè negatiuè, accipiendo vnum omni alio suppresso, vel omisso, ad quod poterat ordinari; alio modo priuatiuè, seu positiuè, quia accipit vnum separan-
do

do ab alio cum cognitione vtriusq; termini: & hinc oritur duplex abstractio, alia negatiua, alia positiua. Negatiua concipit vnam naturam omissis conditionibus indiuiduantibus, & circa illas negatiuè se habendo; abstractio positiuaest illa, quæ separat naturam à condirionibus, non purè omittendo, & relinquendo indiuidua, seu differentias indiuiduales, sed cognoscendo id, quod relinquit, & id quod assumit, & consequentèr cognoscendo distinctionem inter vnum, & aliud.

Nota 3. Vniuersale metaphysicũ solùm esse ipsas naturas, seu essentias reales de quibus agit metaphysica, quę non agit de naturis, prout sunt in singularibus, sed prout ab eis separantur; sicut etiam & aliæ scientiæ de naturis communibus agunt; vndè si natura sic à singularibus pręcisa, pertineat ad obiectum physicum, poterit dici vniuersale physicum; si ad mathematicas, ma-

thematicum;& si spectet ad obiectũ metaphysices, metaphysicum dicetur. Cęterùm vsu Scholarum, omnes naturę sic præcisæ, consueuerunt appellari vniuersale metaphysicum, vel sumpta denominatione à digniori sciẽtia: vel certè quia obiectum metaphysicę transcendit obiecta aliarum scientiarum, & sic possunt quodammodo talia obiecta appellari vniuersale metaphysicam.

Dico 1. Species producta per intellectum agentem repræsentat naturam sine singularitate; & sic repræsentatur vniuersale fundamentalitèr, quod est vniuersale metaphysicum, ita quod illa species non solum respicit naturam secundùm se, & in statu solitudinis, sed sub vnitate præcisionis. hæc statuitur contra Merin. & alios: desumitur tamen ex S.D. 1.p.q.14 ar. 11. ad 1. & sæpius alibi: quem sequitur Lisbon. & communiter discipuli, & probatur. Species illa sic producta

per

per intellectum agentem repræsentat naturam exclusis indiuiduis, vt nūc supponimus, sed repræsentat illam tanquam vnam. ergo non repræsentat solum naturam secūdùm se, nec cum vnitate singulari, sed cum vnitate pręcisionis, quam consequitur aptitudo, seu non repugnantia ad respiciendum illa, & essendum in illis, quod est vniuersale metaphysicum, & fundamentum logici. maior & consequentia patent, & minor probatur. Intellectus informatus illa specie cognoscit naturam vt vnam; ergo in ipsa specie repræsentabatur vt vna, cognitio enim id attingit cognoscendo, quod species repræsentando. consequentia patet, & antecedens probatur, quia si non cognosceret vt vnam, ex vi talis cognitionis natura non redderetur vna vt cognita; ergo si redditur cognita vt vna, cognitio attingit illam vt vnam.

Dico 2. Per abstractionem in-

tellectus agentis fit vniuersale metaphysicum. hæc est communis in Schola Angelica, & probatur. nihil aliud est vniuersale metaphysicum quam natura vt vna, cum non repugnantia ad essendum in multis; sed totum hoc habet per illam abstractionem. ergo; maior & consequentia patent, & minor probatur: species in vi abstractionis causata, est formalitèr vna in repræsentando; ergo natura quę est eius obiectum est vna obiectiuè; & aliàs per illam tollitur id quod impediebat nè contraheretur per plura, scilicet conditiones indiuiduantes, & determinantes naturam; ergo ex vi illius natura fit vna cum non repugnantia ad essendum in pluribus, & consequentèr fit metaphysicè vniuersalis.

Arguitur 1. Contra 1. conclus. etiam quando intellectus cognoscit naturam secundùm se, cognoscit illam vt vnam, quia vnico actu

illam

illam attingit, actus autem vnus respicit obiectum vnum, & tamen ex hoc illa natura non habet vnitatem vniuersalis, ergo neque colligitur sufficientèr, quod habeat illam quando ex vi speciei ab intellectu agente productæ naturam cognoscit. Antecedens patet, & consequentia probatur, quia potest illam cognoscere vt vnam secundùm se. ergo.

℞. Negando consequentiam; quando enim cognoscitur natura secundùm se, sub modo vnitatis cognoscitur, & ex illo consequitur in natura illa aliqua vnitas præcisionis, & ideo naturam cognosci secundum se, non tollit vnitatem consequutam ex modo cognitionis, sed solùm designatur quod ex parte rei cognitæ secundùm se non habet illam vnitatem. Vnde natura secundum se solum significatur ex parte rei cognitæ, si tamen cognoscitur per modum vnius, ex

ipso modo cognoscendi habet vnitatem præcisionis, & vniuersalitatis; itaque vt cognita est vna ex modo cognoscendi, & secundum se non est vna ipsa res cognita, vt ex se.

Arguitur 2. contra 2. concl. Ex vi abstractionis intellectus agentis, nil habet natura preter ea quæ secundum se illi competunt; sed vniuersalitas metaphysica ei secundum se non competit; ergo nec illam habet natura ex vi prædictæ abstractionis. minor & consequentia patent, & maior probatur dupliciter 1. quia per speciem impræssam repræsentatur natura secudùm sua predicata essentialia præcisè; & sic nil habet quód ei secundum se non competat. 2. quia id quod additur ex vi illius abstractionis, vel est aliquid reale, vel rationis; non primum, quia omne prædicatum reale conuenit naturę à parte rei; nec secundum, quia intellectus agens nō fingit,

fingit, cùm non cognoſcat. ergo nihil additur ex vi illius.

℞. Negando maiorem: ad cuius probationes dico, quod licet ex parte, vt quod repręſentati, non reluceant niſi pręsaid predicata eſſentialia, repræsẽtatur tamen natura exercitè, & ex parte modi cũ vnitate pręciſionis, quę non conuenit naturæ ſecũdùm ſe; & hoc eſt quod additur nempè ſic repræſentari, quod licet non ſit aliquod pręedicatum intrinſecum, eſt tamen quædam extrinſeca denominatio naturę proueniens ex tali repręſentatione.

CONTROVERSIA. XXI.

Per quem actum Intellectus fiat vniuerſale logicum?

NOta 1. Actum comparatiuum intellectus oppoſitum abſoluto, de quo egimus in pręcedenti controuerſia, duplicem eſſe: vnus perti-

pertinet ad secundam, vel tertiam operationem intellectus, qua comparat vnum alteri componendo, vel diuidendo, vel etiam per illationem discurrendo; alter verò pertinet ad primam operationem, per quam vnũ non attribuitur alteri, vel deducitur ex alio, sed tamen cognoscitur vnum vt ordinatum ad aliud, & non in se, absolutè, sicut relatio ipsa cognoscitur per simplicem operationem, quando apprehenditur, vel definitur. Itaque per cognitionẽ secundæ operationis attribuitur aliquid subiecto tanquam prædicatum, & sic per talem actum comparatiuum potest prædicari ipsa natura de inferioribus ad quæ habet relationem, & potest etiã vniuersalitas ipsa prædicari de natura, quam denominat tanquàm forma, & consequentèr prædicatur de illa: At verò per comparationem primæ operationis, non attenditur attributio prædicati ad subiectum, sed cognoscitur natura, vt respiciens terminum

minum ad quem ordinatur, quæ potest cognosci, vel in actu signato, & reflexo; vel quasi in actu exercito, cognòscendo naturam cùm ordine ad suum terminum.

Nota 2. Quod actus rite comparatiuus non dicitur talis, nisi quia respicit terminum ad quem, qui propriè est terminus comparationis, seu relationis, non quia respicit terminum à quo; non enim ad illum comparatur, sed ab illo separatur: & sic vniuersale logicum est natura denominata ab aliqua secunda intentione, & relatione rationis per quam constituitur in ratione relatiui dicentis ordinē positiuum ad sua inferiora, & respicientis illa tanquam quid commune respectu illorum.

Nota 3. quod ad quamcunque relationem præter subiectum cui conuenit, & quod denominat relatio, debet præsupponi aliquod fundamentum proximum ratione cuius talis relatio conueniat subiecto, v. g. inter duos

duos homines albos est relatio similitudinis, quæ illis hominibus conuenit, & illos denominat, tamen vt talis relatio illis conueniat, non sufficit quod sint homines, sed vlteriùs requiritur quod habeant conuenientiam in albedine, quæ conuenientia est fundamentum proximum, propter quod illis conuenit relatio similitudinis. Similitèr ergò in præsenti, subiectum cui conuenit relatio vniuersalitatis, est natura humana v.g. sed antequam tali naturæ conueniat talis relatio requiritur, quod ex parte ipsius naturæ præsupponatur aliquod fundamentum proximum ratione cuius conueniat illi talis relatio vniuersalitatis, ita vt sine tali fundamento non posſit natura recipere relationem vniuersalitatis. hic ergo controuertimus per quem actum intellectus cõueniat fundamentum proximum vniuersalitatis naturæ, & insuper quo actu ipsa vniuersalitas efformetur.

Dico 1. Vniuersale logicum fundamen-

damentalitèr proximè non fit per abstractionem intellectus agentis. hæc statuitur contra aliquos modernos, est tamen communis Thomistarum sententia, & probatur. Secūda intentio rationis petit pro fundamento aliquam entitatem rationis, in quo à prima differre est communitèr receptum intèr Thomistas, sed intellectus agens cùm cognoscitiuus non sit, in sententia omnium, nullum ens rationis efficere poterit, quod solùm existit quando sui cognitionem actualitèr terminat; ergo nequit efficere fundamentum proximum vniuersalitatis logicæ.

Dico 2. Fundamentum proximum vniuersalitatis logicæ fit per abstractionem positiuā intellectus possibilis. hæc est communis in Schola Angelica, & probatur 1. Per illam abstractionem ponitur relatio rationis naturæ ad illa à quibus fuit abstracta, cùm cognoscatur cō-

para-

paratiuè ad illa : ergò poterit ſuper illam immediatè fundari relatio vniuerſalitatis .

Probatur 2. Id eſt fundamentum proximum Vniuerſalitatis logicæ : quòd proximè mouet intellectum, vt naturæ tribuat intentionem vniuerſalitatis ; ſed quod proximè mouet non eſt natura cognita abſolutè, benè tamen illa vt relata ad ea, à quibus fuit abſtracta ; ergo per illam abſtractionem ponitur fundamentum proximum.

Dico 3. Per ſolam comparationem ſimplicem intellectus poſſibilis fit vniuerſale logicum pro formali: hæc ſtatuitur cõtra Dur. Tol. & alios: eſt tamẽ D. T. varijs ſuę doctrinæ locis, & communis in Scholis Angelica, & ſubtili, & probatur. Vniuerſale logicum eſt natura actu relata ad multa, vt vna in illis, ergò ſolùm fiet per illam actionem per quam cognoſcatur natura in ordine ad multa, in quibus vna exiſtit,

ſed

ſed per ſolam ſimplicem comparationem ſic cognoſcitur, ergo; probatur minor, quia per abſtractionem negatiuam non cognoſcuntur multa, ſed ſola natura, & per poſitiuam cognoſcitur natura, vt vna vnitate præciſionis à multis cognitis, non vt in quibus, ſed vt à quibus abſtrahitur natura ; ergo ſolùm per ſimplicem comparationem natura cognoſcitur, vt in multis, & conſequētèr per illam ſolam vniuerſale logicum pro formali efformabitur.

Arg. 1. contra 1. concluſ. eſſe vniuerſale in actu, eſt eſſe intelligibile in actu, ſiquidem vniuerſale eſt obiectum intellectus, ſed res fit intelligibilis in actu per abſtractionem intellectus agentis . ergo per illam fit actu, ſeu formaliter vniuerſalis , vel ſaltem fundamentalitèr proximè.

℞. Negando maiorem, ſi loquamur de vniuerſali Secundò intentionalitèr, ſeù logicè, ſicut in præſenti

ſenti loquimur. Obiectum autem intellectus, etiam formalitèr quatenùs obiectum, & vt eſt actu intelligibile, tantum eſt vniuerſale fundamentalitèr; quia eſſe obiectum intellectus, & actu intelligibile, habet natura à reali, & intrinſeca entitate ſua, & à perfectione, & immaterialitate quã habet, vel quia eſt actus, & forma ſeparata, vel quia ſecundùm ſe abſtrahit ab aliqua materia, ſaltem ſingulari. At verò eſſe actu, & formalitèr vniuerſalem, habet natura à ſecunda intentione, quam fundat intellectus ſupra entitatem illam actu intelligibilem, quæ eſt obiectum eius, imò & fit natura fundamentalitèr proxime vniuerſalis, per aliquid rationis, vt iam diximus, quod tamen effici nequit ab intellectu agente. & ſic optimè ſtat obiectum intellectus; etiam formaliter quatenus eſt obiectum, & actu intelligibile, eſſe tantum fundamētalitèr vniuerſale. Quod ſolùm ſignifi-

ſignificatur, quando communitèr dicitur obiectum intellectus eſſe vniuerſale. Sicut quando èċontra dicitur obiectum ſenſus eſſe ſingulare, non ſignificatur res conſtitui in eſſe obiecti ſenſus per ſecundam intentionem, quam pro formali dicit ſingulare.

Arg. 2. Contra eandem. Illud eſt fundamentum proximum vniuerſalitatis, quo natura redditur proximè capax ad hoc, vt ſuſcipiat in ſe illius denominationem: ſed hoc habet ex vi abſtractionis intellectus agentis. ergo; maior patet, & minor probatur, per id redditur proximè capax, quo tollitur impedimentum illam impediens ad talem denominationem; ſed impedimentum, nempè conditiones indiuiduantes, tollitur per abſtractionē intellectus agentis repræſentantis naturam ſine illis; ergo redditur per illam quantum eſt ex ſe proximè capax, quamuis ex parte Intelle-

ctus

ctus aliquid vt conditio exigatur.

℞. Negando maiorem: ad prob. dico, quod in natura abstracta duplex impedimentum reperitur ad hoc vt illam denominationem subeat, positiuum vnum, & negatiuum aliud; primum sunt cōditiones indiuiduantes, & illud tollitur per talem abstractionem; secundū est carentia entitatis rationis, quod solùm tollitur per illam actionem, qua illud ens rationis ponitur, & cum non fiat per abstractionem intellectus agentis, vt iam diximus; consequens est vt fiat, &c.

Arg. 3. contra 3. concl. Abstractio positiua intellectus possibilis, est comparatiua naturę ad inferiora; ergo per illam poterit fieri relatio vniuersalitatis.

℞. Distinguo antecedens; est cōparatiua naturæ ad inferiora, vt à quibus fuit abstracta natura, concedo antecedens; vt à quibus contracta reperiatur, vel contrahibilis

sit,

sit, nego antecedens: & nego pariter consequentiam; quia iste secundus modus comparationis exigitur ad relationem vniuersalitatis.

Arg. 4. contra eandem. nequit existere relatio naturæ ad inferiora, quin existat simul relatio inferiorum ad ipsam, sed per actionem comparatiuam naturę ad inferiora, istæ relationes non existunt; ergo neque per illam existit relatio vniuersalitatis. Consequentia patet, & maior supponitur, quia relata sunt simul natura, & cognitione. minor autem probatur. Relatio inferiorum ad ipsam nequit fieri nisi per actionem comparatiuam inferiorum ad superius, sed actio cõparatiua naturę ad inferiora, comparat inferiora ad naturam, cum illa naturam attingat, vt subiectum comparationis, ista verò vt terminum comparationis inferiorum ad ipsam, quod in eadem actione reperiri non potest. ergo

℟. Ne-

℞. Negando minorem: ad cuius prob distinguo maiorem; per actionem comparatiuam inferiorum vt termini, & naturæ per modum subiecti; concedo maiorem: comparatiuam inferiorum per modum subiecti cõparationis, nego maiorem: & isto modo eadem actio vtriusque extremi esset comparatiua, imò est impossibile naturam esse subiectum comparationis, quin inferiora ingrediantur terminatiuè in illa, omnis namque comparatio vtrumque extremum comparationis attingere debet.

Arg. 5. contra eandem. Posito fundamento proximo statim resultat relatio, ergo non indiget alio actu, quam illo quo ponitur fundamentum proximum; sed hoc ponitur ante actum comparatiuum, quia est vnitas, & aptitudo ad essendum in multis, quæ ex vi abstractionis habetur; ergo ex hoc actu resultat vniuersalitas, quæ est rela-

relatio; ſicut enim ſola contractio, ſufficit vt natura fiat ſingularis, ita & abſtractio vt actu fiat vniuerſalis.

℞. Diſtinguo antecedens: poſito fundamento reſultat relatio realis, concedo antecedens; reſultat relatio rationis, negatur; relatio etenim rationis non habet eſſe per reſultantiam, ſed per cognitionem: non autem cognoſcitur niſi in ordine ad ſuum terminum, quod eſt comparari; nec abſtractio dici poteſt virtualis comparatio, quia ea, quæ per cognitionem habent eſſe, non ſufficit virtualitèr cognoſci vt actu dicantur habere eſſe, ſed ſolùm habebunt eſſe virtualitér, & in potentia. Vnde cum relatio non cognoſcatur actu, niſi per actum comparatiuum, quia debet cognoſci in ordine ad ſuum terminum ad quem comparatur, ſiuè ordinatur, virtualis comparatio ſolùm erit virtualis cognitio relationis, quia nondum

S cogno-

cognoscitur ordinari ad suum terminum, sed abstrahi. Cōtractio autem efficit singulare metaphysicū, sicut abstractio vniuersale metaphysicum, non logicum; vt iam diximus.

CONTROVERSIA XXII.

Vtrum vniuersalia, seu prædicabilia sint tantùm quinque?

NOta 1. Quod prędicatio pertinet ad secundam operationem, in qua enunciatur vnum de alio; & sic prædicatio est attributio vnius ad alterum, negando, vel affirmando: Attributionis autem huiusmodi fundamentum, est identitas seu conuenientia extremorū, si prædicatio sit affirmatiua; vel disconuenientia, si negatiua: Quarè identitatem extremorum significat intellectus per ipsam compositionem, & copulam; diuersitatem verò

rò per distinctos conceptus prædicati, & subiecti.

Nota 2. Quod triplex est diuisio, & differentia prædicationis, quæ resultat ex diuerso modo habendi identitatem, & diuersitatem extremorum, in qua est totum fundamentum prædicationis. Alia est identica; & est illa in qua idem de eodem prædicatur, vt homo est homo. Alia est disparata, & est illa in qua disparatum de disparato prædicatur, vt cum dicitur; homo est lapis. Alia est medio modo se habens, scilicet illa quæ nec est identica, nec disparata. & hęc est duplex, directa, & indirecta. directa est, quando id quod se habet per modum formæ, tenet se ex parte prædicati. Indirecta quando èconuerso, id quod se habet per modum subiecti, ponitur ex parte prædicati. Vbi nomine subiecti, & formæ, non solùm intelligimus id, quod physicè se habet vt forma & materia, sed quod habet se

quomodocunq;vt actuans,& actuabile, vel superius,& inferius; dicitur enim superius forma inferioris, non quia gradus superior sit actualior, sed quia contrahibilis; & omne quod contrahitur, quasi recipitur in eo ad quod contrahitur. si autem sint prędicata æqualia; vt homo, & rationale, tunc id quod actuat, se habet vt forma, & quod actuatur vt subiectum. Vnde hæc est directa prædicatio, homo est rationalis: Indirecta verò; rationale, est homo. In præsenti autem non agimus de prædicabilibus vt se extendunt ad prædicationes identicas, dispatatas, aut indirectas; sed solum prout se extendunt ad prædicationes directas, quę simplicitèr & absolutè sunt prædicationes, aliæ verò solùm, secundùm quid.

Nota 3. Quod hic agimus de prędicabilitate, vt dicit passionem consecutam ad vniuersalitatem, ita vt non habeat maiorem extensionem

nem prædicabile,quam vniuersale; & licet vniuersale argè dici possit de omni eo,quod quomodocunque est commune pluribus;nunc tamen agimus de illo secundùm propriam, & specialem rationem explicatam per eius definitionem,scilicet. vniuersale est vnum in multis, & de multis.In qua duo dicuntur,primũ est,quod vniuersale est vnum;& debet intelligi, quod sit vnum secundùm nomen, & secundùm vnam rationem; vndè canis,& alia æquiuoca non habent rationem vniuersalis, quia non dicunt vnam rationẽ respectu inferiorum, sed plures. sicut etiam ens,& alia transcendentia, non habeant rationem vniuersalis, quia eorum ratio non est vna simpliciter,sed tantùm secundum quid, & imperfectè.Similitèr homo albus non habet rationẽ vniuersalis, quia non dicit vnam rationem simplici voce significatam; quod tamen requiritur ad rationẽ vniuersalis. Ob

quod etiã excluditur definitio, v. g. animal rationale, quæ non solùm includit plures voces; sed etiam plures conceptus, nempè generis, & differentiæ; & consequenter non est simplex prædicatum, neque vniuersale secundum quod dicitur in definitione vniuersalis est, quod fit in multis, & de multis; & denotatur quod diuersitas formalis, & specifica vniuersalis debet desumi ex diuerso modo essendi in inferioribus; & diuersitas formalis prędicabilis desumi debet ex diuerso modo prędicandi de inferioribus. Itaque diuersitas formalis vniuersalis, vel prædicabilis, aut communitas non debet desumi ex diuersitate, vel ex vnitate inferiorum quæ respiciunt, id est, non debet desumi ex hoc quod illa distinguantur specie vel numero: sed ex diuerso modo respiciendi talia inferiora; quia genus & differentia subalterna respiciunt plura distincta specie, & tamen consti-

constituunt diuersa prædicabilia, & species & differentia athoma respiciunt plura differentia numero, & tamen constituunt diuersa prædicabilia; eo quod diuerso modo talia inferiora respiciant.

Dico 1. Quinque tantùm dari vniuersalia, seu predicabilia, nempè genus, speciem, differenciam, propium, & accidens. hæc est D. Thom. 1. cont. G. c. 32. & Scot. quos sequuntur concorditèr discipuli, & probatur Vniuersale, vel prędicabile propriè loquendo, dicit aliquid simpliciter vnum, quod respicit plura inferiora, & ex diuerso modo respiciēdi illa debet sumi diuersitas vniuersalis (vt diximus in notabilibus) sed secundùm istam rationem non possunt respicere plura, nec pauciora, quàm quinque vniuersalia, seu prędicabilia. ergo. probatur minor. Quicquid est commune pluribus tanquam aliquid simplicitè vnum, & tanquàm prædicatum simplex,

 vel

vel est commune illis accidentalitèr, vel essentialitèr. Si accidentalitèr: vel transmutabiliter, & contingentèr; & hoc est quintum prædicabile scilicet accidens: aut intrāsmutabilitèr & necessario, & hoc est quartum prædicabile, scilicèt proprium. Si autem est commune, essentialitèr, vel erit tanquam essentia completa dicens totam essentiā inferiorum; & hoc est secundum prædicabile, scilicet species, Vel tanquam pars essentię; & tunc vel vt pars materialis, potentialis, & determinabilis per aliam formam; & hoc est primum prædicabile, nempè genus. Vel tanquam pars formalis, & denominans partem materialem; & est tertium predicabile, putà differentia: sed non est imaginabilis alius modus, quo aliquid commune simplicitèr vnum respiciat plura inferiora, vt per se patet. ergo quinque tantùm præfata sunt prædicabilia.

Conf. Quicquid est in aliquo si-

bi

bi inferiori: vel prędicatur de illo in quid, vel in quale? si in quid? vel de pluribus differentibus specie: & hoc est genus. Vel de pluribus differentibus numero; & hoc est species. Si in quale; vel in quale essentiale; & sic est differentia. Vel in quale accidentale; & tunc, vel tanquam accidens necessario dimanans à principijs speciei, & hoc est proprium. Vel tanquam accidens contingentèr conueniens, ratione conditionũ indiuiduantium, & hoc est accidens: sed non est alius modus prędicandi de pluribus, vt intuenti constat. ergo.

Arg. 1. Ad probandum quod sint plura quam quinque. Prædicatum dicit proprium actum prędicabilitatis, ita vt omne illud quod de facto est prædicatum, prius erat prædicabile, sed ratio prædicati non solùm conuenit prædictis, scilicet generi, &c. sed etiam alijs quàm plurimis. ergo etiam ratio prædi-

cabilis. probatur minor; nam indiuiduum vagũ, vt aliquis homo. persona, & suppositum, prædicantur de multis, & sic habent rationem prædicati. Item definitio habet rationem prędicati, si quidem prædicatur de suo definito. similiter ens rationem habet prædicati, cum prędicetur de omnibus prædicamentis. Denique materia prima rationem habet prædicati, siquidem prędicatur de hac, vel illa materia; sed ista prædicata nõ continentur sub illis quinque enumeratis, vt, vt per se patet. ergo.

℞. Distinguo minorem; ratio prędicati conuenit alijs quàmplurimis, si accipiatur prædicatum larga acceptione, pro omni eo quod de aliquo prędicatur, & prout comprehendit ęquiuoca, analoga, complexa, & alia similia, concedo minorem: si accipiatur, vt dicit proprium actũ potentię prædicabilitatis propriæ sumptæ, nego minorem: & distin-

ſtinguo conſequens eodem modo: ſi prædicabile accipiatur, vt dicit potentiam ad talem actum, concedo conſequentiam: ſi accipiatur ſecundùm ſpecialem, & propriam rationem prędicabilis, nego conſequentiam: nam vt ſic debet habere conditiones in notabilibus explicatas, quę ſolùm conueniunt illis quinque prędicabilibus. Ad prob. autem minoris, & de indiuiduo vago dicimus quidem excludi à ratione vniuerſalis ſimplicitèr, quia non dicit ſolā naturam, ſed etiam modum eſſendi, qui eſt indiuiduatio, ſeu perſonalitas: vnde non habet vnum ſimplicē prædicandi modum, ſed prędicatur in quid, & in quale, in quid, quatenùs dicit naturam; in quale, quatenùs dicit modum indiuiduationis, qui eſt extra conceptum naturæ, & à conditionibus accidentalibus dependet, quę pertinēt ad hic, & nunc; & ita non reducitur ad vnum tantum prædicabile, ſed ad plura ſcilicet

cet accidentale, & essentiale. definitio autem excluditur à ratione prædicabilis simplicitèr, quia terminus est complexus; reducitur tamen ad secundum prędicabile, quia reducitur ad suum definitum; propriè enim sola species definitur, quia sola constat ex genere, & differentia. Similiter ens non est simplicitèr vniuersale: sed reductiuè, quia non dicit prędicatum simplicitèr vnum, quod tamen requiritur ad rationé prædicabilis. Denique materia prima deficit à ratione prędicabilis, quia est quid incompletum; ad rationem autem prædicabilis requiritur quod sit ens completum, ad minus in hoc sensu, quod saltèm implicitè & virtualitèr dicat omne illud quod continetur in subiecto completo de quo affirmatur. ita vt in recto posit affirmari de illo.

Arg. 2. Existentia est in pluribus, & prædicatur de illis, & tamen non est genus, species, aut differentia; cùm

cùm existentia in creaturis sit extra earum essentiam. Nec similitèr est proprium; cùm sit prædicatum quoddam commune omnibus entibus, conueniens eis ex tempore, per actionem causæ efficientis, & contingentèr. Neque tandem est commune accidens; quia existentia non potest adesse, & abesse, absque corruptione subiecti; ergo constituit distinctum prædicabile.

℞. Negando consequentiam; existentia enim est quoddã complementum, seu terminus substantiæ, & per consequens ens incompletum, & habens rationem partis: vnde simplicitèr loquendo solùm respicit essẽtiam quam terminat, & non aliqua inferiora; ac proinde nequit constituere aliquod vniuersale, quod debet esse totum, & completum.

℞. 2. Negando antecedens, quoad vltimam partem; existentia enim prædicatur per modum accidentis communis; adesse enim, & abesse sine

ſine ſubiecti corruptione idem eſt, quod ſine deſtructione conceptus quidditatiui, & ſic intelligitur definitio accidentis; ita exiſtentia accidens eſt, quia licet non adſit, vel abſit ſine corruptione phyſica, benè tamen ſine metaphyſica, quæ pertinet ad quidditatem ſubiecti, cui conuenit.

Arg. 3. Intra totam latitudinem differentiæ dantur duo prædicabilia diſtincta, eo modo quo diſtinguntur genus & ſpecies; ergo ſicut genus & ſpecies aſſignantur tanquàm diuerſa prædicabilia, ita debent aſſignari duo prædicabilia differentiæ, & conſequenter ad minus erunt ſex prædicabilia. Probatur antecedens, genus & ſpecies diſtinguntur per hoc, quod genus prædicetur de pluribus differentibus ſpecie; & ſpecies de pluribus differentibus numero; ſed etiam differentia ſubalterna prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, v.g. ſẽſibile de homine, & leone; & differen-

ferentia atoma de pluribus solo numero differentibus, vt rationale, de Petro & Paulo, ergo intra latitudinem differentiæ dantur duo prædicabilia distincta.

℞. Negando antecedens: ad prob. distinguo maiorem, ex hoc præcisè quòd genus prædicetur de pluribus differentibus specie, & species de pluribus differentibus numero, nego maiorem: ex diuerso modo prædicandi de illis, concedo maiorem. Vt enim diximus in notabilibus differentia prædicabilium non debet considerari ex parte inferiorum quæ respiciuntur, seu ex hoc quod illa differant specie, vel numero; sed ex diuerso modo respiciendi illa, & prædicandi de eis. Genus autem & species non solùm distinguuntur in hoc, quod genus respiciat plura differentia specie, & species plura numero distincta; sed vlterius distinguuntur in hoc, quod genus respiciat illa, & prædicatur de illis

per

per modum partis materialis, & tãquam aliquid quod non includit actualitèr totam essentiam inferiorũ: species autem respicit sua inferiora, & prædicatur de illis per modum totius, & tanquam aliquid quod actualitèr includit totam essentiam inferiorum, & propter talem diuersum modum respiciendi inferiora, constituunt diuersa prædicabilia. At verò licet differentia subalterna prædicetur de pluribus differentibus specie, & infima de pluribus differentibus numero, conueniunt tamen formalitèr in eodem modo prædicandi, quia vtraq; prædicatur per modum partis formalitèr, & consequentèr tota illa diuersitas est materialis, & ita non sufficit ad statuenda diuersa prædicabilia.

Arg. 4. Quot sunt prædicamenta, tot sunt prædicabilia; sed decem sunt prædicamenta; ergo decem prædicabilia. Probatur maior, quia

mo-

modus prædicandi sequitur modum essendi, ergo.

℞. Negando maiorem; ad prob. dico, quod modi prædicabilium non sequuntur modum essendi absolutè, & secundum participationem entis; sed secundum modum comparatiuũ, quo connectuntur inferiora cum superioribus. Itaque prædicamenta distinguntur in accidentibus penes diuersum modum participandi substantiam; ipsa autem substantia per hoc quod habeat esse per se: prædicabilia verò penes diuersum ordinem vniuersalis ad inferiora; & quia hic ordo quintuplex est, vt probauimus, inde erit quinarium fore prædicabilium numerum.

Arg. 5. Ad probandum quod prædicabilia sint pauciora quam quinque. sufficiunt duo prædicabilia, in quibus omnia alia conueniunt, scilicet prædicabile essentialiter, & prędicabile accidentaliter

dentaliter; ergo superfluunt quinque.

℞. Negando antecedens; illa enim duo sunt genera prędicabibilium, non species vltimæ, in quas illa necesse est diuidi: vnde vniuersale prius diuiditur in essentiale, & accidentale; & rursus essentiale in genus, speciem, & differentiā: accidentale verò in proprium, & accidens.

Arg. 6. Omne accidens saltem complexum, vel est genus, vel species; cum habeat propria inferiora de quibus essentialiter prædicatur; ergo quintum prędicabile, vel superfluit, vel coincidit cum genere, aut specie.

℞. Negando antecedens; licet enim accidens si comparetur ad propria inferiora, sit de illorum essentia; & per consequens contineatur sub genere vel specie: sed non sic accidens pertinet ad quintum prædicabile, sed quatenus prędica-

dicatur de subiectis, quę accidentaliter denominat, vt dicemus suo loco.

Arg. 7. genus, differentia, propriũ, & accidens cõtinentur sub specie; ergo nõ debẽt assignari quinq; prędicabilia. Consequentia patet; & antecedens probatur, de omnibus illis prædicatur quod sint species; ergo omnia conueniunt sub specie. Probatur antecedens; quia omnia sunt species vniuersalis. ergo.

℞. Negando antecedens: ad prob. distinguo antecedens, de omnibus illis prædicatur quod sint species denominatiuè, & vt quod, concedo antecedens: essentialiter & vt quo, nego antecedens, & consequentiam: itaque alicui rei potest aliquid conuenire essentialiter, & aliquid accidentaliter, & denominatiuè; v.g. homini conuenit essentialiter quod sit animal rationale; accidentaliter verò, & denomi-

nominatiuè v.g. homini cōuenit' essētialiter quod sit animal rationale; accidētaliter verò, & denominatiuè conuenit illi, quod sit species, quatenus intellectus cōsiderans hominē in cōmuni tribuit illi quādā relationē rationis speciei, & vt tanquā aliquid superius respiciat sua inferiora. Similiter ergo prædicabilia aliquid habēt essentialiter, & aliquid accidentaliter; genus etenim v.g. essentialiter habet quod sit aliquid commune respiciens plura specie distincta; denominatiuè autem habet genus quod sit species; & secundum hanc rationem denominatur à specieitate, quia subiectum quod denominatur ab illa, nil aliud petit, nisi quod contineat sub se plura indiuidua: & sicut homo in communi tenet sub se plura indiuidua, putà hunc & illum hominem, ita genus in communi cōtinet hoc & illud genus, quibus denominatur animal, v.g. & color.

CON-

CONTROVERSIA. XXIII.

Vtrum uniuersale sit uniuocum, & genus ad quinque prædicabilia.

NOTA 1. Vniuersale dupliciter sumi posse; vno modo vt est diuisum contra singulare, ita vt quicquid non est singulare, dicatur vniuersale, quo pacto vniuersale largè sumitur prout ambit non solum vniuersale, quod est integrũ & completum; verum etiam differentias, partes, & proprietates illius, quæ non sunt singulares. Secundò accipitur vniuersale, prout significat naturam integram, & completam; in qua significatione vniuersale non continet præfatas differentias, & partes cum non sint naturæ integræ.

Nota 2. Quod genus alicuius speciei potest esse duplex; nempè

remo.

remotum, & proximum. Remotum illud est, inter quod & speciem mediat aliud genus, vt v.g. substantia, siue corpus; dicitur genus remotum hominis; quia inter substantiam, siue corpus & hominem, mediat animal. genus autem proximum illud est, inter quod & speciem, nullum aliud genus mediat; qualitèr animal genus est proximum hominis, cum inter ea nil mediet.

Dico 1. Loquendo de vniuersali completo, vniuocum est, non analogum, in ordine ad quinque prædicabilia. hęc statuitur contra B.Alb. Caberum Onnam, Nigrum Bruxel. & plures alios, est tamen concors scholarum, Angelicæ, & subtilis sensus, & probatur. Vniuersale habet vnam, & eandem rationem simpliciter in quinque prædicabilibus; nam esse vnum in multis abstrahendo ab essentialitèr, vel accidentalitèr; immediatè,

tè, vel mediatè; in quid, vel in quale; est ratio, & essentia vniuersalis: sed hęc ratio eadem, ex ęquo omnibus pręedicabilibus conuenit, vt patet, quia vnum quodque pręedicabile habet esse vnum in multis; quæ est essentia vniuersalis; ergo talis ratio est vniuoca.

Conf. vniuersale est genus ad quinque prædicabilia, vt mox dicemus; sed genus quid est vniuocum, non analogum, vt omnes fatentur, ergo.

Dico 2. Vniuersale completum est verè & proprie genus respectu quinque prædicabilium. hæç est contra aduersarios citatos in præcedenti conclusione, colligitur tamen ex S. D. 1. cont. G cap. 32. eamque docent Sot. Sanchez, Gallego, Iauel. Mas. Tolet. Lisbon. Compl. & communiter sequaces scholæ Angelicæ, & subtilis, & probatur. Vniuersale completum prædicatur de pluribus differentibus

tibus specie in quid ; ergo est genus. Consequentia patet, & antecedens probatur; quia vniuersali prædicatur in quid de genere, nam genus essentialiter est vniuersale, & similiter prædicatur in quid de alijs prædicabilibus; sed illa inter se non numero, sed specie differunt, quia sub se quodlibet prędicabile plura differentia numero continet, de quibus in quid prædicatur: ergo vniuersale prædicatur de pluribus differentibus specie in quid.

Arg. 1. Contra 1. concl. Inter ipsa prædicabilia, quędam accidentaliter prædicantur, vt duo vltima; quædam essentialitèr vt tria prima; sed non videtur aliquid vniuocè se habere, ad hoc quod est essentialiter, & accidentaliter dici. ergo.

℞. Negando minorem : licet enim duo vltima prædicabilia dicantur accidentaliter, quod est dici secundum quid ex parte rei quę præ-

prædicatur, non tamen dicuntur ſecundum quid, quantum ad modum vniuerſalitatis, quia in hoc retinent rationem vnitatis, quæ dicitur de multis.

Arg. 2. Contra 2. concl. ſi vniuerſale eſt genus ad quinque prædicabilia, & vnum ex membris diuidentibus eſt genus, coincidet diuiſum cum membro diuidente, ſed hoc contra regulas bonæ diuiſionis. ergo.

℞. Negando maiorem; vniuerſale enim quod hic eſt diuiſum, formaliter in ſe eſt vniuerſale, denominatiuè autem genus, quod non eſt formaliter coincidere cum mēbro diuidente, ſed ſolum materialiter, quod non inconuenit.

Arg. 3. Contra eandem. vniuerſale prædicatur de omnibus prędicamentis, eſtque ſuperius illis: ſed ſupra prædicamenta nullum datur genus. ergo vniuerſale non poteſt eſſe genus.

℟. Distinguo minorem; nullum datur genus physicum, concedo minorem; logicum, negatur minor. Dicimus igitur, quod licet prædicamenta non conueniant in aliquo vniuerso essentiali, & sic nõ habent genus naturæ supra se; conueniunt tamen vniuocè in vniuersali, tanquam in quodam denominatiuo, seu accidenti rationis, & genere logico, quod potest optimè illis intellectus tribuere, quamuis sint primò diuersa, vt infra dicemus.

CONTROVERSIA XXIV.

Quomodo definiatur genus.

NOTA 1. Quod prædicari potest accipi dupliciter, primò fundamentaliter, pro hoc quod est prædicatum conuenire subiecto, & affirmari de illo. Secundò pro hoc quod est referri, & respicere spe-

cies,

cies; vtrumque generi conuenit licet diuersimodè. In quid autem prædicari, idem est quod prædicari per modum substantiæ, siue quidditatis.

Nota 2. Genus & species dupliciter posse sumi, primò intentionaliter, & secundò intentionaliter; tunc accipiuntur 1. intentionaliter quando significantur per terminos primæ intentionis, vt quando genus significatur per ly, animal, & species per ly, homo; tunc autem accipiuntur 2. intentionaliter, quādo significantur per terminos secundæ intentionis, nempè per ly genus, & species.

Nota 3. Quod genus 1. intentionaliter sumptū est triplex, nempè infimum, subalternum, & supremum. Infimum est illud sub quo non continentur alia genera; & ipsum continetur sub alijs generibus: subalternum est quod continet sub se alia genera, & etiam ipsum

mal & plantam genus est, respectu tamen substantiæ species est subiecibilis, licet subalterna. Quando ergo in definitione generis dicitur, quod prædicatur de pluribus differentibus specie, non debet accipi species pro infima, sed vt abstrahit ab infima, & subalterna; ita vt etiã quando viuens prædicatur de animali, & planta, verificetur definitio, quia viuens non prędicatur de illis vt habent rationem generis; sed vt habent rationem speciei, verificatur enim quod prædicetur de pluribus differentibus specie, & non differentibus genere, quia solum illa quæ non possunt habere genus superius dicuntur differre genere. Illa vero quæ habent aliquod genus commune non dicuntur genere differre.

Nota 5. Quod genus non solùm prædicatur de speciebus, sed etiam de indiuiduis illarum, v. g. animal, non solum prædicatur de homine

& leone, sed etiam de Petro, & Paulo, & alijs indiuiduis specierum omnium; cum hoc tamen discrimine, vt de speciebus immediatè, de indiuiduis vero mediatè, id est, mediantibus speciebus, prædicetur.

Dico 1. Rectè definitur genus à Porphyrio; id quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid. hanc docet D. S. opusc. 48. tract. 1. cap 2. & in 2. d. 34. q. 1. a. 2. ad 1. quem sequuntur concorditer logici, tam autiqui, quam moderni, & probatur. Illa recta est definitio, quæ nil superfluum, aut diminutum habet, & definitum ab omnibus aliis distinguit, quę traditur per notiora, ac tandem componitur ex genere, & differentia, aut ex aliquo quod habet locum generis; sed præfata definitio sic se habet. ergo; maior patet, & minor probatur explicando singulas definitionis particulas; nam ly; quod

quod prædicatur de pluribus, habet locum generis; est enim quid commune omnibus prędicabilibus: ly verò, differentibus specie in quid, est differentia, per quam genus à cæteris prędicabilibus specie distinguitur, & quia prædicari de pluribus est passio vniuersalis; passio autem notior est essentia, ideo pręfata definitio, per notiora datur, ex quo patet nil diminutum, aut redundans continere; ergo rectè traditur.

Dico 2. Allatam generis definitionem non essentialem, sed descriptiuam esse. hæc statuitur contra Scot. quem sequuntur discipuli, & ex iunioribus Hurtardo. eam tamen docet Porph. & D. T. quos sequitur Lisbon. Sotus, Mas. Ruuius, Gallego, idemque tenet concorditer schola Angelica, & probatur. Prædicabilitas est passio vniuersalis, vt sic, vt supra diximus; siquidem ex eo quod vniuersale sit in pluri-

bus, nascitur quod de illis prædicetur; ergo talis prædicabilitas, scilicet de pluribus differentibus specie in quid, erit passio talis vniuersalis, nempè generis: & per consequens adducta definitio tradita per illam, descriptiua non essentialis erit.

Dico 3. Definitio essentialis generis hęc est: Vniuersale respiciens plura specie distincta in quid. Probatur conclusio. Illa definitio essentialis est alicuius rei, quæ constat ex proprio genere, & ex propria differentia; sed præfata definitio traditur per prædicatum superius, seu genericum, quod est vniuersale; & per differentiam intrinsecam, scilicet tali modo respicere, id est, in quid; & talem terminum habere, scilicet plura specie distincta. ergo.

Arg. 1. Contra 1. concl. impugnando illam particulam definitionis in quid. Conuenit alijs à defi-

definito, etiam si sumatur prædicatio in quid de pluribus specie distinctis. ergo malè ponitur illa particula. probatur antecedēs tripliciter, primò, quia ens prædicatur in quid de pluribus specie distinctis, est enim prædicatum quidditatiuum, vtpotè in ipsis quidditatibus imbibitum, & tamen non est genus, cum sit analogum, vt diceimus in nostro Controuersorio Metaphysico. Secundò quia ipsa etiam definitio prædicatur in quid de definito, vt animal rationale de homine. Tertio denique ipsa differentia cum sit nobilior genere, nobiliori etiam modò debet prædicari, est autem nobilior modus prædicandi in quid; hoc est prędicari substantiuè, quam prædicari in quale, quod est prædicari adiectiuè, & per modum accidentis, ergo debet illi conuenire, & non solùm generi.

℞. Negando antecedens: ad cu-

 ius

ius prob. dico, ens non esse prędicatum quidditatiuum, sed transcẽdens, & in omni re imbibitum; siuè ad quidditatem pertineat, siue non; vnde quod est cõmune quidditati, & non quidditati, nequit quidditatiuum constituere conceptum; & ita præsupponitur conceptus transcendens ad conceptũ quidditatis, non illum constituit, nec magis pertinet ad quid, quã ad quale: sicut enim quando dicimus, quid est homo, & respondetur, quod ens; sic etiam, quando dicimus; qualis est homo; dici potest, quod ens. Insuper quia ens analogum est, non prædicatur in quid simpliciter, & secundum vnam rationem, sed secundum plures, & solùm proportionaliter vnam.

Ad 2. prob. dico, definitionem quid complexum esse, & continere non solum rationem in quid, sed etiam in quale: constat enim ex genere & differentia, nec prædi-

ca-

catur in quid ficut genus, sed ad modum speciei per modum integræ quidditatis quam explicat.
Ad 3. prob. dico, quod licet differentia sit nobilior quam genus ex parte rei significatæ, ex parte tamen modi prædicandi; non prædicatur in quid, quia modus prædicādi non sequitur præcisè modum essendi in re, sed modum concipiendi: differentia autem concipitur ad modum determinantis, & actuantis, genus verò vt determinabile, & contrahibile, & ideo hoc fundatur in quid, illa verò in quale. Vnde licet differentia prędicetur in quid quantū ad essentiā, non tamen quantum ad modum, id est, essentialiter substantiuè, sed essentialiter adiectiuè, seu qualificatiuè.

Arg. 2. Contra eandem, impugnando illam particulam, de pluribus specie differentibus; genus etiam prædicatur de pluribus numero differentibus, sicut animal

de Pet. & Paulo; ergo non explicatur in definitione adæqnatus terminus generis.

℞. Diſtinguo antecedens, prædicetur mediatè, id eſt, mediante ſpecie, concedo antecedens; immediatè, negatur; hoc enim ipſo, quod genus Prædicetur de pluribus ſpecie differentibus, debebit prædicari mediatè de indiuiduis. Cum etenim ſub ſpecie contineantur indiuidua, & quicquid prædicatur vniuerſaliter de aliquo, prædicatur de omni contento ſub illo, per principium dici de omni; conſequenter genus prædicatur etiam de pluribus numero differentibus non tamen ſicut ſpecies infima, quæ immediatè de illis prædicatur: vndè negamus conſequentiam; quia in allata definitione ſolum explicatur immediatus generis terminus, qui ſunt ſolæ ſpecies.

Contra prædicatur genus imediatè

diatè de indiuiduis generis, vt animal de hoc animali, & illo, quia tunc non de specie, sed de indiuiduis prædicatur; ergo solutio nulla.

℟. Negando antecedens; quia etiam genus prædicatur de indiuiduis genericis medietate, siue sint contenta in eadem specie infima, siue in diuersis. Exprimunt enim indiuidua generica, gradum genericum indiuiduatum non exprimendo gradum specificum, mediante quo sub generico continentur; & qui non exprimunt gradum specificum, illum tamen includunt, & mediante eo pertinent ad genericum, ideo dicuntur mediatè contentà, licet non repugnet talia indiuidua generica ad diuersas species pertinere ratione inclusionis earum, semper tamen de illis quatenus indiuidua sunt, gradus genericus non nisi mediatè præ-

prædicatur, quia mediatè contrahitur, & conuenit indiuiduis.

Arg. 3. Contra eandem concl. & particulam. genus poteſt prędicari de pluribus non ſolum ſpecie, ſed etiam genere differentibus, ſicut genus ſupremum quod prædicatur de pluribus generibus mediis quæ ſunt ſpecies ſubalternæ. ergo illa particula; de pluribus ſpecie differentibus, non ſufficienter explicat intentionem generis in communi.

℞. Diſtinguo antecedens; quatenus genera ſunt, nego antecedens; quatenus ſpecies ſunt ſubiicibiles, concedo antecedens; ſic ergo ſupremũ genus prædicatur quidem de pluribus genere differentibus, non quatenus ſunt genera, ſed quatenus ſubalterna; genus autem quod ſubalternatur alteri ſuperiori ſubiicitur illi quatenus ſpecies quędam eſt, quia ſubiicitur illi quatenus conſtat ex illo; & ex differentia

quod

quod est esse speciem: & sic genus prædicatur de pluribus quatenus specie differunt, quia quatenus species ei subiiciuntur. Vnde non dicuntur differre genere, nisi quæ differunt prædicamento; nam quæ sũt intra idem prædicamentum, differunt penes differentias contrahentes, & consequenter constituentes aliquam speciem, quia omnis differentia speciem constituit; vnde negamus consequentiam.

Arg. 4. Contra eandem. Quicquid definitur debet esse species ex Arist. 7. Metaph. tex. 39. sed genus non est species, sed potius prædicabile condistinctum ab illa; ergo genus non potest definiri.

℞. Distinguo maiorem: debet esse species, vt quod, & denominatiuè, id est, debet esse talis naturæ, vt possit denominari à secunda intentione speciei, concedo maiorem, hoc enim est quod docet Arist. debet esse species vt quo, & formali-

maliter nego maiorem: genus autem species est vniuersalis, qua ratione optimè definiri potest.

Contra. Hæc definitio conuenit generi in quantum genus, sed genus in quantum genus non est species; ergo non definitur genus in quantum species, & per consequens non potest definiri tali definitione.

Conf. Quod definitur debet constare genere, & differentia, sed generis non datur aliud genus, aliàs istius daretur aliud, & sic in infinitum; ergo genus non potest definiri.

℞. Ad replicam, distinguendo minorem: non est species formaliter, & vt quo, concedo minorem; denominatiuè, & vt quod, negatur minor; hoc enim modo etiam in quantum genus est species; vnde negamus consequentiam.

Ad Conf. negatur minor: quamuis enim solum detur vnicum genus,

nus, vt quo, & essentialitèr, scilicet intentio constitutiua primi prędicabilis: naturæ tamen seu gradus, qui denominantur ab hac intentione, sunt plures, & vnus potest esse genus alterius, vt animal respectu hominis, & viuens respectu animalis, & sic de alijs generibus subalternis, in quibus tamen in infinitum non proceditur, sed peruenitur ad supremum substantię, quod non potest propriè definiri: quia non habet supra se aliud genus, per quod definiatur. Idemque proportionalitèr euenit in 2. intentione generis, & alijs entibus rationis.

CONTROVERSIA XXV.

Quodnam sit definitum in definitione generis?

NOta, in genere quinque posse considerari. 1. est ipsa natura denominata, secundùm suam enti-

entitatem realem. 2. est genereitas ipsa, seu secunda intentia secundùm se. 3. aggregatum, seu compositum ex vtraque, ita vt tam naturam, quam intentionem ex æquo includat. 4. est ipsa natura, non secundùm se, sed vt connotat intentionem; ita vt natura principalitèr, & quasi in recto sumatur, secunda vero intentio solùm in obliquo, & de connotato. 5. tandem èconrra est ipsa 2. intentio, nõ secundùm se, sed vt connotat naturam; ita vt intentio principalitèr, & in recto sumatur; natura verò solum in obliquo, & de connotato. Definitio autem generis ea est, quam adduximus in præcedenti controuersia; & quærimus quid ex enumeratis sit definitum.

Dico; definitum in præfata definitione generis, esse secundam intentionem in concreto significatam, seu vt connotantem naturam, ita vt intentio ipsa sit res definita, & natura connotetur ex modo definiendi.

Hęc

Hęc aſtruitur contra Tol. Auerſ. Cauer. Ruu. & alios modernos variè ſẽtientes; eam tamem docent concorditèr Thomiſtæ, & probatur. Tale definitum, debet eſſe quid communè entibus realibus, & rationis, ſiquidèm in vtriſque reperiuntur genera, & ſpecies, vt per ſe patet; ſed nil pôteſt eſſe illis talitèr commune, niſi ſola ſecunda intentio, vt conſtat; ergo ipſa ſola eſt res quæ definitur.

Conf. Definitio generis, & aliorũ prædicabilium, eſt propriè logica; ergò in illa ſolùm definitur id, quòd per ſe ad logicam ſpectat; ſed hęc eſt ſola ſecunda intentio; vt ſuprà docuimus; ergo.

Arg. 1. Natura vt ſubijcitur intentioni, & non intentio ipſa eſt, quæ prædicatur de pluribus differentibus ſpecie: ergo natura vt in obliquo cõnotat intentionẽ, non verò intentio ipſa in recto eſt definitum generis. Conſequentia patet, & antecedens pro-

probatur; quia secunda intentio nõ prędicatur de multis, sed solùm est ratio cur natura prædicetur. ergo.

℞. Neganda consequentiam; quia licet natura sit, id quod prædicatur de pluribus, hoc tamen conuenit illi accidentalitèr, etiam prout subijcitur secundę intentioni, vt iam diximus: & ideo natura etiam prout sic non potest esse definitum: benè autem secunda intentio. licet non prędicetur vt quod; quia huiusmodi definitiones concretorum, solùm, vt quo, debent conuenire illi rei, quæ propriè est deffinitum. In definitionibus etenim accidentium concretorum non inuenitur definitum, vt quòd essentialitèr, sed denominatiuè, cum redditur suppositum definito per aliquòd extrinsecum; nec etiam ferunt ex se suppositum accidentia, ideoque definitiones eorum dantur per additionem; quia in eis aliud est quod quid, aliud cuius est.

Arguitur 2. Concretum acciden-

dentale supponit pro subiecto; ergo genus supponit pro natura, ergo natura est, quæ definitur consequentiæ patere videntur: Antecedens verò probatur: actiones, & passiones non tribuuntur formis, sed suppositis; albedo enim non disgregat visum, sed album; nec forma generatur, sed compositum ergo.

℞. Negando 2. consequentiam; licet enim nomen concretũ ex modo significandi supponat pro subiecto, sola tamen forma est res significata, & per consequens illa sola propriè loquendo est definitum.

Arg. 3. Illud est definitum in aliqua definitione, cui per se conuenit talis definitio, & cum quo reciprocatur, sed compositum ex natura et secunda intentione est huiusmodi. ergo; probatur minor; quia secundæ intentioni generis essentialitèr conuenit esse id quo, seu ratione cuius natura prædicatur de pluribus, & naturæ prout denominatur à secunda

inten-

intentione essentialitèr conuenit esse; id, quod prędicatur; ergo vtrumq; directè, & per se definitur, natura vt quod, intentio vt quo.

℞. Negando minorem: ad prob. dico, quod vt definitio conueniret per se, & essentialitèr toti illi aggregato, ex natura & secunda intentione; necessarium erat, quod sicut secundæ intentioni ratione sui conuenit essentialitèr esse principium quò prædicandi: sic ipsi naturę ratione sui, & non ratione secundæ intentionis, essentialitèr conueniret esse id quod prędicatur, vt sic ex vtraque componeretur integrum definitum. Cęterum qui asserit naturę formalitèr, vt denominatur à secunda intentione, conuenire essentialitèr prędicari vt quod, totum refundit in ipsam intentionem: & consequentèr tenetur concedere illam solam esse definitum.

CON-

CONTROVERSIA XXVI.

Vtrum natura generica prædicetur de speciebus, vt totum vel vt pars?

NOta 1. genus sumi posse vel cũ præcisione, aut sine illa 1. modo, sumitur quando significat tantùm, & præcise sua attributa, absque vlla habitudine ad inferiora, quibus illa possunt conuenire. sumitur autem 2. modo, quando sumitur, vt potest suis inferioribus hæc attributa communicare, vel vt confusa ratione continet, quicquid in inferioribus reperitur 1. modo dicitur totum actuale, vel definibile, quia sumitur vt totum actu, habens attributa essentialia, quæ definitione explicantur. 2. modo vocatur totum, vniuersum, vel potestate, quia sumitur in habitudine ad plura, quæ sub illo in potentia continentur. Genus verò

verò ſumptum hoc 2. modo, vt totum poteſtate, adhuc dupliciter ſumi poteſt, 1. vt eſt iam contractum per differentiam ad aliquam ſpeciem, 2. vt eſt indifferens, & nondum contractum ad illam.

Nota ſecundo. Quod in metaphyſica compoſitione propriè non ſunt partes, ſicut in phyſica, ſed gradus. In compoſitione enim phyſica coniunguntur duæ partes ſeparabiles, ſicut patet quod materia modo eſt ſub vna forma, modo ſub alia, & forma rationalis etiam eſt ſine materia, vnde ex illis partibus ita componitur totum, quod vna pars non includitur in alia, nec prædicatur de alia, nec de toto, non enim dicimus, quod anima eſt corpus vel homo, vel ècontra. At verò partes metaphyſicæ non ſunt res diſtinctæ componentes vnum totum, ſed diuerſę deſignationes eiuſdē rei, penes magis & minus determinatum. Quarè cùm iſti metaphyſici gradus, ſolum penes

penes talem designationem differũt, non possunt propriè esse partes, quæ realitèr inter se sint distinctæ, sed idem totum, magis, vel minus designatum, & magis, vel minus determinatum; vnde eadem res, seu idem totum vt exprimens, seu designans rationem animalis, quæ est minùs determinata, & idem totum vt designat rationale, quæ est ratio magis determinata, componunt hominem, qui exprimit integram rationem quidditatis humanæ, vnde homo componitur ex animali & rationali, non tanquam ex partibus distinctis, bene tamen vt ex gradibus diuersimodè designantibus eandem rem.

Nota 3. Genus non dici partem physicam, sed metaphysicam, quæ simul potest esse totum; pars quidem dicitur, in quantum explicat, & designat vnum tantum constitutiuum quidditatis specificæ; totum verò, in quantum implicitè ex ipso modo significandi, & concipiendi, dicit to-

tum quod est in inferiori de quo prædicatur, v. g. animal ex parte rei significatæ solùm designat, & explicat rationem sensitiuam, vbi non explicatur omne quod pertinet ad essentiam hominis, vel leonis, sed tamen implicitè dicit quicquid est in homine, quia ità dicit formam sensitiuam explicando solam rationem sensitiui, quod non excludit omne aliud, quod tali formæ sensitiuæ coniungi potest, & sic dicit quamcumque formam, quæ sensitiua est, siue solùm sit sensitiua, siue aliquid amplius habeat. Et hoc quod est non excludere omne aliuid quod tali formæ sensitiuæ coniungi potest, est illud implicitè continere; quod si significaretur forma illa animalis vel generica cum tali præcisione, quod excluderet quodcunq; aliud quod non est forma sensitiua, sicut quando significatur nomine abstracto animalitatis; tunc non posset prædicari de inferioribus in concreto, vt per se patet.

Dico

Dico, Naturam genericam (idemq; proportionabilitèr est de differentia) non posse prædicari de speciebus, qua ratione est pars in compositione metaphysica illarum, sed quandocunq; prædicatur de eis, necessariò debere sumi vt totum. Hæc statuitur contra Scot. Pau. Venet. Onnam, & alios; eam tamen docet Arist. 2. post cap. 8. D. Th. opusc. 48. trac. 1. c. 4. de ente & essentia cap. 3 & sæpius alibi, quos sequuntur Caiet. Sotus. Mas. Ruu. Suar. Complut & communitèr Thomistæ, & probatur. Vt aliquid prædicetur de alio, debet saltèm confusè, & in potentia continere totum, quod est in illo; sed gradus genericus & differentialis, licet significent totum compositum ex materia, & forma; tamen formalitèr quatenùs sumuntur vt partes, non significant illud secundùm omnes perfectiones, quas in se habet, sed cum mutua præcisione, & exclusione aliquarum, vt patet, ergo for-

maliter prout sic, non possunt prædicari de composito, sed solùm quatenùs induunt rationem totius. Minor & consequentia patent, & maior probatur; quia ad prædicationem propriè loquendo (si sit formalis, & non identica) requiritur, quòd prædicatum confusè, & in potentia sit totum id, quod actu includit subiectum, & quod subiectum actu, & distinctè sit totum id, quod actu includit prædicatum, ergo.

Conf. Quia partes physicę, & reales hominis non possunt in recto prædicari de illo; quia à parte rei non continent totum, quod est in homine; ergo pari ratione, quæ per intellectum sunt partes hominis, formaliter prout sic, non possunt in recto prædicari de illo, siquidem quatenus ab intellectu sumuntur vt partes, non continent totum, quod est in homine.

Arg. 1. Genus vt genus prædicatur de specie; sed genus vt genus est

pars

pars, nam genus ita sumptum ingreditur definitionem, quam non potest ingredi nisi in ratione partis: ergo genus vt pars prædicabitur de specie.

℞. Negando minorem; falsum enim est genus vt genus esse partem speciei, sed vt sumitur cũ præcisione suorum attributorum; quia genus vt genus totum quoddam est, confusè continens quicquid in speciebus reperitur.

Arg. 2. Ex Arist. 1. Top. c. 4. non solùm definitio, verum etiam partes eius prædicantur de re definita; sed genus est pars definitionis speciei; ergo illud vt pars prædicabitur de specie.

℞. Distinguo maiorem; prædicantur de re definita vt partes; nego maiorem; vt tota quædam, quæ cõfusè continent quicquid in definito reperitur, concedo maiorem; & in hoc sensu, debet intelligi Arist.

Arg. 3. Ratio cur repugnet partibus physicis prædicari de toto, omnino

 nino

nino cessat in partibus metaphysicis; ergo non est cur negetur genus vt partem prædicari. Consequentia patet, & antecedens probatur. Quia partes physicę sunt verę, & propriæ partes, & distinguuntur à toto distinctione reali includentis ab incluso; & ideo in definitione eius non ponuntur in recto, sed solùm in obliquo; non enim dicimus: homo est materia, & forma, sed homo est ex materia, & forma; sed nihil horum est in gradu generico, non enim est vera & propria pars, cùm significet totum compositum, nec sumitur ab aliqua parte essentiæ, sed à tota illa; ob quod etiam in definitione non ponitur in obliquo, sed in recto; siquidem non dicimus; homo est ex animali; sed homo est animal, ergo.

℞. Negando antecedens: ad cuius prob. dico, quod licet isti gradus, seu partes metaphysicæ, non sumantur proximè à singulis partibus physicis, nec significent solam materiam,

aut formam, sed sumantur a toto cõposito, & significent illud; tamen quatenus partes sunt non significant compositum secundùm omnes perfectiones, quas in se habet, sed cum præcisione facta inter illas; & ideo prout sic non possunt prædicari in recto de toto, sicut nec partes physicæ. Differunt tamèn ab his, quod partes physicæ, cùm sint essentialitèr partes, numquam possunt habere rationem totius simplicitèr loquendo; & sic nunquàm prædicantur in recto de composito. At verò gradibus metaphysicis accidit, quod sumantur cùm mutua præcisione, & consequentèr esse partes, & ideo possunt considerari absq; tali præcisione, & habere rationem totius simplicitèr loquendo; & sic considerata prædicari de toto.

CONTROVERSIA XXVII.

Quomodo definiatur species, tàm prædicabilis, quàm subijcibilis.

NOta I. Quod species quatenùs est subijcibilis dicitur illa, quæ sub assignato genere collocatur, & de qua genus prędicatur in quid; quibus verbis explicatur respectus ad superiora, seu quatenus species est subijcibilis. definitur autèm quatenus prædicabilis. Quæ de pluribus differentibus numero, in eo, quod quid prædicatur, quæ verba speciem explicant secundùm respectum ad inferiora, seu quatenus est vniuersalis; quę tamen definitio prædicabilis speciei essentialis non est, sed descriptiua, eo quod detur per proprietatem, nempè per prędicari; definitio autèm eius essentialis est, quod species sit vniuersale ad plura differentia numero in quid.

Nota

Nota 2. quod species prædicabilis duas dicit relationes ad sua inferiora; prima relatio est vniuersalitatis per quam refertur ad sua inferiora, tanquam aliquid illis commune, per quam relationem constituitur essentialitèr in ratione vniuersalis. Secunda est relatio prædicabilitatis, per quam refertur ad sua inferiora, tanquàm aliquid affirmabile de illis, quæ relatio est propria passio vniuersalis. Similitèr ergo species subijcibilis duas alias relationes dicit ad genus, prima est essentialis, per quam refertur ad genus tanquam ad aliquid superius illi quidditatiuè, quæ relatio explicatur, quando dicitur; species est id quod subijcitur generi. Secunda relatio speciei subijcibilis, & habens rationem proprietatis, ea est per quam refertur ad genus, tanquam ad aliquid de quo genus est prędicabile; quæ relatio explicatur. quādo dicitur; de quo genus in eo quod

quid prædicatur, quę particula ponitur in definitione, vt per cognitionē proprietatis facilius cognoscamus essentiam.

Nota 3. Quod omnis natura, quę denominatur species prædicabilis, potest etiam denominari species subijcibilis, non verò ècontra; pro quo scire oportet quod species est duplex; alia infima siue specialissima, & alia subalterna. Infima siue athoma illa est, quę non continet sub se alias species; sed solùm indiuidua, vt v.g. homo est species infima: Subalterna autem species illa est, quæ continet sub se alias species, v.g. animal est species subalterna, quia continet sub se hominem, & leonem, & alias species; & intèr istas species talis est differentia, quod species infima talitèr est species, quod nullo modo potest esse genus; vndè homo quatenus respicit animal vt aliquid sibi superius habet rationē speciei

subij-

subijcibili, & quatenus respicit inferiora nempè Pet. & Paulum, habet rationem speciei prædicabilis, & ita tam per comparationem ad superius, quàm ad inferiora, habet rationem speciei, & in eodem subiecto adunantur ratio speciei prædicabilis, & subijcibilis, & hoc conuenit homini speciei infimæ. At verò species subalterna, taliter est species, quod est etiàm genus, sed respectu diuersorum, nàm habet rationem speciei in ordine ad genus superius cui subijcitur, & rationem generis in ordine ad species inferiores, de quibus prędicatur; Vndè animal quatenus respicit viuens vt aliquid sibi superius, habet rationē speciei subijcibilis, vt verò inferiora respicit, putà hominem & leonē, rationem habet generis; & sicut in ordine ad superiùs talitèr habet rationem speciei subijcibilis, quod non potest habere rationem generis, sic similitèr in ordine ad species
 inse-

inferiores taliter habet rationem generis, vt non possit habere rationem speciei prædicabilis, quę prædicatur de pluribus solo numero differentibus.

Dico 1. prefata definitio speciei prędicabilis optima est. hanc docét concorditèr logici cum D. Thom. opusc. 48. tract. 1. cap. 3. & Porph. cap. de specie. & probatur explicando definitionis particulas. Prima ergo particula habet locum generis, scilicet quod prędicatur de pluribus, quia de pluribus prædicari commune est omnibus prędicabilibus. Secunda particula, scilicet differentibus numero, ponitur ad differentiam generis, quod de pluribus differentibus specie prædicatur. Vltima particula in quid, ponitur ad differentiam aliorũ trium prædicabilium, scilicet differentię, proprij, & accidentis, quæ non prędicantur in quid, sed in quale, vt infra suo loco dicemus. ergo allata defi-

definitio speciei prædicabilis; recta est, consequentia patet, quia nil cōtinet superfluum, aut diminutum, quia potius continet omnes particulas, quibus exactè naturam speciei prædicabilis explicatur. ergo.

Dico 2. Definitio adducta speciei subijcibilis rectè traditur. Ita omnes logici cum Porph. loco citato, & probatur ex eodem dicente, quod species est, quę ponitur sub assignato genere; sed hæc definitio est speciei subiicibilis, vt ex ipsis verbis constat. ergo.

Arg. 1. contra 1. concl. prędicta definitio non conuenit omni contento sub definito. ergo non est bona, consequentia patet, & antecedens probatur dupliciter 1. quia non omnis species prædicatur de pluribus, siquidem Sol, Luna, phęnix, & similia; tantum vnicum habent indiuiduum, de quo prædicentur; ergo ex hac parte definitio non conuenit

maliter prout sic, non possunt prædicari de composito, sed solùm quatenùs induunt rationem totius; Minor & consequentia patent, & maior probatur; quia ad prædicationem propriè loquendo (si sit formalis, & non identica) requiritur, quod prædicatum confusè, & in potentia sit totum id, quod actu includit subiectum; & quod subiectum actu, & distinctè sit totum id, quod actu includit prædicatum, ergo.

Conf. Quia partes physicę, & reales hominis non possunt in recto prædicari de illo; quia à parte rei non continent totum, quod est in homine; ergo pari ratione, quæ per intellectum sunt partes hominis, formaliter prout sic, non possunt in recto prædicari de illo, siquidem quatenus ab intellectu sumuntur vt partes, non continent totum, quod est in homine.

Arg. 1. Genus vt genus prædicatur de specie; sed genus vt genus est

pars

pars, nam genus ita sumptum ingreditur definitionem, quam non potest ingredi nisi in ratione partis ; ergo genus vt pars prædicabitur de specie.

℞. Negando minorem; falsum enim est genus vt genus esse partem speciei, sed vt sumitur cũ præcisione suorum attributorum ; quia genus vt genus totum quoddam est, confusè continens quicquid in speciebus reperitur.

Arg. 2. Ex Arist. 1. Top. c. 4. non solùm definitio, verum etiam partes eius prædicantur de re definita ; sed genus est pars definitionis speciei ; ergo illud vt pars prædicabitur de specie.

℞. Distinguo maiorem ; prædicantur de re definita vt partes ; nego maiorem ; vt tota quædam, quæ cõfusè continent quicquid in definito reperitur, concedo maiorem ; & in hoc sensu, debet intelligi Arist.

Arg. 3. Ratio cur repugnet partibus physicis prædicari de toto, om-

nino cessat in partibus metaphysicis; ergo non est cur negetur genus vt partem prædicari. Consequentia patet, & antecedens probatur. Quia partes physicę sunt verę, & propriæ partes, & distinguuntur à toto distinctione reali includentis ab incluso; & ideo in definitione eius non ponuntur in recto, sed solùm in obliquo; non enim dicimus: homo est materia, & forma, sed homo est ex materia, & forma; sed nihil horum est in gradu generico, non enim est vera & propria pars, cùm significet totum compositum, nec sumitur ab aliqua parte essentiæ, sed à tota illa; ob quod etiam in definitione non ponitur in obliquo, sed in recto; siquidem non dicimus; homo est ex animali; sed homo est animal, ergo.

℞. Negando antecedens: ad cuius prob. dico, quod licet isti gradus, seu partes metaphysicæ, non sumantur proximè à singulis partibus physicis, nec significent solam materiam,

aut

aut formam, sed sumantur a toto cõposito, & significent illud; tamen quatenus partes sunt non significant compositum secundùm omnes perfectiones, quas in se habet, sed cum præcisione facta inter illas; & ideo prout sic non possunt prædicari in recto de toto, sicut nec partes physicæ. Differunt tamèn ab his, quod partes physicæ, cùm sint essentialitèr partes, numquam possunt habere rationem totius simplicitèr loquendo; & sic nunquàm prædicantur in recto de composito. At verò gradibus metaphysicis accidit, quod sumantur cùm mutua præcisione, & consequentèr esse partes, & ideo possunt considerari absq; tali præcisione, & habere rationem totius simplicitèr loquendo; & sic considerata prædicari de toto.

CONTROVERSIA XXVII.

Quomodo definiatur species, tàm prædicabilis, quàm subijcibilis.

NOta 1. Quod species quatenus est subijcibilis dicitur illa, quæ sub assignato genere collocatur, & de qua genus prędicatur in quid; quibus verbis explicatur respectus ad superiora, seu quatenus species est subijcibilis. definitur autem quatenus prædicabilis. Quæ de pluribus differentibus numero, in eo, quod quid prædicatur, quæ verba speciem explicant secundùm respectum ad inferiora, seu quatenus est vniuersalis; quę tamen definitio prædicabilis speciei essentialis non est, sed descriptiua, eo quod detur per proprietatem, nempè per prędicari; definitio autem eius essentialis est, quod species sit vniuersale ad plura differentia numero in quid.

Nota

Nota 2. quod species prædicabilis duas dicit relationes ad sua inferiora; prima relatio est vniuersalitatis per quam refertur ad sua inferiora, tanquam aliquid illis commune, per quam relationem constituitur essentialitèr in ratione vniuersalis. Secunda est relatio prædicabilitatis, per quam refertur ad sua inferiora, tanquàm aliquid affirmabile de illis, quæ relatio est propria passio vniuersalis. Similitèr ergo species subijcibilis duas alias relationes dicit ad genus, prima est essentialis, per quam refertur ad genus tanquam ad aliquid superius illi quidditatiuè, quæ relatio explicatur, quando dicitur; species est id quod subijcitur generi. Secunda relatio speciei subijcibilis, & habens rationem proprietatis, ea est per quam refertur ad genus, tanquam ad aliquid de quo genus est prędicabile; quæ relatio explicatur. quãdo dicitur; de quo genus in eo quod

quid prædicatur, quę particula ponitur in definitione, vt per cognitionē proprietatis facilius cognoſcamus eſſentiam.

Nota 3. Quod omnis natura quę denominatur ſpecies prædicabilis, poteſt etiam denominari ſpecies ſubijcibilis, non verò ècontra; pro quo ſcire oportet quod ſpecies eſt duplex; alia infima ſiue ſpecialiſſima, & alia ſubalterna. Infima ſiue athoma illa eſt, quę non continet ſub ſe alias ſpecies; ſed ſolùm indiuidua, vt v.g. homo eſt ſpecies infima: Subalterna autem ſpecies illa eſt, quæ continet ſub ſe alias ſpecies, v.g. animal eſt ſpecies ſubalterna, quia continet ſub ſe hominem, & leonem, & alias ſpecies; & intèr iſtas ſpecies talis eſt differentia, quod ſpecies infima talitèr eſt ſpecies, quod nullo modo poteſt eſſe genus; vndè homo quatenus reſpicit animal vt aliquid ſibi ſuperius habet rationē ſpeciei

ſubij-

ſubijcibili, & quatenus reſpicit inferiora nempè Pet. & Paulum, habet rationem ſpeciei prædicabilis, & ita tam per comparationem ad ſuperius, quàm ad inferiora, habet rationem ſpeciei,& in eodem ſubiecto adunantur ratio ſpeciei prædicabilis,& ſubijcibilis,& hoc conuenit homini ſpeciei infimæ. At verò ſpecies ſubalterna, taliter eſt ſpecies, quod eſt etiàm genus, ſed reſpectu diuerſorum, nàm habet rationem ſpeciei in ordine ad genus ſuperius cui ſubijcitur,& rationem generis in ordine ad ſpecies inferiores, de quibus predicatur;Vndè animal quatenus reſpicit viuens vt aliquid ſibi ſuperius, habet rationē ſpeciei ſubijcibilis, vt verò inferiora reſpicit,putà hominem & leonē, rationem habet generis; & ſicut in ordine ad ſuperiùs talitèr habet rationem ſpeciei ſubijcibilis, quod non poteſt habere rationem generis,ſic ſimilitèr in ordine ad ſpecies

definitio speciei prædicabilis; recta est, consequentia patet, quia nil cōtinet superfluum, aut diminutum, quia potius continet omnes particulas, quibus exactè naturam speciei prædicabilis explicatur. ergo.

Dico 2. Definitio adducta speciei subiicibilis rectè traditur. Ita omnes logici cum Porph. loco citato, & probatur ex eodem dicente, quod species est, quę ponitur sub assignato genere; sed hæc definitio est speciei subiicibilis, vt ex ipsis verbis constat. ergo.

Arg. 1. contra 1. concl. prędicta definitio non conuenit omni contento sub definito. ergo non est bona, consequentia patet, & antecedens probatur dupliciter 1. quia non omnis species prædicatur de pluribus, siquidem Sol, Luna, phęnix, & similia; tantum vnicum habent indiuiduum, de quo prædicentur; ergo ex hac parte definitio non conuenit

rit omni definito. 2. Quia non omnis species prædicatur de pluribus differentibus numero; siquidem numerus est species quantitatis, vt dicemus infra; ergo non possunt differre numero nisi quę habent quantitatem; ergo ex hac etiam parte definitio ista non conuenit speciebus rerum spiritualium.

℟. Negando antecedens: Ad 1. probi dico, quod licet; sol, luna, &c. de facto non habeant plura indiuidua, non tamen repugnat ea habere, saltem ex principijs specificis talium naturarum; & sic possunt potentia prædicari de pluribus differentibus numero; vnde negatur consequentia. Ad 2. probationem; negatur antecedens; quia etiam in alijs prædicamentis à quãtitate reperitur vnitas, & numerus trascendentalis, vt docet D. Th. 1. par. q. 30. ar. 3. Hoc autem sufficit ad verificanda verba definitionis; vnde

de pariter negamus consequentiam.

Arg. 2. Contra eandem; definitio speciei prædicabilis conuenit alijs à definitio; ergo non est bona; probatur antecedens tripliciter. 1. quia conuenit generi, prædicatur enim de indiuiduis in quid; & licet prædicetur incōpletè, & alio modo quam species, tamen hoc non explicatur in definitione speciei; & sic est diminuta. 2. quia plura prædicantur de pluribus numero differētibus, & non sunt species, vt entia incompleta v.g. motus, anima, materia, punctum & similia 3. tandem, quia Deus prædicatur de tribus personis, & non est species. ergo, &c.

℞. Negando antecedens. Ad cuius 1. prob. dico, quod (vt supra diximus) generi non conuenit prædicari de pluribus numero differentibus formaliter & immediatè; sed materialiter, scilicet quia continentur

tur sub specie, de qua per se formaliter, & directè prædicatur; & ita debet intelligi prædicatio generis, quod fit in quid incõpletè; neq; hoc est addere aliquid definitioni, sed in ipsa imbibitum explicare. Ad 2. prob. dico, entia incompleta reductiuè, & non per se pertinere ad speciem, vel genus, sicut ad prædicamentum; vndè non habent plura numero distincta, nisi reductiuè, & secundum quid. Ad 3. prob. dico, Deum non prædicari de tribus personis tanquam multiplicabilem, & contrahibilem ab illis, sed tanquam naturam vnam singularem, quæ prædicatur de pluribus suppositis eiusdem singularis naturę; & ideo nec diuina natura se habet vt vniuersalis, ne ipsæ personæ vt inferiora contrahentia natnram superiorem, & numericè illam distinguentia, quia ita multiplicantur supposita, vt non multiplicetur natura, sed

tria

tria suppofita eiusdem singularis naturæ.

Arg. 3. Contra eamdem; definitio debet conuenire definito in quantum huiusmodi, siquidem conuertitur cum ipso; sed allata definitio non conuenit speciei in quantùm species est. ergo; probatur minor; quia species vt species est, respicit genus, illique subiicitur; sed species in quantùm subijcibilis, non est prędicabilis, vt dicecemus infra; ergo speciei, vt sali, non cōuenit prædicari de pluribus.

R. Negando minorem ad prob. distinguo maiorem; species in quantùm subijcibilis, concedo maiorē; in quātùm prædicabilis ne. gatur. Vndè dicimus subiicibilitatem quam species habet respectu generis, & prædicabilitatem quam habet respectu indiuiduorum, esse relationes inter se disparatas. Quapropter species ęquiuocè dicitur d subijcibili, & prædicabili, & conse-

sequenter non habet aliquam vnā definitionem, prout comprehendit vtramq. Vt contingit in alijs æquiuocis. Quare sicut canis vt canis est, nec est solum latrabilis, nec solum marinus, sed vtrumque; ita species vt species, nec solum habet respectum ad genus, nec solum ad indiuidua, sed simul vtrumque.

Arg. 4. Contra 2. concl. definitio speciei subiicibilis etiam conuenit indiuiduo. ergo non est bona; probatur antecedens, etiam indiuiduum est id quod subijcitur generi, & de quo genus in eo quod quid prædicatur. ergo.

℞. Negando antecedens: Ad prob. distinguo antecedens, subijcitur immediatè, & ratione sui, nego antecedens; mediatè, & ratione speciei, concedo antecedens, & nego consequentiam, quia quando dicitur in definitione. Id quod subijcitur generi; ita debet intelligi, quod subij-

ijcitur illi immediatè, & ratione sui.

Contra datur indiuiduum quod immediatè subijcitur generi, ergo solutio nulla. probatur antecedens, quia hoc animal immediatè subijcitur animali, & hæc quantitas quantitati. ergo; probatur antecedens, quia inter animal, & hoc animal, non mediat aliqua natura specifica; ergo hoc animal immediatè subijcitur animali.

R. Negando antecedens. Ad prob. nego antecedens; Ad cuius etiam prob. negatur antecedens; quia neque hoc animal, neque aliquod aliud indiuiduum potest dari quod non habeat rationem animalis determinatam per aliquam differentiam specificam; siquidem ratione generica non est immediatè capax indiuiduari, nisi determinetur per rationem specificam, & ita inter hoc animal, & animal, mediat natura specifica, mediante qua

qua ratio animalis descendit ad hoc animal.

CONTROVERSIA XXVIII.

Vtrum species constituatur in ratione speciei, per rationem subijcibilis, vel prædicabilis.

NOTA 1. Quod species subijcibilis de materiali dicit naturam, quæ quidditatiuè generi subijcitur; de formali autem dicit secundam intentionem, siuè relationem rationis, per quam refertur ad genus; hæc etiam natura, quæ denominatur species subijcicibilis, etiam denominatur vniuersalis; nam vt aliquid denominetur species subijcibilis, non sufficit quod quomodocunque contineatur sub genere, & subijciatur illi; sed requiritur quod immediatè cõtineatur sub illo; vndè indiuiduum

nequit

nequit denominari ſubijcibilis ſpecies, ſed ſolum natura abſtracta ab inferioribus eſt capax, vt denominetur ſpecies ſubiicibilis. Certum autem eſt quod natura ſic ab inferioribus abſtracta, etiam eſt capax vt denominetur vniuerſalis à relatione vniuerſalitatis logicæ; ex quo conſtat quod ſpecies ſubiicibilis ex parte ſubſtrati eſt vniuerſalis metaphyſicè, non ſolum per accidens, ſed etiam per ſe, taliter quod in quantum ſubiicibilis, petit pro materiali, & pro ſubſtrato naturam, quæ ſit vniuerſalis metaphyſicè, quia petit pro materiali naturam abſtractam à ſingularibus; vniuerſale autem metaphyſicum nil aliud eſt, quam natura vt abſtracta, & denudata à conditionibus indiuidualibus.

Nota 2. Idem quæri in titulo, ac vtrum ſpecies ſubiicibilis, in quantum ſubiicibilis ſit vniuerſalis? cuius duplex poteſt eſſe ſenſus. Primus

mus est, vtrum relatio rationis cõstituens naturam in ratione speciei subiicibilis, constituat etiam illam formaliter in ratione vniuersalis? v.g. homo denominatur species subiicibilis, & pariter denominatur vniuersalis; inquirimus vtrum relatione rationis à qua denominatur species subiicibilis, denominetur etiam vniuersalis, ita vt per illam relationem pertineat formaliter ad 2. prædicabile. Secundus sensus est, vtrum relatio rationis constituens naturam in ratione speciei subijcibilis, sit radix est causa, propter quam tali naturæ conueniat relatio à qua denominatur vniuersalis; ad eum modum quo relatio vniuersalitatis est radix prædicabilitatis; quia si hoc esset verum optimè verificaretur in sensu reduplicatiuo ista propositio; species subiicibilis, in quantùm subijcibilis est vniuersalis; sicut verificatur sensu reduplicatiuo, quod

homo

homo in quantum rationalis, est risibilis, quia licet rationalitas non sit forma constituens hominem in ratione risibilis, est tamen radix à qua deriuatur risibilitas.

Nota 3. Cùm in 2. prædicabili sit ista duplex intentio, nempè prędicabilitas, & subijcibilitas; non solùm difficultatem posse esse, quęnam ex istis intentionibus constituam formaliter 2. prædicabile; verùm etiam quomodo vna se habeat erga aliam; an omnino disparatè; an vt propria passio, & quid consequens, vel modificans aliam: Indubium autem est istos respectus, seu intentiones, esse diuersas relationes, nam habent distinctos terminos, & fundamenta; terminus enim subijcibilitatis est ipsum superius cui subijcitur, fundamentum verò inferioritas, seu dependentia ab illo; at verò terminus prædicabilitatis, seu vniuersalitatis sunt ipsa inferiora de quibus prædican-

dicantur; fundamentum verò ipsius sumitur ex ipsa communitate naturæ, in qua conueniunt illa inferiora, quæ communicabilis & superior est illis. sunt ergo diuersa fundamẽta, & termini istarum relationum, à quibus relatio vnitatem & diuersitatem sumit. Et licet ipsa ratio, seu intentio speciei non pluribus relationibus, sed vnica constituatur, potest tamen plures habere vt proprietates, vel conditiones requisitas, sicut etiam prædicabilitas est passio vniuersalitatis. Vndè inquirimus quæ relatio sit essentialiter constitutiua speciei, & quomodo in specie præfatæ relationes se habeant.

Dico 1. Constitutiuum intrinsecum, & essentiale speciei, vt est 2. prędicabile condiuisum ab alijs, est vniuersalitas talis, quę dicit respectum & prędicabilitatem ad plura inferiora solo numero distincta, nõ autem subijcibilitas. hæc statuitur con-

contra Caiet. Magiſtrum meum Arauio, & alios; eſt tamen receptiſſima in Schola Angelica, & cōmunis logicorum ſenſus, & probatur. ſpecies in tantum eſt vnum de quinque prædicabilibus in quantùm participat rationem vniuerſalis, ſiquidem iſta quinque prędicabilia ſunt ſpecies quędam vniuerſalis; ergo conſtitutiuum eius debet eſſe intra latitudinem,& rationem vniuerſalis; ergo non per ſubijcibilitatem, ſed per ſuperioritatem conſtitui debet. Conſequentia patet, quia implicat quod aliqua relatio in communi importet tendentiam ad aliquem terminum, & relatio quæ eſt eius ſpecies, ad oppoſitum tendat; ſicut ſi relatio patris in communi filium reſpicit, relatio talis patris in particulari talē filium in particulari reſpiciet, non auum, ſed conſtet quod relatio vniuerſalitatis in communi, quę eſt genus ad quinque prædicabilia, reſpi-

ſpicit vt proprium terminum, inferiora; ergo relatio talis vniuerſalis, putà ſpeciei, non poteſt reſpicere formalitèr loquendo, & conſtitui per reſpectum ad ſuperiora, ſed ad inferiora; ergo non poteſt conſtitui formalitèr per ſubijcibilitatem in ratione ſecundi prędicabilis, ſed per vniuerſalitatem, ſeu prędicabilitatem talem, ideſt, quæ talia inferiora reſpiciat.

Dico 2. Non poſsunt concurrere per accidens, & diſparatè ſe habere in 2. prædicabili, prædicabilitas & ſubijcibilitas, ſed vel ſecundùm ſe, vel per ſua fundamenta, vna determinat, & modificat alteram. hæc ſtatuitur contra Cabero, Merin. Compl. & alios, eam tamen docet noſter Lisbon. & plures alij, & probatur. Quia ſecundum prædicabile non habet eſſe vniuerſale quomodocunque, ſed vniuerſale ſubordinatum, & minus altero, ſcilicet genere; ergo id quod conducit

ducit ad hoc, vt sit vniuersale minus amplum altero, non potest disparatè se habere ad constitutionē talis vniuersalis, siquidem de intrinseca ratione eius est, quod sit vniuersale subordinatum & inferius; sicut non disparatè se habet ad constituendam causam secundam hoc quod est subordinari causæ primæ; ita species essentialitèr habet posse prędicari de inferioribus, sed non est ei per accidens & disparatum, sed per se requiritur subordinari superiori vniuersali, sub quo continetur in quantùm minus vniuersale est.

Dico 3, relatio rationis constituens naturam in ratione speciei subijcibilis, non est radix propter quam tali naturæ conueniat relatio vniuersalitatis. Probatur, relatio subijcibilitatis est relatio inferioris ad superius, & relatio vniuersalitatis est relatio superioris ad inferiora; ergo licet de facto vtraq;

inueniatur in eodem subiecto, vna non potest dimanare ab alia. Probatur consequentia, relatio inferioris, ad superius, & relatio superioris ad inferiora, non solùm sunt distinctæ, sed etiam habent inter se aliquam oppositionem, quatenus respiciunt terminos oppositos; ergo vna non potest dimanare ab alia; sicut licet in vno homine possit reperiri relatio superioritatis respectu aliquorum subditorum; & relatio subijcibilitatis respectu alicuius superioris, vna tamen ex istis rationibus non dimanat ab alia.

Arg. 1. contra 1. conclus. species pertinet ad hoc 2. prædicabile in quantum est vniuersalis, sed in quantum pertinet ad hoc prędicabile, constituitur per relationem subijcibilitatis; ergo etiam in ratione vniuersalis constituitur per talem relationem. maior patet, & minor probatur, pertinet ad hoc prædicabile in quantùm est species,

sed

ſed in quantùm eſt ſpecies, conſtituitur per relationem ſubijcibilitatis; ergo pertinet ad hoc prædicabile in quantùm conſtituitur per rationem ſubijcibilitatis; probatur minor, in quantùm eſt ſpecies correlatiua generis, conſtituitur per relationem ſubijcibilitatis; ergo etiam in quantùm ſpecies.

Conf. Species in quantûm pertinet ad hoc prædicabile continetur ſub vniuerſali, tanquàm ſub genere; ergo in quantùm pertinet ad hoc prædicabile formalitèr ſubijcitur vniuerſali.

℞. Ad arg. negando minorem: ad prob. diſtinguo maiorem; pertinet ad hoc prędicabile in quantùm ſpecies ſubijcibilis, nego maiorem; in quantùm ſpecies prædicabilis, concedo maiorem; & diſtinguo etiam minorem, in quantùm ſpecies ſubijcibilis conſtituitur per relationem ſubijcibilitatis, concedo minorem, in quantum eſt ſpecies

prædicabilis,nego minorem; & ad prob. minoris, diſtinguo maiorem in quantum eſt ſpecies ſubijcibilis, concedo maiorem; in quãtùm prędicabilis, negatur maior,quia vt ſic eſt correlatiua indiuiduorum, & cõceſſa minori, negatur conſequentia. Itaque licet ratio vtriuſque ſpeciei nempè ſubijcibilis, & prędicabilis reperiatur in eodem materiali, tamen ſunt relationes diſtinctę, & ſola illa quę eſt ſuperioris ad inferiora conſtituit ſecundum prædicabile. Species autem ſubijcibiles qua tales, vt reſpiciunt ſuum genus, nempè vniuerſale;materialiter tantum ſunt vniuerſalia, id eſt quædam vniuerſales naturæ, non verò ſunt vniuerſalia formalitèr, ſecundum quòd ſuperiori ſubijciũtur, quia eius reſpectu vniuerſalitatem non exercent, vt patet.

Ad Conſ. diſtinguo conſequens; in quantùm pertinet ad hoc prædicabile formalitèr ſubiicitur vni-

uer-

uersali, id est, formalitèr participat rationem illius, concedo consequẽtiam; formalitèr subijcitur vniuersali; id est, in ratione secundi prædicabilis constituitur per relationem subijcibilitatis, nego consequẽtiã; Illud igitur quod formalitèr, cõtinetur sub alio, formalitèr subijcitur illi, id est, formaliter participat rationẽ illius, licet formalitèr, in sua essentia non constituatur per relationem subijcibilitatis, quæcunque etenim natura specifica continetur sub generica, & participat illam, non tamen constituitur in sua essentia, per relationem subijcibilitatis, qua respicit genus, v. g. homo continetur sub animali, & participat essentialitèr rationem illius, non tamen constituitur in sua essentia per rationem subijcibilitatis, qua respicit animal: similitèr ergo species quę est 2. prædicabile continetur sub vniuersali, & participat rationem illius, non tamen consti-

tuitur in sua essentia per relationem subijcibilitatis, qua respicit vniuersale, sed per hoc quod habet specialem modum respiciendi sua inferiora, in quo essentialitèr includitur ratio vniuersalis.

Arg. 2. Contra eandem. Genus subalternum quod est vniuersalius specie insima, cùm de ea prædicetur, non constituitur in ratione generis subalerni per prædicabilitatem; ergo multò minus species infima vt infima. Probatur antecedens, genus subalternum non constituitur in esse talis, per prædicabilitatem de pluribus specie differentibus; nec per prædicabilitatem de pluribus differentibus numerò; ergo per nullam. Probatur antecedens, imprimis non per prædicabilitatem de pluribus specie differentibus, quia hoc etiam conuenit generi supremo, & sic non est propria ratio subalterni. Nec per prędicabilitatem de pluribus numero differentibus, quia hoc etiam conuenit

uenit speciei infimæ; ergo per nullam prædicabilitatem, sed per subijcibilitatem constituitur.

℞. Negando consequentiam; disparitas enim est inter speciem infimam & subalternam, quia subalterna non habet esse vniuersalis in ratione speciei, sed in ratione generis; habet enim vniuersalitatem & prædicabilitatem solùm in quid incópletè; subalternationem autem habet in ratione speciei subijcibilis, quatenùs scilicet superiori generi subijcitur, & per differentiam contrahit illud, & facit quandam speciem non infimam, sed subalternam, quæ etiam genus subalternum dicitur; reuera tamen subalternatio conuenit ei in quantùm species quædam est, & ita secundùm aliam rationem habet vniuersalitatem, nempè vt genus; & secundùm aliam, subijcibilitatem, putà vt species. At verò species infima non habet vniuersalitatem in ratione generis, sed in ratione secundi

prædicabilis in quid completè; & ideo vniuersalitas per prius est in illa vt cõstituatur 2. prædicabile, quàm subijcibilitas in ratione speciei infimæ.

Arg. 3. Contra eandem: Species subijcibilis prædicatur essentialitèr de hac & illa specie subijcibili; ergo quatenùs subijcibilis est vniuersalis.

R. Negando consequentiam; species enim subijcibilis respectu huius & illius speciei subijcibilis verè vniuersalis est; quia tùnc materialitèr tantùm est subijcibilis, & formalitèr prædicabilis; vt tamen formalitèr subijcibilis, materialitèr est prædicabilis; quia quod immediatè subijcitur generi, debet esse natura talis quæ denominari possit vniuersalis, non tamen formalitèr, prout subijcitur.

Arg. 4. contra 2. concl. Dari potest subijcibilis species, quæ non sit prædicabilis, vt species angelica, quæ tantùm habet vnum indiuiduũ:

datur

datur etiam econtra species prædicabilis, quæ non est subijcibilis, vt substantia quando prædicatur de hac & illa substantia, tanquam de indiuiduis, quæ tamen alteri superiori non subijcitur, cum supra substantiam non sit alius gradus; ergo quod aliqua species sit subijcibilis, & prædicabilis, per accidens & disparatè concurrunt.

Conf. Subijcibilitas ad genus non conducit, aut proportionat speciem ad hoc vt prædicetur de indiuiduis; nec econtra prædicabilitas de indiuiduis, vt generi subijciatur; vna enim relatio istarum non deriuatur ex alia, nec fundat eam; ergo per accidens, & disparatè, & purè concomitanter se habent.

℞. Ad arg. negando antecedens, si loquamur de specie propriè, quæ est 2. prædicabile. Quod autem attinet ad speciem Angelicam, infra docebimus etiam prædicabilem

esse. De substantia verò dicimus, quod respectu huius & illius substantiæ indiuiduatæ, non est species 2. prædicabile, cum prædicetur in quid incompletè, sed est prędicatio generica, mediata tamen, quia genus mediatè de talibus prędicatur indiuiduis, vt suprà docuimus.

Ad Conf. negatur consequentia; quia licet subijcibilitas ad genus non conducat ad prædicabilitatem de indiuiduis absolutè consideratam, benè tamen ad prædicabilitatam vt limitatam, & dependentem & in quantum infima prædicabilitas est, hæc enim esse non potest sine tali subijcibilitate, sicut obscuritas per se non conducit ad cognitionem, benè tamen ad cognitionem talem, nempè ad fidem, quæ est imperfecta & limitata cognitio, petens illam modificationem obscuritatis.

Arg.

Arg. 5. Contra eandem. subijcibilitas speciei est qua redditur immediatè subijcibilis generi, sed immediata subijcibilitas est prior vniuersalitate, & veluti radix ipsius, ergo. minor probatur, prius est naturam specificam esse naturam cōtractam, respectu generis, quam contrahibilem respectu indiuiduorum; per hoc enim quod contrahit genus, constituitur in se, prius est autem constitui, quam ab alijs contrahi; sed per hoc quod contrahit genus subijcitur generi, per hoc quod est contrahibilis ad indiuidua, est vniuersalis ad illa, ergo prior est subijcibilitas, quam prædicabilitas, & erit veluti radix illius.

℞. Negando minorem. Ad prob. dico, quod contractio generis, prout pertinet ad ipsam constitutionē naturæ; quæ fit per genus & differentiam, non est subijcibilitas, quia constitutio naturæ pertinet ad na-

turam

turam ſecundum ſe, & primò intentionaliter; ſubijcibilitas autem dicit relationem, qua coordinantur ſpecies generi, & ſic pertinet ad ſecundam intentionem naturæ, nō ad conſtitutionem; & in hoc genere intentionis, prior eſt vniuerſalitas & prædicabilitas in ordine ad conſtituendum 2. prędicabile, quod eſt ſpecies, quam ſubijcibilitas; licet reſpectu naturæ ſecundum ſe, prius intelligatur contractio generis, quæ eſt fundamentum ſubijcibilitatis, quam contrahibilitas ad indiuidua, quæ eſt fundamentum vniuerſalitatis, ſed ad conſtituendam ſpeciem hoc eſt prius illo; & ſic ſubijcibilitas non erit radix vniuerſalitatis.

CON-

CONTROVERSIA XXIX.

Vtrum omnis species subijcibilis, sit etiam prædicabilis.

NOta 1. Idem quæri ac an possit dari species subijcibilis, quæ non sit prædicabilis de multis, sed tantum vnicum habeat indiuiduum; inter naturas autem non habentes nisi vnicum indiuiduum, triplex reperitur differentia; quædã enim natura est, quæ de facto non habet plura indiuidua, potest tamen habere ea de possibili, sicut luna, sol, & similia, quæ habent materiam diuisibilem absolutè, sed non diuisibilem naturaliter, ex diuisione autem materiæ consequitur indiuidualis multiplicatio. Alia natura est, quæ nec de facto, nec de possibili potest habere multiplicationem indiuidualem

ex parte diuisionis materiæ; quia omni materia caret, vt sunt substantiæ spirituales completæ, sicut angeli; est tamen in opinione positum, an ex alio capite, quam ex diuisione materiæ possint habere multiplicationem numericam, & licet illam habere non possint, adhuc tamen possint concipi illæ naturæ vt vniuersales. denique altera est natura, quæ non solùm non habet plura indiuidua de facto, nec de possibili, secundum multiplicationem naturæ, sed nec ipsa natura potest concipi cum potentialitate aliqua ad indiuiduationem, & vt contrahibilis per singularitatem, quia est actus purus, & sic in essendo non potest esse vniuersalis, licet possit concipi ipsa natura non explicata indiuiduatione, & significari potest per modum termini communis, sicut est nomen Deus.

Nota 2. de prima natura non esse difficultatem in præsenti, quia

con-

constat illam naturam posse prædicari de multis, in qua multa indiuidua possibilia sunt, de quibus prędicetur. similiter de tertia natura non est quæstio, supra enim diximus, Deum speciem non esse. Controuertimus ergo de secunda natura, nempè de Angelica, admisso quod sint impossibilia plura indiuidua in illa: & quærimus an, quia ex modo concipiendi, illa natura concipitur vt indifferens ad indiuiduationem, sufficiat, vt sit species prædicabilis de multis, non quæ de facto habet, vel habere potest in re, sed quæ ex modo concipiendi illi naturæ sic indifferenti non repugnant.

Nota 3. Quod habere plura indiuidua de quibus aliquid prędicetur contigit dupliciter, vel positiuè, vel per non repugnantiā saltē ex parte alicuius principij. Prædicari de multis positiuè est, quando datur positiuum fundamentum in ipsa re,

re, vt fiat prædicatio de multis, scilicet quia talis multiplicatio in re inuenitur; & indè sumitur fundamentum ad concipiendum vnam naturam prędicabilem de illis. Per non repugnantiam dicitur prædicari de multis, quando non inuenitur quidem in multis à parte rei, sed in vno tantum, ita tamen se habet natura ad illud vnum indiuiduum, quod potest abstrahi ab illo, eodem prorsus modo, quo à pluribus abstrahitur, scilicet manente natura cum indifferentia, & potentialitate ad indiuiduationem: & ita ex vi talis abstractionis non habet natura repugnantiam ad plura indiuidua, licet in re ex alio capite repugnet, scilicet propter carentiam materię, sine cuius diuisione non fit multiplicato indiuiduorum.

Nota 4. Quòd licet in angelis nō sit aliud à quo sumatur species, & aliud à quo sumatur indiuiduatio: sed eadem entitas simplex per se ipsam

ipſam conſtituatur in ſua eſſentia ſpecifica, & ſimul ſit hæc, & indiuidua, vt docet D. Th. 1. p.q. 13. ar. 9. & q. 50. ar. 4. hoc tamen non obeſt, quin eandem ſimplicem entitatem vno conceptu conſideremus, vt cōſtituit angelum in ſua ſpecie, & habet rationem differentiæ eſſentialis: & alio conceptu vt indiuiduat, & habet rationem differentiæ numericæ conſtituentis Angelum in eſſe indiuidui, & ſingularis. Ex quo fit nos poſſe pręſcindere vnum ab alio, & abſtrahere naturam ſpecificam Raphaelis à differentia indiuiduali eiuſdem: quia licet eadem entitas realis ſit differentia ſpecifica, & indiuidualis; munera tamen talis entitatis ſunt valdè diuerſa, cùm ſingularitas non ſit de eſſentia alicuius creaturę.

Nota 5. Quod licet naturæ angelicæ, eò quod immateriales, ſint in ſe actu intelligibiles, non ſolùm quantùm ad principia ſpecifica, ſed

etiam

etiam quantum ad indiuidualia; quia tamen à nobis cognoſcuntur per ſpecies corporum, quę non ſunt actu intelligibilia, quouſque intellectus agens denudet phantaſmata à conditionibus indiuiduantibus; inde eſt naturas angelicas nō intelligi à nobis, ſecundùm quod in ſe ſunt intelligibiles, & ſecundùm principia indiuidualia earum, ſed ſecundùm modum noſtrum intelligendi, qui eſt cognoſcere naturā ſpecificam preciſam à conditionibus indiuiduantibus. Ex quo tandem fit, quòd diuerſo modò cognoſcimus de facto angelos, eiſque aliter tribuimus intentiones, ac cognoſceremus & tribueremus, ſi perciperemus illos ſecundùm quòd in ſeipſis ſunt intelligibiles; aut ſicut ipſi ſe inuicèm cognoſcunt.

Dico 1. naturas angelicas, prout à nobis pro hoc ſtatu concipiuntur ſubire intentiones vniuerſalis, & prædicabilis, etiam ſi ſint impoſſi-

poſſibilia plura indiuidua in vnaquaque illarum; ac proindè de facto omnem ſpeciem ſubijcibilem eſſe prędicabilem. hæc ſtatuitur cõtra Molin. Suar. Ant. Perez, Rui. Hurtado, Cauer. Auerſam, & plures alios ex modernis. eam tamen docet D. Th. de ſpirit. creat. ar. 8. ad 4. opuſc. 42. cap. 5. & 1. p. q. 13. ar. 9. & ſæpius alibi, eſtque concordiſsimus Angelicę Scholæ ſenſus, & probatur 1. prædicatio in qua naturam ſpecificam Michaelis prædicamus de ſuo indiuiduo, verè eſt prædicatio formalis, & propriè pertinet ad ſpeciem; ergo talis natura ſpecifica, vt à nobis concipitur, verè eſt vniuerſalis, & prædicabilis reſpectu ſui indiuidui. Conſequentia patet, & antecedens probatur; quia michael vt eſt quædam res ſingularis à parte rei exiſtens, eſt verum indiuiduum, quod directè ponitur in prædicamento ſubſtantiæ, vt fundamentum aliorum prædicatorum; ergo

ergo ſupra illud apprehēdimus gradum aliquem ſpecificum, cui immediatè ſubijcitur; Implicat enim dari indiuiduum quod non contineatur ſub aliqua ſpecie infima, vt per ſe patet. ergo illud indiuiduum vt à nobis concipitur, ſubit intentionem ſubijcibilis reſpectu ſuæ naturæ ſpecificæ: Cum autem relatio mutuò correſpondēs ſubijcibilitati indiuidui, ſit vniuerſalitas & prædicabilitas ſpeciei, planè ſequitur naturam ſpecificam Michaelis, vt à nobis concipitur reſpectu ſui indiuidui, ſubire etiam intentionem vniuerſalis, & prædicabilis.

Probatur 2. Quia repugnantia ad plura indiuidua in natura Angelica non eſt ſecundùm omnia prædicata naturæ; ſed ſecundùm præciſam rationem irreceptibilitatis in materia, quia ſcilicet non indiuiduatur per deſignationem materię, ſed per carentiam illius: Vnde repugnantia ad pluralitatem non eſt

ex

ex natura, ſed ex modo indiuiduãdi naturam, quia non eſt aliud principium indiuiduandi, quàm ipſa irreceptio formę, inde enim, & non aliundè habet incommunicabilitatem, quæ eſt radix indiuiduationis. Igitur ſi concipiatur natura inadęquatè, id eſt, quantùm ad rationem ſpeciei, & non modus ipſe indiuiduandi naturam, non accipitur natura vt repugnans multiplicationi indiuiduorum, & conſequentèr vt habens plura indiuidua non repugnantèr, licet poſitiuè non reſpiciat multa, non defectu ſui, ſed quia multa non ſunt.

Probatur 3. natura Michaelis poteſt conſiderari ſine indiuiduatione per noſtrum conceptum inadęquatum, vt patet ex dictis; ergo poteſt denominari ſpecies prædicabilis. probatur conſequentia, talis natura ita conſiderata, quantùm eſt de ſe habet indifferentiam ad plura indiuidua, ita vt ſi iſta eſſent, de

illis

illis prædicaretur; & quod non prędicetur solum prouenit ex defectu alicuius extrinseci, putà indiuiduorum; ergo prout est intellectu potest denominari species prædicabilis. Antecedens patet, quia ex modo quem habet in intellectu, non determinatur ad aliquod indiuiduum, & consequentia probatur, quia ad hoc quod quantitas sit diuisibilis, sufficit quod illi quantum est ex se non repugnet diuidi, licet ex parte alicuius extrinseci ei repugnet, vt patet in quantitate minimi naturalis, & in quantitate cæli; ergo adhoc vt natura Michaelis ex modo quem habet in intellectu possit denominari species prædicabilis sufficit, quod vt quantum est ex se sit potens prædicari de pluribus indiuiduis, licet ex alia parte hoc illi repugnet.

Dico 2. Si naturæ Angelicæ secundum quod sunt in se ipsis intelligerentur, non possunt denominari

nari

nari vniuersales, aut prædicabiles. hæc est receptissima inter Thomistas, & probatur. Angelus secundum se est actu intelligibilis, non solum quantum ad naturam specificam, sed quantum ad differentiam indiuidualem, & ab eodem principio, quo constituitur in esse specifico, constituitur etiam in esse indiuiduali; ergo si intelligeretur secundùm quod in se est, non solum intelligeretur secundum naturam specificam, sed etiam secundùm principium indiuiduale: ergo simul intelligeretur vt Angelus, & vt hic Angelus; ergo non intelligeretur vt vniuersalis, & prædicabilis.

Arg. 1. Contra 1. concl. sequitur ex nostra conclusione, & probationibus ipsius, etiam Deum esse spe-speciem prædicabilem; sed consequens absurdum, ergo. sequela probatur, quia etiam Deus potest concipi, vt res communis sine sin-

gularitate, & significari vt terminus communis, vt supra diximus, ergo ex modo concipiendi habebit vniuersalitatem, & consequenter gradum superioris & inferioris, pari modo ac natura Angelica, & sic inter Deum & Angelos, quantum ad hoc, nulla esset differentia; sed hoc est absurdum. ergo &c.

℞. Negando sequelam: ad cuius prob. dico discrimen esse; quia Deus &si possit concipi sine singularitate, & consequenter modo communi significari, tamen ipsa natura sic concepta non manet cum indifferentia, & potentialitate ad indiuiduationem, siquidem concipitur, vt actus purus; qui quidem &si ex modo nostri conceptus imperfecti non explicat singularitatem, tamen ex parte sua non manet indifferens ad illam, & consequenter solum vno titulo est communis, scilicet ratione nostri imperfecti conceptus, non tamen ratione

tione indifferentiæ, & potentialitatis ex parte naturæ. Natura autem composita triplici titulo est vniuersalis, scilicet ex modo concipiendi abstrahendo a singularibus, & ex indifferentia naturæ secundum se, & ex pluritate indiuiduorum, ad quæ potest terminati respectus vniuersalis. Natura autem Angelica solùm duplici titulo, putà ex modo concipiendi, & ex ipsa indifferentia naturæ secundum se, licet ex defectu multorum indiuiduorū exerceri non possit ista communicabilitas ad plura, & ita est vniuersalitas sine exercitio; vt autem diuina natura termino communi significetur, sufficit quod ex modo significandi sine singularitate concipiatur, vt autem sit genus, vel species requiritur quod concipiatur vt contrahibilis, & determinabilis, & consequenter quod ratio contrahens sit magis determinata, & magis actuans, quod sine potentiali-

tate in ipſo contrahibili, & maiori actualitate in contrahente concipi non poteſt; quod totum repugnat actui puro.

Arg. 2. Contra eandem. In natura Angelica per modum naturæ, etiam à ſingularitate præciſa, eſt aliquid repugnans vniuerſalitati eſſentialiter; ergo nequit adhuc prout ſic præciſa vniuerſalis denominari. Conſequentia patet, & antecedens probatur, vniuerſali videlicet potè ſuperiori, non ſolum repugnat ſingularitas, ſed etiam adæquatio per modum radicis cum vna ſingularitate, ſed in illo conceptu metaphyſico naturæ, neceſſario importatur adæquatio per modum radicis cum vna ſingularitate, ergo, maior patet, & minor probatur, quia adæquatio cum vno indiuiduo conuenit prædictæ naturæ, non per ipſam indiuiduationem, vt patet; ergo conuenit ei ratione ſui, & prędicatorum ſibi eſſentialium,

ſiqui-

ſiquidem inter naturam & indiuiduationem non datur aliquod intermedium prædicatum, ratione cuius illi conueniat.

℞. Negando antecedens: Ad cuius prob. negatur minor. Ad cuius prob. diſtinguo antecedens; conuenit ei adęquatio cum iſta ſingularitate quantum ad id quod poſitiuè petit, concedo antecedens; quantum ad id quod per non repugnantiam admittit, nego antecedens & diſtinguo conſequens; conuenit ei ratione ſui adæquatio cum illo vnico indiuiduo, quantum ad id quod poſitiuè petit, concedo conſequentiam; quantum ad id quod per non repugnantiam admittit, nego conſequentiam; vt autem natura Angelica vniuerſalis non eſſet, deberet vtroque modo cum indiuiduo adæquari eſſentialiter. Itaque ſi attendamus ad id quod poſitiuè petit prædicta natura, ſub conceptu naturæ eſſentialiter adæ-

quatur cum indiuiduo quod habet de facto: si vero ad id quod admittit per non repugnantiam, cum aliæ singularitates ei non repugnēt cum illo minimè adequatur.

Arg. 3. Contra eandem. Nequit constitui natura vniuersalis per ordinem ad indiuidua implicantia contradictionem; ergo natura angelica in nullo sensu erit vniuersalis. Consequentia patere videtur, & antecedens probatur; natura debet in ratione vniuersalis constitui per ordinem ad illa de quibus enuntiari potest potentia saltem metaphysica & logica, sed de indiuiduis logicè & metaphysicè implicantibus (qualia sunt ista de quibus loquimur) neque potentia logica, neque metaphysica potest enunciari, ergo. probatur minor, nequit dari potentia metaphysica, & consequenter neque logica supra primam fundata in ordine ad terminum impossibilem metaphysicè,

& Logicè; quia de pluribus fictis, nō nisi fictè natura prædicaretur, fictè autem prædicari, est non prædicari verè, nec verè concipi vt prædicabilem; ergo.

℞. Negando antecedens: ad cuius prob. distinguo maiorem, per ordinem ad illa debet constitui naturæ vniuersalis, de quibus possit enunciari per positiuam potētiam & absolutè, nego maiorem; per nō repugnantiam, quantum est ex cōceptu naturę per modum naturæ, concedo maiorem; & in isto sensu negatur minor; ad cuius prob. distinguo antecedens; nequit dari potentia logica & metaphysica positiua in ordine ad terminum impossibilem, cōcedo antecedens; potentia logica negatiua, & per non repugnantiam ex aliquo capite, nego antecedens, & negatur pariter consequentia.

Arg. 4. Contra eandem. Vniuersalitas logica fit per compara-

tionem positiuam ad plura, sed species Angelica non est positiuè vniuersalis, nec potest comparari ad plura nisi ficta, ergo non est vniuersalis logicè?

℞. Negando minorem; natura enim Angelica habet intentionem logicam, non quæ actu comparetur ad plura positiuè, ea attingendo, siquidem non sunt nisi ficta; sed actu attingendo vnum indiuiduum positiuè, & plura non repugnanter; & hoc sufficit ad relationem intentionis logicæ, sicut vna relatio patris respicit plures filios, si sint actu, si autem non sit nisi tãtum vnus filius, de facto non attingit plures, sed illa relatio quæ attingit vnum positiuè, non repugnanter attingit plures, quia ita se habet, vt si plures darentur, illos attingeret; ita relatio illa naturæ specificę taliter respicit vnum indiuiduum positiuè; quod de se posset plura attingere si darentur.

Arg.

Arg.5. Contra eandem. modus irreceptionis in materia essentialiter conuenit angelo, siquidem per hoc distinguitur ab anima rationali, quæ est forma recepta, ergo non potest abstrahi natura specifica Angeli ab illo modo indiuiduationis, qui est per irreceptionem in materia. Consequentia patet, quia quãtumcunque abstrahatur natura angelica, non potest abstrahi ab eo quod illi essentiale est, sic enim nõ abstraheretur, sed destrueretur sicut si homo conciperetur sine animali, quod est essentiam aliquam concipi sine eo quod est sibi essentiale; ergo &c.

℞. Negando consequentiam; licet enim natura angelica essentialiter sit irreceptibilis in materia, & carens illa, & ab ista carentia materię nunquam possit præscindi; negamus tamen quod non possit præsciendi à sua singularitate, quia carentia materiæ, & irrece-

ceptibilitas non est ipsa indiuiduatio ãgeli, sed radix illius; vnde quãdo ab strahimus naturã specificàm Angeli à modo indiuiduandi, non prescindimus in tali natura id quod essẽtiale est quãtũ ad cõstitutionem quidditatis, sed id quod in natura illa pertinet ad modum indiuiduationis, qui radicalitèr quidem originatur in ipsa natura specifica, non tamen formalitèr in ea consistit, cùm dependeat in sui designatione à prædicatis extrinsecis; & sic concipimus naturam Angelicam inadequatè, & ad instar rei compositæ qualitèr concipi potest modo communicabili ad plura.

Contra, quia alias Petrus posset concipi vt vniuersalis; sed consequens falsum, ergo, sequela probatur, quia Pet. inadæquatè conceptus solum explicat naturam non indiuiduationem, & consequentèr si inadæquatus conceptus rei intrinsecè singularis, qualis est an-

gelus,

gelus, sufficit vt possit denominari vniuersalis; nulla est ratio cur Pet. qui intrinsecè singularis est, si inadequatè concipiatur, id est, quantum ad naturam, non quantum ad indiuiduationem, non poterit concipi vt vniuersalis.

℞. Negando sequelam ad prob. dico, quod Petrus non solùm radicalitèr, sed etiam formalitèr explicat ipsam indiuiduationem; vndè non potest concipi sine differentia indiuiduali, etiàm inadæquatè, nisi destructo conceptu Petri, & accipiēdo conceptum naturæ. Angelica autem natura non explicat formalitèr ipsam indiuiduationem; licet radicem eius includat.

CONTROVERSIA XXX.

Vtrum species possit conseruari in vno tantùm indiuiduo; & genus in vna tantùm specie?

NOta 1. Quod hic controuertimus de ipsa natura specifica, & generica, non verò de secundis intentionibus: nam de his sicut certum est esse relationes rationis ad plura inferiora ab intellectu formatas, & intra ipsum manentes; sic etiam certum est non necessariò exigere, vt illa plura sint à parte rei existentia; siuè enim existant species, & indiuidua, siue non, intellectus potest formare intentionem generis, & speciei, apprehendendo naturas illas possibiles in ordine ad sua inferiora possibilia: semper tamen intentiones istæ requirunt, vt terminum adæquatum plura

plura inferiora. Vnde loquendo de naturis istis logicè, id est, prout denominantur à secundis intentionibus, nec natura generica habet vniuersalitatem in ordine ad vnã speciem tantùm; neque natura specifica in ordine ad vnum indiuiduum, vt per se patet, difficultas ergo solùm est de ipsa natura generica, vel specifica secundùm se; An scilicet animal quod est genus ad hominẽ, & leonem, possit conseruari in sola specie humana, alijs animalibus nõ existentibus; & pariter an homo, qui species est respectu Petri, & Pauli, possit conseruar in solo Petro, alijs omnibus indiuiduis de medio sublatis.

Nota 2. Quod cum tàm in genere, quàm in specie duo considerentur, scilicet & natura quam explicant actualitèr, & plura ad quæ sunt in potentia; certum est quod tàm genus, quàm species, quantum ad naturam quam actualitèr dicunt, in

vna

vna specie, & indiuiduo conseruari possunt; quia genus totam suam essentiam communicat cuilibet inferiori; Idemque de specie. Reducitur ergo tota difficultas ad hoc, an genus quoad potentialitatem, & ordinem quem habet ad plura possit respectu vnius speciei saluari, etiamsi alię essent impossibiles, nam si possibiles sunt, licet de facto non existant, certum est saluari potentiam generis ad illas, quia ab existentia earum non dependet, & de facto post diem iudicij in toto genere animalis non erit nisi vnica species hominis, idque ab initio potuisset fieri: & similitèr loquimur de specie secundum potentiã, & aptitudinem ad existendum in pluribus.

Nota 3. Discrimen esse inter naturam genericam, & specificam, quod scilicet natura generica, cùm sit diuisibilis per differentias formales, quę necessariò causant di-

stin-

ſtinctionem ſpecificam,in ſe ipſa eſt quid imperfectum, incompletum, & informe intra latitudinem perfectionis eſſentialis, in qua conſequentèr perficitur, & completur per eaſdem differentias. At verò natura ſpecifica, cùm in ſe ſit quid perfectum actuale,& vltimò conſtitutum intra latitudinem perfectionis eſſentialis, in hac nullo modò perficitur per differentias numericas,ſed ſolùm diuiditur & multiplicatur;quæ potiùs eſt imperfectio.

Dico 1. Naturam genericam metaphyſicè conſideratam, ſecundùm potentialitatem quam dicit, ſaluari non poſſe in vna tantùm ſpecie. Hęc ſtatuitur contrà Ornam, & alios ex modernis; eam tamen docet D. Th. 1. poſt. lect. 12. quem ſequitur Thomiſtarum Torrens, & probatur 1. Integra perfectio potentiæ ſumitur ex actu adęquato illi correſpondente, ſed natura generica, (vt nunc de illa loquimur) eſt

est potentia quædam metaphysica, respiciens vt adæquatum, actum omnes differentias, per quas contrahitur ad species; ergò non habebit integram perfectionem, quã prout sic postulat, donec per tales differentias fuerit actuata, & contracta; maior, & cõsequẽtia patet, & minor probatur, quia vnaquæq; differentia diuisiua est inferior genere, inconuertibilis cũ illo, ac per consequens ipsi inadęquata; ergo.

Probatur 2. Quia nullum genus datur in rerum natura, quod actu plures species non habeat; ergo signum est, quod genus actu plures species exigat, vt saluetur omnimoda essentialis ipsius perfectio; antecedens experientia patet; & consequentia probatur, quia alias natura superflueret in talium specierum multitudine, quod dici nequit: ergo.

Conf. Quia natura per se solùm intendit, multtiudinem specierum

in

in vniuerso, non autem multitudinem indiuiduorũ, nisi ptopter conseruationem speciei. ex D Th. 1. p. q. 47. ar. 2. sed hoc indè est, quia genus habet in vtraque specie distinctam essentialem perfectionem; ergò genus secundùm potentialitatẽ quam dicit intra latitudinem perfectionis essentialis, non intelligitur plenè saluari in vna specie, licet species saluetur in vno indiuiduo, vt mox dicemus.

Dico 2. Naturam specificam in vnico indiuiduo posse saluari. Hæc statuitur contra Scotum, & sequaces; est tamen concors Angelicæ Scholæ sensus, & probatur. Quia natura specifica considerata intrà latitudinem perfectionis essentialis, non habet rationem potentiæ, sed potius est quoddam totum actuale, vltimò in essentia completum, & perfectum, & consequenter non respicit vt actum essentialem differẽtias indiuiduales; Imò potius ipsa spe-

ſpecifica natura quodammodo cõparatur ad indiuiduum , vt actus, & forma ipſius ; ac proindè etiam aliquo modo deprimitur, & materializatur per differentias indiuiduales ; ergò vt natura ſpecifica intelligatur cum omnimoda perfectione eſſentiali , non requiruntur plura indiuidua.

Confir. Quia natura ſpecifica reſpectu differētiæ indiuidualis, quodammodo aſſimilatur materiæ primæ rei incorruptibilis reſpectu ſuę formæ, quatenùs ſub ea intelligitur eſſe plenè perfecta, & actuata, nec habere appetitum ad alias ; ergo ſicut talis materia prima, habet omnem ſuam perfectionem ſub vnica forma; ità etiam ſpecies ſub vnica indiuiduali differentia.

Arg. 1. contra 1. concl. In vna tantum ſpecie poteſt accipi gradus ſeu ratio indeterminata , & potentialis, & ratio ſeu gradus actualis, & determinans ; ergo poterit accipi genus,

genus, & differentia. Antecedens patet, quia illa species esset in prædicamento, cùm esset res creata, ergo habet gradum superiorem & inferiorem, & consequenter determinabilem, & determinantem.

℞. Distinguo antecedens: potest accipi gradus indeterminatus, superioritate requisita ad genus, id est, in ordine ad plures formas, nego antecedens; in ordine ad vnam formam tantùm, concedo antecedens: Ad cuius prob. dico, quod illa species esset quidèm in prædicamento ratione naturæ limitatæ, & haberet gradum superiorem, & inferiorem: non quidem superioritate magis extēsa, & ampla, sed minus determinata, & actuali, seu magis potentiali ex parte quidditatis quam differentia contrahens. Vnde non esset vniuersalis genericè, licet haberet naturam magis potentialem quam differentia, sicut habet genus. Esset ergo potentialitas respiciens tantùm

tum vnam formam, non ad plures indifferentèr se habens; hæc autem potentialitas non sufficit ad rationem generis, vt ex dictis patet.

Arg. 2. contra eandem. Si tota potentialitas generis non posset saluari in vnica specie; sequitur quod non saluetur in duabus, vel in decē, vel in aliquo numero certo; sed consequens absurdum, ergo. Sequela probatur, quia non est maior ratio quod illa potentialitas exhauriatur per duas species, quam per viginti, & ita quodlibet genus requiret infinitas species: ergo.

℞. Negando sequelam: ad prob. dico, quod potentialitas generis sufficienter saluatur hoc ipso quod habeat plures species, siuè sint in numero determinato, siue infinito. Requiruntur ergo ad minus, & sufficiunt duæ species sub vno genere, nec potest eius potentialitas extensiua saluari respectu vnius tantum speciei, ob rationem adductam.

Arg.

Arg. 3. Contra eandem.sequetur quod loquendo de potentialitate generis, Deus nequiret de potentia absoluta posse conseruare illud in vnica specie; sed hoc falsum; ergo; sequela patet, minor probatur, quia Deus de facto saluat potentialitatem materiæ primæ per vnam formam, vt patet in cælo;ergo poterit producere vnam differentiam ita perfectam vt exhauriat totam potentialitatem generis, & proinde tunc saluabitur in vnica specie secundum totam suam potentialitatem.

℞. Distinguo consequens; loquendo de genere metaphysicè, Deus nequit illud conseruare in vna specie, concedo consequentiam; loquendo de genere physicè, nego consequentiam;physicè enim & realiter satis euidens est posse Deum conseruare quodlibet genus in vnica specie: si verò loquamur de illo metaphysicè, & secundum plenitudinem suæ potentialitatis

mani-

manifestè implicat quod sit genus, & quod intelligatur plenariè perfectum in vna specie. Iam enim vna differentia simul esset actus adæquatus, & non adæquatus generis; quod à Deo fieri non potest.

Arg. 4. Contra 2. concl. Si aliqua species conseruatur in vnico indiuiduo, vel habet essentialiter annexam repugnantiam ad plura; vel non? si non habet? ergo illa plura sunt possibilia, & sic tollitur casus quod tantum vnum indiuiduum sit possibile. Si habet intrinsecam repugnantiam i ergo neque ex modo concipiendi potest accipi, vt vniuersalis, & communicabilis pluribus, & sic non erit differentia inter ipsam & genus.

℞. Quod etiamsi species habeat essentialiter annexam repugnantiam ad plura indiuidua, potest saluari ratio vniuersalitatis eius si illam repugnantiam habeat non

ex

ex conceptu naturæ vt natura est sed ex modo indiuiduationis, qui radicaliter continetur in ipsa specifica natura, vt supra diximus: vnde non repugnat ex modo concipiendi talem naturam inadæquatè & sub præciso conceptu naturæ, & formæ, concipi vt communicabilem pluribus, non repugnanter ex vi talis præcisionis, & conceptus inadæquati; licet in re repugnet ex alio principio, etiam ad ipsam essentiam pertinente, nempè quia caret materia in cuius diuersis partibus recipiatur diuersa natura indiuidualis.

Arg. 5. Contra eandem. sicut natura generica diuiditur per differẽtias oppositas & incompossibiles, ita & specifica per indiuiduales, quæ non possunt reperiri in vno indiuiduo. ergo vtraque exigit plura inferiora, vt earum potentialitas intelligatur plenè actuata. Consequentia videtur nota, quia hæc est

ratio

vna specie, & indiuiduo conseruari possunt; quia genus totam suam essentiam communicat cuilibet inferiori; Idemque de specie. Reducitur ergo tota difficultas ad hoc, an genus quoad potentialitatem, & ordinem quem habet ad plura possit respectu vnius speciei saluari, etiamsi alię essent impossibiles, nam si possibiles sunt, licet de facto non existant, certum est saluari potentiam generis ad illas, quia ab existentia earum non dependet, & de facto post diem iudicij in toto genere animalis non erit nisi vnica species hominis, idque ab initio potuisset fieri: & similitèr loquimur de specie secundum potentiã, & aptitudinem ad existendum in pluribus.

Nota 3. Discrimen esse inter naturam genericam, & specificam; quod scilicet natura generica, cùm sit diuisibilis per differentias formales, quę necessariò causant di-

stin-

ſtinctionem ſpecificam, in ſe ipſa eſt quid imperfectum, incompletum, & informe intra latitudinem perfectionis eſſentialis, in qua conſequentèr perficitur, & completur per eaſdem differentias. At verò natura ſpecifica, cùm in ſe ſit quid perfectum actuale, & vltimò conſtitutum intra latitudinem perfectionis eſſentialis, in hac nullo modo perficitur per differentias numericas, ſed ſolùm diuiditur & multiplicatur, quæ potiùs eſt imperfectio.

Dico 1. Naturam genericam metaphyſicè conſideratam, ſecundùm potentialitatem quam dicit, ſaluari non poſſe in vna tantùm ſpecie. Hęc ſtatuitur contrà Ornam, & alios ex modernis; eam tamen docet D. Th. 1. poſt. lect. 12. quem ſequitur Thomiſtarum Torrens, & probatur 1. Integra perfectio potentiæ ſumitur ex actu adęquato illi correſpondente, ſed natura generica, (vt nunc de illa loquimur) eſt

est potentia quædam metaphysica, respiciens vt adæquatum, actum omnes differentias, per quas contrahitur ad species; ergò non habebit integram perfectionem, quā prout sic postulat, donec per tales differentias fuerit actuata, & contracta; maior, & cōsequētia patet, & minor probatur, quia vnaquæq; differentia diuisiua est inferior genere, inconuertibilis cū illo, ac per consequens ipsi inadæquata; ergo.

Probatur 2. Quia nullum genus datur in rerum natura, quod actu plures species non habeat; ergo signum est, quod genus actu plures species exigat, vt saluetur omnimoda essentialis ipsius perfectio; antecedens experientia patet; & consequentia probatur, quia alias natura superflueret in talium specierum multitudine, quod dici nequit: ergo.

Conf. Quia natura per se solùm intendit, multtiudinem specierum

in

in vniuerso, non autem multitudinem indiuiduorũ, nisi ꝑpter conseruationem speciei. ex D. Th. 1. p. q. 47. ar. 2. sed hoc indè est, quia genus habet in vtraque specie distinctam essentialem perfectionem; ergò genus secundùm potentialitatẽ quam dicit intra latitudinem perfectionis essentialis, non intelligitur plenè saluari in vna specie, licet species saluetur in vno indiuiduo, vt mox dicemus.

Dico 2. Naturam specificam in vnico indiuiduo posse saluari. Hæc statuitur contra Scotum, & sequaces; est tamen concors Angelicæ Scholæ sensus, & probatur. Quia natura specifica considerata intrà latitudinem perfectionis essentialis, non habet rationem potentiæ, sed potius est quoddam totum actuale, vltimò in essentia completum, & perfectum, & consequenter non respicit vt actum essentialem differẽtias indiuiduales; Imò potius ipsa spe-

ſpecifica natura quodammodo cō-paratur ad indiuiduum , vt actus, & forma ipſius ; ac proindè etiam aliquo modo deprimitur, & materializatur per differentias indiuiduales ; ergò vt natura ſpecifica intelligatur cum omnimoda perfectione eſſentiali, non requiruntur plura indiuidua.

Confir. Quia natura ſpecifica reſpectu differētiæ indiuidualis, quodammodo aſſimilatur materiæ primæ rei incorruptibilis reſpectu ſuę formæ, quatenus ſub ea intelligitur eſſe plenè perfecta, & actuata, nec habere appetitum ad alias; ergo ſicut talis materia prima, habet omnem ſuam perfectionem ſub vnica forma; ità etiam ſpecies ſub vnica indiuiduali differentia.

Arg. 1. contra 1: concl. In vna tantum ſpecie poteſt accipi gradus ſeu ratio indeterminata, & potentialis, & ratio ſeu gradus actualis, & determinans ; ergo poterit accipi genus,

genus, & differentia. Antecedens patet, quia illa species esset in prædicamento, cùm esset res creata, ergo habet gradum superiorem & inferiorem, & consequenter determinabilem, & determinantem.

℞. Distinguo antecedens: potest accipi gradus indeterminatus, superioritate requisita ad genus, id est, in ordine ad plures formas, nego antecedens; in ordine ad vnam formam tantùm, concedo antecedens: Ad cuius prob. dico, quod illa species esset quidèm in prædicamento ratione naturæ limitatæ, & haberet gradum superiorem, & inferiorem: non quidem superioritate magis extēsa, & ampla, sed minus determinata, & actuali, seu magis potentiali ex parte quidditatis quam differentia contrahens. Vnde non esset vniuersalis genericè, licet haberet naturam magis potentialem quam differentia, sicut habet genus. Esset ergo potentialitas respiciens tantùm

tùm vnam formam, non ad plures indifferentèr se habens; hæc autem potentialitas non sufficit ad rationem generis, vt ex dictis patet.

Arg. 2. contra eandem. Si tota potentialitas generis non posset saluari in vnica specie; sequitur quod non saluetur in duabus, vel in decē, vel in aliquo numero certo; sed consequens absurdum, ergo. Sequela probatur, quia non est maior ratio quod illa potentialitas exhauriatur per duas species, quam per viginti, & ita quodlibet genus requiret infinitas species: ergo.

℞. Negando sequelam: ad prob. dico, quod potentialitas generis sufficienter saluatur hoc ipso quod habeat plures species, siuè sint in numero determinato, siue infinito. Requiruntur ergo ad minus, & sufficiunt duæ species sub vno genere, nec potest eius potentialitas extensiua saluari respectu vnius tantum speciei, ob rationem adductam.

Arg.

Arg. 3. Contra eandem. ſequetur quod loquendo de potentialitate generis, Deus nequiret de potentia abſoluta poſſe conſeruare illud in vnica ſpecie; ſed hoc falſum; ergo; ſequela patet, minor probatur, quia Deus de facto ſaluat potentialitatem materiæ primæ per vnam formam, vt patet in cælo; ergo poterit producere vnam differentiam ita perfectam vt exhauriat totam potentialitatem generis, & proinde tunc ſaluabitur in vnica ſpecie ſecundum totam ſuam potentialitatem.

℞. Diſtinguo conſequens; loquendo de genere metaphyſicè, Deus nequit illud conſeruare in vna ſpecie, concedo conſequentiam; loquendo de genere phyſicè, nego conſequentiam; phyſicè enim & realiter ſatis euidens eſt poſſe Deum conſeruare quodlibet genus in vnica ſpecie: ſi verò loquamur de illo metaphyſicè, & ſecundum plenitudinem ſuæ potentialitatis mani-

ex conceptu naturæ vt natura est sed ex modo indiuiduationis, qui radicaliter continetur in ipsa specifica natura, vt supra diximus: vnde non repugnat ex modo concipiendi talem naturam inadæquatè & sub præciso conceptu naturæ, & formæ, concipi vt communicabilem pluribus, non repugnanter ex vi talis præcisionis, & conceptus inadæquati; licet in re repugnet ex alio principio, etiam ad ipsam essentiam pertinente, nempè quia caret materia in cuius diuersis partibus recipiatur diuersa natura indiuidualis.

Arg. 5. Contra eandem. sicut natura generica diuiditur per differẽtias oppositas & incompossibiles, ita & specifica per indiuiduales, quę non possunt reperiri in vno indiuiduo. ergo vtraque exigit plura inferiora, vt earum potentialitas intelligatur plenè actuata. Consequentia videtur nota, quia hæc est

ratio

ratio ob quam diximus genus metaphyſicè ſumptum non poſſe conſeruari in vna ſpecie. Antecedens vero probatur. Quia ſicut animal diuiditur per rationale, & irrationale, quæ ſunt differentiæ oppoſitę, & incompoſſibiles; ita etiam homo diuiditur per differentias indiuiduales oppoſitas;ergo.

℞, Negando antecedens, ſi loquamur de omnimoda paritate, diſparitas autem patet ex dictis & ad prob. antecedentis dico, quod licet differentiæ jndiuiduales ſint oppoſitæ ſicut ſpecificæ; hæ tamen addunt perfectionem eſſentialem ſupra genus, & ſic potentialitas, quam dicit intra latitudinem perfectionis eſſẽtialis non actuatur totaliter pet vnam differentiam : At differentiæ indiuiduales nullam talem perfectionem addunt ſpeciei, & ita natura ſpecifica totam ſuam perfectionem eſſentialem habet in vnoquoque indiuiduo.

CON-

CONTROVERSIA XXXI.

Quomodo, & an rectè definiatur Indiuiduum.

NOta 1. Quòd ficut natura specifica potest significari dupliciter, putà nominibus primæ intetionis, vt sunt homo, leo, &c. &. 2. intentionis, vt species, subijcibile, &c. Ita ètiam natura particularis & indiuidua potest dupliciter significari; nēpè nominibus ptimæ intentionis, vt sunt persona, Petrus, hic homo &c. & nominibus. 2. intentionis, vt sunt hæc. Indiuiduum, singulare, particulare, & suppositum. Quantùm autem ad secundam intentionem, indiuiduum constat duplici relatione rationis. Prima est subijcibilitatis ad prædicata superiora, siue ad prædicatum immediatum, quod est species athoma, siue ad mediata, quæ sunt genera. 2. relatio est prædicabilitatis,

qua indiuiduum prædicatur non de aliquo inferiori, sed de se ipso.

Nota 2. Quod duplex definitio indiuiduo correspondet. Prima est. Indiuiduum est quod de vno tantum prædicatur; quæ conuenit indiuiduo 2. intentionalitèr sumpto, & facit hunc sensum, quod indiuiduum est natura quædam, quæ ad se ipsam, & non ad plura refertur; & de se ipsa, non de pluribus prædicatur. Secunda indiuidui definitio est. Cuius collectio proprietatum sic est in vno vt nunquam in alio fiat. Quæ definitio conuenit indiuiduo. 1. intentionalitèr. Istæ autem proprietates indiuiduantes hoc vulgari continentur versiculo.

Forma, figura, locus, tempus, cum nomine sanguis.
Propria sunt septem, quæ non hebet vnus, & alter.

Per formam autē intelligitur singularis complexio. Figura significat partium proportionem, & delineamen-

menteta. locus eam partem terræ, vrbis, vel domus, vbi quis natus est. Tempus ipsius generationis momẽtum. Nomen quod cuiq; imponitur. Sanguis prosapiam. Et tandem patria prouinciam significat. Ex quibus liquet explicari hanc definitionem primo intentionalitèr; quia numerantur hic proprietates, quæ realitèr inueniuntur, vt patet de forma, & figura, &c. Imo solùm definitur indiuiduum substantiæ, quia soli substantiæ conuenit habere collectionem istarum proprietatum. Et adhuc restrictius non quodlibet indiuiduum substantiæ, sed completum & subsistens, quod vocatur suppositum, seu persona definitur ista definitione, quia aliquæ proprietates sunt, quæ soli supposito conueniunt, & non partibus, vt nomen, sanguis, patria, &c. neq; enim manus, vel pes dicitur habere nomen, patriam, vel sanguinem, sed totus homo.

Dico, vtrãq; definitionem indiui-

dui adductā rectè tradi. Ita concorditer logici cum Porph. probata, manet ex dictis, & vlterius probatur; quia per illas definitiones rectè explicatur natura indiuidui; & nil habent superfluum, aut diminutum, vt per se patere videtur; & melius patebit ex solutione argumentorum; ergo.

Arg. 1. Contra definitionem indiuidui prædicabilis. Nam aliqua indiuidua prædicantur de pluribus, ergo falsa est definitio. Consequentia patet, & antecedens probatur, quia eadem numero materia est in vno indiuiduo, & postea in alio, vt in Petro, & eius cadauere; eadem numero actio denominat causam primam, & secundam; eadem cognitio plura cognita; idem locus plura locata saltem successiuè; ergo.

℞. Negando antecedens: ad prob. prob. dico, non repugnare quod vna materia, seu subiectum possit recipere diuersas formas, siue simul

si

si sint accidentales; siuè successiuè, si sint substantiales; vel quod aliquod accidens extrinsecè denominans conueniat pluribus, tanquam inadæquatis, & particularibus subiectis: sed hoc non est prædicari indiuiduum de pluribus numero distinctis, tanquam de inferioribus; vel vnam formam esse in pluribus subiectis indiuiduis adæquatis, quod requiritur vt indiuiduum de pluribus simpliciter, & adæquatè prædicetur. Quare accidens, seu forma denominans plura subiecta, habet illa quasi partialia, & inadæquata, non quasi totalia respectu suæ denominationis, licet verum sit quod non possit forma inhærens esse in pluribus realitèr distinctis, & separatis.

Arg. 2. Contra eandem defin. Prima definitio indiuidui non conuenit omni contento sub diffinito. ergo malè traditur. probatur antecedens, ex Arist. cap. de subst. Pri-

ma ſubſtantia vt Pet. v. g. neque eſt in ſubiecto, neque de ſubiecto dicitur; ſed prima ſubſtantia non differt ab indiuiduo prædicamenti ſubſtantiæ. ergo, &c.

Conf. 1. Singulare de nullo dicitur, ſed indiuiduũ & ſingulare ſunt idẽ, quia vnam & eandem rem ſignificant; ergo indiuiduo non conuenit prædicari de vno tantum.

Conf. 2. Quia ſola ſpecies definiri poteſt; ſed indiuiduum non eſt ſpecies; neque definibile aut ſcibile, cùm de ſingularibus non ſit ſcientia; ergo.

℞. Ad arg. Negando antecedens: ad prob. dico, quod prima ſubſtantia prædicatur quidem prædicatione naturali, & identica de vno tantum; tametſi non prędicetur prædicatione artificiali.

Ad 1. Conf. diſtinguo maiorem. Indiuiduum ſiue ſingulare de nullo dicitur, ſi ſumatur 1. intentionaliter, concedo maiorem, ſi 2. intentio-

tionaliter negatur maior; hoc enim modo prædicatur indiuiduum de se ipso, prædicatione naturali & identica, licet non artificiali, vt iam diximus.

Ad 2. Conf. negatur minor. Indiuiduum enim sumptum pro notione, vt à nobis definitur, etiam est species entis rationis logici; & hoc modo cadit sub consideratione logica; tametsi de indiuiduis materialiter sumptis nulla detur scientia.

CONTROVERSIA XXXII.

Quid sit indiuiduum vagum.

NOta 1. Indiuiduum esse in quadruplici differentia: primum est indiuiduum determinatum, & est illud quod rem certam, id est singulare absolutè significat, vt v g. Petrus. 2. est indiuiduum ex demonstratione, & est illud quod abso-

absolutè multa significat, tamen addito pronomine demonstrandi, rem certam, id est, singularem designat, vt hic homo. 3. est indiuiduũ ex hypothesi, & est illud quod multis quidem potest esse commune, facta tamen hypothesi, rem singularem & certam importat; v.g. Philippi filius, qui quidem absolutè multos homines significare potest, si tamen ex hypothesi demus illum tantum genuisse vnicum filium, puta Alexandrũ, tunc in tali casu, rem certam, nempè tale indiuiduum significabit. 4. est indiuiduum vagum, quod importat naturam particulariter existentem omnibus indiuiduis communem, vt v.g. quidam homo.

Nota 2. cum D. Thom q. 9. de pot. ar. 2. Quod in substantia particulari tria considerari possunt primum natura specifica, v.g. in homine natura humana 2. modus quo natura est in illo, qui modus

est

eſt particulariter exiſtere ; nam natura non eſt vniuerſaliter in indiuiduis, ſed particulariter. 3. eſt principium indiuiduationis, quo talis natura determinatur, & particularizatur. Ex his tribus natura eſt communis multis indiuiduis; modus qui eſt particulariter exiſtendi etiam eſt cõmunis indiuiduis omnibus, quia in illis natura particulariter exiſtit, & iſte modus conſtituit indiuiduum vagum : principiũ autem indiuiduationis nõ eſt commune, ſed aliud eſt in hoc, & aliud in illo : & ita explicatur eſſentia & quidditas indiuidui vagi per hoc quod eſt importare naturam particulariter exiſtentem omnibus indiuiduis certis communem.

Dico 1. pręter indiuiduum certum, ex hypotheſi, & ex demonſtratione, conſtituendum eſt Indiuiduum vagum, medium inter naturam vniuerſam, & indiuiduum determinatum : hanc docet D. Th.

loco citato & 1. par. q. 30. ar. 4. quem sequuntur concorditer scholæ; & probatur ex communi modo, & vsu loquendi; dicimus enim sume sibi quendam amicum, cui tua cõmunices consilia; in quo modo loquendi, loquimur de aliquo indiuiduo, vel amico, non tamen de aliquo certo, vt per se patet; ergo præter indiuiduum certum assignãdum est aliquod indiuiduum vagum.

Dico 2. hoc complexum, aliquis homo, v. g. verè est indiuiduum vagum: hanc docet D. Th. 1. par. q. 30. ar. 4. quem sequuntur omnes discipuli; & probatur. Tale complexum importat naturam humanam cum modo particularitèr existendi omnibus indiuiduis certis eiusdem humanæ naturæ communem; ergo erit indiuiduum vagum. Consequentia tenet per locum à definitione ad definitum. Antecedens probatur; quia, tale com-

ple-

plexum, aliquis homo, non importat naturam humanam in vniuersali; nam illam vt sic importat iste terminus communis, homo; neq; importat naturam singularizatam, & determinatam in particulari; quia illam sic significat iste terminus singularis, Petrus; ergo significat quidem naturam communem, quia hoc importat, ly homo, tamen illam importat non quomodocunque, sed cum modo particularitèr existendi, quia hoc sibi vult ly, aliquis; & ita totum complexum, importat naturam humanam communem cum modo particulariter existendi, & sic erit indiuiduum vagum.

Arg. 1. Contra 1. concl. Repugnant indiuiduum concipi in communi, ergo non datur indiuiduum vagum. Consequentia patet, & antecedens probatur, quia repugnat ei communicabilitas, & diuisio in plura multo magis quam naturæ

angelicę, siquidem ex suo intrinseco conceptu indiuiduum est prædicabile solum de vno. ergo.

℞. Negando antecedens: ad prob. dico quod indiuiduo signato & determinato repugnat communicabilitas, non tamen indiuiduo vago, & in communi accepto; sicut ly, Petrus, vel hic homo non possunt pluribus communicari, quia sunt indiuidua determinata: at verò aliquis homo, potest concipi vt communicabilis pluribus, licet non vniuersalis; & ita non est subiectum cui repugnat talis communicatio.

Arg. 2. Contra 2. concl. Hoc complexum, aliquis homo, est species; ergo non est indiuiduum vagum. Consequentia patet, & antecedens probatur; prędicatur in quid de pluribus differentibus numero, nempè de Petro, & Paulo, vt per se patet. ergo.

℞. Negando antecedens; ad cuius

etius prob. negatur etiam antecedens; ille enim terminus, aliquis homo, non prædicatur de Pet. & Paul. in qui d, sed in quale: quærenti etenim, quid est Petrus; dicimus quod est homo: & rursus quærenti, qualis homo? dicimus quod est aliquis homo; idest, homo particularis; de ratione autem speciei est quod prædicetur in quid & sic tale complexum non est species.

R. 2. Negando etiam antecedens; ad cuius prob. transeat antecedens; ad cuius prob. transeat antecedens, & negatur consequentia: licet enim tale complexum prædicaretur de pluribus numero differentibus in quid; tamen adhuc non esset species; quia de ratione speciei est, vt sit quid incomplexum vt supra diximus: vnde sicut excluditur definitio alicuius naturæ specificæ a ratione speciei, putà animal rationale, quia quid complexum

xum est, sic excluderur Individuum vagum, nempè, aliquis homo.

CONTROVERSIA XXXIII.

Quomodo definiatur differentia, quæ est tertium prædicabile.

NOta 1. Omissis aliis definitionibus differentiæ, quæ parum pro nostro deseruiunt instituto; differentiam quæ est 3. prædicabile ab omnibus logicis cum Porph. hoc modo tradi. Differentia est quæ prędicatur de pluribus differentibus specie in quale quid. In hac autem differentia logicè sumpta, triplex respectus inueniri potest, quæ ad ipsam constituendam concurrunt. Primus est ad genus quod contrahit differentia, & super quod aliquid addit. Secundus ad speciem quam constituit, contrahendo genus, & segregando

spe-

speciē à reliquis, tertius ad inferiora de quibus prędicatur in quale quid, quæ sunt ipsamet inferiora speciei.

Nota 2. Quod differentia est duplex; alia est differentia subalterna, seu interiecta, aut intermedia, quæ vocatur generica, & est illa quę genus subalternum constituit; vt v.g. sensibile quod constituit animal, & corporeum, quod constituit corpus. Alia verò est differentia athoma, seu infima, quę vocatur specifica, & est illa quæ speciem vltimam constituit; vt v.g. rationale, quod constituit hominem.

Dico 1. Differentia subalterna rectè definitur hoc modo. Id quod prędicatur de pluribus, & specie differentibus in qualę quid. Hanc docent concorditèr logici cum Porphyrio, & probatur. Præfata definitio conuenit omni, & soli differentiæ subalternæ; ergo rectè traditur; consequentia patet, & antecedens

cedens probatur,& imprimis quod cõueniat omni subalternæ differẽtiæ,quia omnis differẽtia, eò quod generica, respicit immediatè plura differẽtia specie,& quia differentia est prædicatur in quale, & quia est essentialis prædicatur in quid; ergò omnis differentia subalterna prædicatur de pluribus differentibus specie, in quale quid, vt sensibile de homine,& leone. Quòd etiàm conueniat soli subalternæ differentiæ, indè liquet, quia nulla differentia pretèr genericã, prædicatur de pluribus specie differentibus,licet omnis essentialis differentia prædicetur in quale quid, siue sit athoma, siue subalterna.

Dico 2. Prædictam differentiæ definitionem nullatenùs conuenire differentijs infimis. Hæc statuitur contra Caiet. Sotum, Lisbon. Petron. & plures alios ex recentioribus Thomistis; eam tamen docet

M. Ara-

M. Arauio, Sanchez, Gall. Iauell. Compl. Tol. Maſ. Scotus cum ſequacibus, eſtque communior in Scholis, & probatur 1. differentia eſt rationis relatiuum; ergo ipſius eſſentia non eſt prædicari per non repugnantiam, (vt volunt aduerſarij,) ſed poſitiuè ad ſuum correlatiuum referri; antecedens patet, & conſequentia probatur, quia nullum relatiuum de facto per non repugnantiam refertur, vt conſtat, ſed actu refertur ad ſuum correlatiuum, in quo ipſius conſiſtit eſſentia; ergò differentia vltima, cùm habeat eſſentiam relationis differentię, actu debet ad ſuas ſpecies referri, quæ ſunt correlatiuum ipſius; ſed differentia athoma, nempè rationale, non refertur actu ad plures ſpecies; ergo nec eſt prædicabile de pluribus ſpeciebus; probatur minor, quia tales ſpecies nullatenùs sũt aſſignabiles, vt de ſe patet; ergo.

Probatur 2. Si vltimæ differentiæ,

tiæ, v. g. rationali, quatenus differentia est, conuenit prædicari de pluribus speciebus; ergo rationale, quatenus differentia, est in pluribus speciebus, quia non potest aliquid de alio prædicari, nisi sit in illo; sed rationale non est in pluribus speciebus, quia cùm sit solùm constitutiua vnius, nequit esse in multis, vt per se patet; ergo nec in quantùm differentia est prædicabilis de pluribus speciebus.

Dico 3. Differentia vt sic, quatenus communis subalternæ, & athomæ; hoc modo rectè definitur. differentia est quæ prædicatur de pluribus in quale quid. Hæc, conlusio patet ex dictis, & probatur. Præfata definitio conuenit omnibus differentijs essentialibus; ergo est definitio differentiæ, vt sic; consequentia patet, quia ideo in definitione tradita à Porphyrio, solùm definitur differentia subalterna, quia solùm conuenit differentijs sub-

ſubalternis; vndè ſi iſta conuenit omnibus differentijs,tàm athomis, quàm ſubalternis, in illa definitur ratio differentiæ vt ſic. Antecedens verò probatur; omnis differentia prædicatur de pluribus,quia vniuerſalis; & rurſus omnis differentia eſſentialis prędicatur in quale quid, quià proprius modus intrinſecus, eſſentialis differentiæ, eſt prædicari in quale,& differentię eſſentialis, in quale quid; ergò.

Atg. 1. contra 1. concl. Omnis bona definitio debet cōuenire omnibus contentis ſub definito; ſed præfata definitio hoc non habet;ergo. probatur minor,quia non conuenit differentijs athomis, vt patet, ergo.

℞. Negando minorem: ad prob. dico differentias athomas non contineri ſub differentia ſubalterna;definitum autem talis definitionis ſola eſt differentia ſubalterna, & indè eſt,quod licet differentijs athomis

præfa-

præfata diffinitio non conueniat, non tamen ex hoc sequitur, quòd non conueniat omnibus contentis sub diffinito; cum optimè conueniat omnibus differentijs subalternis sub diffinito contentis.

Arg. 2. coutra eandem, nulla res potest prædicari in quale,& in quid; ergo malè definitur differentia, per prædicari in quale quid. consequẽtia patet; & antecedens probatur, nulla res potest esse simul essentialis, & accidentalis respectu vnius,& eiusdem rei;sed quod prædicatur in quale,est accidentale;quia prædicari in quale, est prædicari accidentalitèr; quod autem prædicatur in quid,est essentiale;ergo nulla res potest prædicari simul in quid,.& in quale; & sic differentia non benè definitur per prædicari in quale, & in quid.

℞. Negãdo antecede ns ad prob. dico,quod si loquamur de qualitate accidentali, sic prædcari in quale,

le,est prædicari essentialiter; vndè potest conuenire eidem rei prędicari in quale quid, quomodo conuenit differentiæ essentiali, siue subalternæ, siue athomæ: sic ergo in definitione diffetentiæ; cùm dicitur prædicari in quale quid; dicitur quidem prædicari in quale, quia prædicatur per modum actualitatis], & formę determinantis, hoc enim pertinet ad modum qualificationis: dicitur autem in quid, id est, essentialiter seu quidditatiuè; vndè quale quid, vtrumque designat, ex parte rei significatę, raitonem essentialem, & quidditatiuam; & ex parte modi, quod substantiuè, & non adiectiuè se habeat.

Arg.3. contra 2 concl. differentiæ athomę in quantùm differentia est, non repugnat prædicari de pluribus differentibus specie in quale quid: ergo adducta definitio conuenit illi in quantum differentia est, per non repugnantiam: consequen-

tia patet, & antecedens probatur; quia si repugnaret in quantum differentia est predicari taliter, ergo omni differentiæ in quantum tali repugnaret; & sic nulli competeret, sed hoc patet esse falsum in subalterna. ergo.

℞. Negando antecedens: si enim differentia athoma, in quantum differentia est, accipiatur sic, vt sumatur ratio differentiæ coniūcta athomæ differentiæ rationi, repugnat prædicabilitas de pluribus specie differentibus illi rationi. Sicut rationi hominis coniunctę indiuidualibus cōditionib. repugnat prędicabilitas de pluribus. Si verò sumatur ratio differentiæ abstracta à ratione contrahente, & determinante illam rationem differentiæ athomæ, sic non repugnat illi prædicari de pluribus specie differentibus; sed nec hoc actu includit in sua ratione, sicut nec animal includit rationale in sua ratione

ne communi, quamuis hoc illi non repugnet: vndè nō sequitur, quod sit definitio, & ratio differentiæ in communi, sicut nec rationale est ratio animalis in communi.

Arg. 4. Contra eandem. Plures sunt definitiones, quæ necessariò explicandæ sunt per non repugnantiam; ergo definitio differentiæ adducta sic pariter explicari poterit. Probatur antecedens: quia definitio quanti; nempè quantum est, quod est diuisibile in ea quę insunt. licet positiuè conueniat pluribus rebus, vt lapidi, & ligno; alijs tamen conuenit negatiuè solùm, & per non repugnantiam rationi communi, vt cælo, quod quidem quatenus tale est diuidi nequit, cum sit corruptibile; ac proinde conuenit illi definitio quanti ex eo solum, quod quatenus quātum est non repugnat illi diuisio. ergo.

℞. Negando antecedens: ad

cuius

cuius prob. dico, quod quanto, secundùm quod tale est positiuè conuenit diuisibilitas; & sic omne quantum prout sic est positiuè diuisibile. Quod autem diuisio ipsa sit quasi impedita, nec possit exerceri in cælo, non prouenit ratione quantitatis, sed ratione subiecti in quo est.

CONTROVERSIA XXXIV.

Vtrum benè, differentia diuidatur in communem, propriam, & proprijssimam.

NOta 1. Quod differentia in communi sumpta, nil aliud esse videtur, quàm forma faciens differre: In quacunq; autem simili forma nascitur duplex respectus, seu ordo nempe ad subiectum seu rem, quam facit differre, & ad terminum seu extrema, à quibus facit differre. Est enim differentia quasi segregatio, & separatio quædam, & ita habet

habet subiectum quod segregat, & terminum à quo separat. Et necessariò debet intelligi in ipsa ratione differentiæ relatio aliqua, sicut in ratione conuenientiæ, quæ est eius oppositum, intelligitur relatio aliqua respectu terminorum conuenientium, & similium. Respectus ergo differentiæ ad subiecta, quibus conuenit constituit differentiam prædicabilem de illis, & sic conducit ad differentiam logicè seu prædicabilitèr acceptam. Respectus verò differentiæ ad ea, à quibus differt, coustituit rationem differentiæ quantum ad officiũ segregandi, & separandi ab alio, quod pertinet ad quidditatem differentiæ metaphysicè consideratam, seu communitèr dictam.

Nota 2. Quod cùm differentia sit forma faciens differre; Aliud est differre, aliud diuersum esse; & aliud diuersitas, aliud differentia. Ea enim dicuntur diuersa, quæ non per aliud superadditum, sed se ipsis dif.

differunt, ſicut ea quæ ſunt primò diuerſa; ea autem dicuntur differre, quæ per aliud ſuperadditum differunt ab alio, & ita non ſe totis differunt, ſed conueniunt in aliquo, & differũt in alio. Vndè omnis differentia ſupponit aliquam conuenientiam, & quæ nullam conuenientiam habent, ſunt primò diuerſa: & ſic dicuntur eſſe primò diuerſa genera generaliſſima, ſeu prædicamenta, & ipſæ differentiæ quæ propriè non differunt, ſed ſunt rationes differendi, & ſe ipſis differunt ſine aliquo ſuperiori vniuoco, in quo conueniant.

Nota 3. Quod differentia communis eſt accidens ſeparabile, per quod vnum ab alio, velà ſe aliqualitèr differt, vt Petrus ſedens à non ſedente differt per ſeſſionem; & vocatur differentia communis, quia vtriq; extremorum differentium, poteſt cõpetere. Differentia propria eſt accidens inſeparabile, vt ingredo in coruo, quæ nunquam à ſubiecto ſeparabitur

rabitur, dum ipsum fuerit. Differentia deniq; proprijssima est, quæ vnum ab alio essentialitèr differt, vt rationale per quod homo differt à leone; & hæc vocatur differentia propriissima, quia per illam differunt res in eo, quod sibi est propriissimum, nimirùm in essentia.

Dico, diuisionem differentiæ in communem, propriam, & propriissimam optimam, & adæquatum esse. Hæc est concors scholarum sensus, & probatur. Quicquid verè differt ab alio, vel differt secundùm essentiam, vel secundùm accidentia: si primum, erit differentia propriissima, seu essẽtialis. Si secundum vel est accidens proprium, & sic erit differentia propria: vel est accidens commune, & sic erit differentia communis: ergo prædicta diuisio est adæquata.

Arg. 1. Differentia indiuidualis est vera differentia, vt patet. Sed nulla est ex enumeratis: ergo inadæquata diuisio. Probatur minor; quia

non est proprijssima, cùm nòn faciat differre essentialitèr: neq; est pròpria, aut communis; siquidem Pet. & Paulus inter se, nõ accidentalitèr tantũ, sed substantialitèr distinguntur: ergo.

℞. Distinguo minorem; nulla est ex enumeratis formalitèr & directè, concedo minorem; indirectè, & reductiuè, negatur minor. Licet enim in prædicta diuisione solùm diuidatur differentia, quæ aliquo modo potest pertinere ad hoc. 3. prædicabile, quæ scilicet potest subire intentionem vniuersalis, & prædicabilis; quod non habet differentia indiuidualis, vt patet. Et ideo, propriè, & per se, neq; continetur sub diuiso, neq; sub aliquo membrorum diuidentium. Potest tamen aliquo modo reduci ad differentiam proprissimam ex ea parte qua facit differre substantialitèr, & sumitur radicalitèr ab vna parte substantiæ, in quo assimilatur differentiæ proprissimæ: licet ex qua parte, sumitur etiam à quantitate; interdũ

talis

talis differentia appellatur accidentalis; & prout sic reducitur quodammodò ad communem; quia quantitas est commune accidens.

Arg. 2. Omnis bona diuisio debet tradi per duo membra; sed præfata traditur per tria; ergo. Probatur maior, quia lex est bonæ diuisionis vt & sic tradatur, quia contrarietas tantũ est inter duo extrema, nam vnũ vni tantum est contrarium, ergo.

℞. Negando maiorem; diuisio enim illa boni in honestum, vtile, & delectabile, recta est, & ab omnibus admissa, quæ tamen per tria membra traditur. Et ad probationem maioris dico, quod quando dicitur, vnum vni tantùm esse contrarium; hoc intelligendum esse in verè contrarijs, vt sunt patibiles qualitates; nam vni candori, vnus atior; & vni calori vna frigiditas contrariatur: at in his, quæ sunt diuersa, & quæ non sunt verè contraria, non debet intelligi. Vni siquidem speciei omnes

aliæ, quæ in eodem genere, continentur contrariantur; atq; ita cum hæ tres differentiæ non sint contrariæ vera contrarietate, optimè vni poterunt aliæ duæ aduersari.

Arg. 3. Animal est differentia, per quam homo secernitur ab arbore; sed nulla est ex præfatis; quia animal non est differentia, sed genus; ergo non erit adæquata diuisio, cum aliquid contineatur sub diuiso, quod non continetur sub membris diuidentibus.

℞. Negando maiorem; animal enim ratione sui non secernit hominem ab arbore, sed ratione sentientis, ac proinde non erit differentia, quia differentia debet esse illa, quæ ratione sui, & non alterius, rem vnam ab altera distinguat.

CON-

CONTROVERSIA XXXV.

Vtrum differentia dicatur vniuersalis respectu suæ speciei, an respectu inferiorum talis speciei.

Nota 1. Quod cùm differentia conuertatur cum specie, quã constituit, & mediante ipsa de indiuiduis prædicetur; species autem sit vniuersalis, & ex hoc ipso, quod differentia dicitur de specie æqualiter, & ad conuertentiam; inde oportere quod differentia sit vniuersalis, sicut ipsa species; difficultas tamen est, an ex hoc formaliter quod respiciat speciem, vniuersalis sit, an verò ex formali respectu, quo respicit indiuidua talis speciei.

Nota 2. ex parte etiam inferiorum differentiæ, posse esse difficultatem, quæ sint directè, & per se,

inferiora differentiæ; quędam enim sũt inferiora quasi immediata ipsius differẽtiæ & alia sunt inferiora immediata ipsius speciei & mediata sunt etiã inferiora differentiæ: v. g. rationale & poteſt prædicari de Petro, & Pau. tanquam de inferiorib. hominis; & poteſt prædicari de hoc & illo rationali, tanquã de inferiorib. sibi immediatè. Quærimus ergò respectu quorum inferiorũ cõſtituatur differentia in ratione tertii prædic.

Dico 1. differentia non habet rationem vniuersalis logici formaliter per respectum ad speciem, sed ad inferiora speciei; hæc ſtatuitur contra Caiet. Sot.; Tol. & alios. Colligitur tamen ex D. Th. 2. poſt. lec. 13. cui subscribit noſter Lisbon. Sanchez, Iauel. Onna, & alii, & probatur 1. formalitas vniuersalitatis sumitur per ordinem ad suum correlatiuum, vniuersalis correlatiuum autem formaliter sunt inferiora, nã vniuersale se habet vt superius

perius ad multa, & vt contrahibile ad inferiora: sed constat quod differentia respectu speciei non est superior, neque contrahibilis ab ipsa, cùm sit illi æqualis; benè tamen respectu inferiorum speciei; vt rationale, v.g. non est superius ad hominem; sed ad Pet, ergo non potest differentia formaliter habere vniuersalitatem respectu speciei, sed respectu inferiorum speciei.

Conf. Illud est vniuersale, & superius respectu alicuius, quod quãdo illi communicatur, contrahitur ab illo; illud autem contrahitur ab aliquo, quod per contractionem amittit vniuersalitatẽ, & abstractionem. Sed differentia per hoc quod communicetur speciei non redditur singularis neque amittit vniuersalitatem, sed potius conseruat eam, ergo respectu illius non est contrahibilis, neque superior. Vndè non potest dici, quod prædicetur de specie tanquam vniuersale

logicum, quia non prædicatur tanquã quid superius de illa sed tãquã æquale de æquali. Quare ista æqualitas supponit vniuersalitatem concomitanter, non formaliter illam constituit, sicut ex hoc quod aliquis sit æqualis regi, formaliter nõ dicitur rex, sed ex hoc quod habet regnum, & imperat aliis, ratione cuius æqualis est regi.

Probatur 2. Natura quam vniuersale importat, debet reperiri partita, & diuisa in inferioribus; sed species respectu differentiæ, non dicit naturam differentiæ partitam, ac diuisam; reperitur verò partita ac diuisa in inferioribus speciei, vt per se patet; ergo respectu illorum est vniuersalis, & non respectu speciei.

Probatur 3. Vt differentia sit vniuersalis, requiritur abstractio vniuersalis; sed abstractio qua differentia rationale v.g. abstrahit ab homine non est vniuersalis, bene tamen

tamen qua abstrait a Petro ; ergo go nec differentia per ordinem ad speciem erit vniuersalis. maior patet, at minor probatur; quia est abstractio formalis solùm, cum solum abstrahatur vt forma, & non vt totum quoddam à sua parte subiectiua ; ergo.

Conf. Cum abstrahitur rationale ab homine, non abstrahitur vt à pluribus, quia ibi non extant plura, cum ibi non sint principia determinantia naturam rationalem ad pluralitatem ; ergo solùm abstrahitur vt forma, & non vt totum vniuersale.

Dico 2. differentia non respicit pro inferioribus tertij prædicabilis hanc & illam differentiam, v.g. rationale, hoc, & illud rationale, sed inferiora contenta sub specie, v.g. Petrum, & Paulum contentos sub homine. Probatur conclusio: Prędicabilitas tertij prædicabilis est in quale quid; ergo solum illa sunt

constituenda vt eius inferiora, respectu quorum differentia se habet in quale, & prędicari potest in quale: sed respectu huius, & illius differentiæ, non se habet in quale, sed benè respectu indiuiduorum speciei; quando enim dico, hoc rationale est rationale, non est prædicatio in quale, quia non prædicatur de hoc rationali aliqua differentia eius, sed tota & integra eius natura, qualiscunque illa sit, completa, vel incompleta, ergo non qualitatem prædicat de illa, sed quidditatem, licet non sit per se genus, aut species, quia non contrahitur per alias differentias, alioquin esset processus in infinitum. Respectu autem inferiorum suæ speciei quam constituit, prædicatur in quale, quia prædicatur vt ratio qualificans naturam eorum; ergo illa sunt inferiora differentiæ, vt est. 3. prædicabile.

Arg.

Arg. 1. contra 1. concl. differentia vt 3. prædicabile eadem relationi seu intentione respicit speciē, & indiuidua, sed ista relatio vt tangit indiuidua est vniuersalis, ergo etiam vt tangit speciem; minor patet ex dictis, & maior probatur. Tum quia respiciendo speciem, respicit omnia sub ea contenta; quicquid enim vniuersaliter dicitur de aliquo, & adæquatè, dicitur de omni contento sub illo. Tum etiam, quia differentiæ sub eodem conceptu, & prædicatione prædicãtur de specie, & de indiuiduis; ergo sub eadem intentione, & relatione.

Conf. Differentia prædicatur de specie vt æqualis, & ad conuertentiam cum illa; ergo vt vniuersalis; antecedens patet, & consequentia probatur, quia species non potest ęquari nisi ab vniuersali, cum in se vniuersalis sit, ergo.

℞. Ad argumentum, distinguo antecedens: si sumatut relatio differen-

ferentiæ pro relatione constitutiui ad speciem vt constitutam, sic eadem relatione respicit speciem & indiuidua, concedo antecedens; quia non aliud constituit in indiuiduis, quàm in specie, scilicet naturam. Si verò sumatur relatio differentiæ pro relatione vniuersalis, & prædicabilis, formalitèr & logicè; nego antecedens; sic enim diuersa relatione respicit indiuidua, & speciem; quia indiuidua respicit, vt superior & speciem respicit vt æqualis. & ad prob. antecedentis dico, quòd respiciendo speciem, respiciuntur etiam indiuidua, sub ratione quidem constituentis eadem relatione; sub ratione verò superioritatis & æqualitatis, diuersa; licet vna connexionem habeat cum alia: & sic prædicatio de indiuiduis est vniuersalis, de specie verò non.

Ad conf. negatur consequentia; hoc enim ipso quod differentia est

æqua-

æqualis ad speciem, non potest esse vniuersalis respectu speciei, cui est æqualis; benè tamen respectu inferiorum speciei, quibus æqualis non est, sed superior.

Arg. 2. contra eandem. Hęc prædicatio, homo est rationalis, est prædicatio tertij prædicabilis: ergo respectu hominis datur vniuersalitas, tertij prędicabilis, sicut datur prædicabilitas: homo autèm non concipitur ibi vt indiuiduum, sed vt species. Antecedens verò constat, quia illa prædicatio non potest pertinere ad aliud prædicabile quam ad 3. ergo.

Conf. Tertium prædicabile habet pro immediato correlatiuo speciem, & mediante illa respicit indiuiduum sub ea contentum; ergo magis dicitur vniuersale per ordinem ad speciem, quam per ordinẽ ad indiuidua; consequentià patet, quia relatiò magis denominatur per ordinem ad immediatum correlatiuum,

tiuum, quàm in ordine ad mediatum. Antecedens vero probatur; quia 3. prædicabile formalitèr in quantum tale respicit suum correlatiuum quale; sed non immediatè qualificat indiuidua, sed naturam indiuiduorum, quæ est species, aliàs non esset qualitas essentialis, si immediatè non qualificaret essentiã; ergo est immediatum correlatiuum eius ipsa species, seu essentia constituta; probatur hæc consequentia; quia illud est immediatum correlatiuum, quod est immediatè constitutum, & qualificatum à differentia. ergo.

℞. Ad argumentum distinguendo antecedens; illa prędicatio est tertij prædicabilis, quasi materialitèr, & metaphysicè, concedo antecedens: formalitèr, & logicè, negatur; prædicatur enim de homine illa res, quæ est 3. prædicabile, non tamen sub formalitate, & relatione tertij prædicabilis, seu tertij vniuer-

uersalis;& sic est magis tertium prædicatum, quàm tertium prædicabilè licet concomitanter ibi retineat vniuersalitatem tertij prędicabilis, quam exercet, non respectu speciei, sed respectu indiuiduorum; sicut genus cum prędicatur de indiuiduo, vt Pet. est animal, ibi retinet rationem generis, licet non per ordinem ad illud sit genus, sed per ordinem ad speciem.

Ad confir, negatur antecedens: ad cuius prob. dico, quod species est immediatum constitutum per differentiam, & in ratione constitutiui respicit illam immediatè per modum differentiæ metaphysicæ, non in ratione vniuersalis, & differentię logicæ; sic enim immediatũ correlatiuum eius sunt inferiora, sed quia respicit illa secundùm prędicabilitatẽ in quale, oportet quod supponatur ordo ad ipsam naturam specificam, vt constitutam tali modo per differentiã, quod fundet prędica-

dica

dicabilitatem in quale.

Arg. tertiò, contra 2. concl. vniuersale est correlatiuum particularis; ergo vnumquodque vniuersale habet proprium particulare; sed propriũ particulare rationalis non est homo, aut Petrus; cum hæc sint correlatiua generis, & speciei; ergo proprium particulare rationalis, est hoc aut illud rationale, ac proinde respectu horùm constituetur in esse vniuersalis, non verò respectu speciei, & indiuiduorum.

℞. Negando minorem subsumptam, quoad secundam partem, quod scilicet Pet. non sit proprium particulare rationalis in ratione differentię; licet enim sit proprium particulare speciei, hoc non obstat; quia eadem res. v. g. Petrus, vt relatione subijcibilis respicit totam essentiam, est proprium particulare speciei: vt verò alia relatione subijcibilis respicit constitutiuum suessentiæ, est proprium particulare diffe-

differentiæ; vt denique alia relatione respicit naturam quandam profluentem à sua essentia, est particulare proprij, & sic de aliis: Quo fit vt diuersa vniuersalia petant diuersa particularia, non materialiter, & in esse rei, sed formalitèr, & in esse subijcibilis.

CONTROVERSIA XXXVI.

Vtrum differentia infima includat subalternas?

NOta, difficultatis sensum formalem esse, & procedere de differentia secundùm perfectionem illam, seu gradum quem formalitèr significat: quia in sensu materiali, & identico non est dubium differentiam infimam includere subalternas, & ipsa genera, cum quibus realitèr identificatur. Controuertitur ergo, an rationale v.g. formalitèr, prout significat perfectionem

nem illam, seu gradum per quem homo distinguitur ab alijs animalibus, & ratione cuius homo excedit animal, ita sit conceptus simplex, vt non solum non sit aggregatum differentiarum; sed neque etiam includat in sua ratione formali aliquam differentiam subalternam; ex qua, & propria ratione intelligatur componi, ad eum modum quo species componitur ex genere, & differentia. Cùm hac autem difficultate coincidunt aliæ, nempè: an differentia subalterna per se prędicetur de infima; an genus includatur in differentijs vltimis; & an genus prædicetur de differentijs per quas diuiditur. Quarum omnium eadem est solutio, vt intuenti patet.

Dico, differentias infimas non includere subalternas, & consequẽter neque genera; sed esse conceptus simplices; ac proinde de illis neque genus, neque differentias superio-

periores posse formaliter, & per se prædicari. hæcq; statuitur contra Nominales, eam tamen docet Lisbon. Cauero. Cap. Flan. Iau. Tol. Ferr. Sanchez, Mas. Ruu. Scotus, & alij, desumitur ex D. Th. 3. metaph. text. 10. lect. 8. & 1. contra gentes, cap. 17. estque communis in Scholis, & probatur; 1. differentiæ sunt omnino diuersæ, id est, se totis differunt, quod est in nullo conuenire; ergo non includunt in se genera, neque differentias superiores. Consequentia patet; quia si illa includerent, conuenient in eis, vt patet. Antecedens verò, (quod est Arist. & D. Th.) probatur; quia si non sunt omnino diuersę; ergo differũt alijs differentijs; & sic vel dabitur processus in infinitum, quod est absurdum; vel peruenietur ad aliquas omnino diuersas, seu quæ se totis differant, & in nullo conueniant, quod intendimus.

Probatur 2. Quia genus & differen-

ferentia formalitèr sumpta, comparantur vt actus, & potentia, seu vt contrahibile, & contractiuum, suntque partes in compositione metaphysica; sed extra rationē potentiæ, seu contrahibilis est actus, seu contractiuum, & econtra: & generaliter quælibet pars in quacunque compositione prescindit ab alia, & excludit eā. ergo extra rationem generis est differētia, & econtra; & ab inuicem excluduntur.

Arg. 2. Si differentia vltima non includit superiorem, sequitur differentiam vltimam esse differentiam supremam; sed consequens falsum. ergo. sequela probatur, qui a differentia dicitur suprema, quæ non habet aliam supra se, quā includat, sicut dicitur supremum genus, quod non habet supra se aliud genus; differentia autem vltima dicitur, quæ supra se habet aliā quæ subalterna dicitur, imo hac ratione dicitur subalterna, ergo.

℞.

℞. Negando sequelam;ad prob. dico, quod differentia superior illa vocatur, quæ constituit genus magis vniuersale, & pluribus conueniens: non verò ideò vocatur differentia superior, quia includit aliam differentiam, & illi adddit gradum aliquem:

Arg. 2. Rationale includit essentialiter rationem intellectiui; sed hæc est differentia superior cõmunis angelis, & hominibus; ergo iam datur superior differentia; quæ sit de essentia inferioris. maior patet, quia rationale formalitèr est intellectiuum cum discursu, & minor probatur, quia angelica differentia est intellectiuum; ergo iam includitur in differentia hominis.

℞. Negando minorem; ratio enim intellectui prout commune est homini, & angelo, non est differentia superior, alias contraheret aliquod ex generibus commune homi-

homini, & angelo. Intellectiuum autem pro radice intellectiuæ potentiæ (quo modo de eo loquimur) est quidam modus transcendens omnes differentias Angeli, & hominis; & includitur in illis differentijs sicut includitur ratio substantiæ; & hoc modo consequitur ad rationem immaterialis. Si verò loquamur de intellectiuo, pro intellectiua potentia, sic non potest esse differentia, cum sit quid ad essentiam consequutum.

Arg. 3. Differentia specifica inferiora habet aliqua prædicata cõmunia, & superiora v. g. rationale est viuens, & est substantia, &c. ergo aliquid habet sibi commune tanquam genericum, & superius: ergo potest talis differentia generica, seu genus prędicari de differentia inferiori.

Conf. Quia conceptus differentiæ aliquam compositionem admittit, cum aliquid habeat potentiali

tialitatis, vtpotè res creata, solus autem actus purus est omnino simplex; ergo potest resolui in conceptum communem, seu genericum, & specialem, seu differentialem. Ille autem conceptus superior est differentia subalterna, quia differentia inferior habet naturam, & operationem subordinatam differentiæ genericę, v.g. rugibile in leone est quædam operatio sensibilis, & consequenter subordinata sensibili in communi, quod est differentia generica animalis.

℞. Ad arg. Quod illa prædicata superiora conueniunt differentiæ non in formali, & directa linea, sed reductiuè, & secundùm quandam habitudinem, seu connotationem. dicitur enim rationale substantia, vel viuens; non quia in se sit substãtia, vel viuens; sed quia forma à qua sumitur, est principium substantiæ, vel viuentis, vel alterius gradus; non enim forma est id quod est, sed

quo aliquid est, sicut etiam materia, & forma sunt substantiæ, quasi principia substantiæ, seu substantiæ incompletæ. eodem modo differétię sunt quid incompletum in suo prædicamento; & sic non ipsa ratio superior, quæ completa est, prædicatur de illis, nec differentiæ ipsæ genericæ, sed incompleta ratio illius prædicamenti v.g substantia vt abstrahit à completa, & incompleta, quę modo trascendentali includitur in omni eo, quod ad tale prędicamentum pertinet, & reducitur.

Ad Confir. Dico ad antecedens, differentiam non esse compositam ex his, sed compositam huic; quia est pars, seu per modum partis se habet; pars autẽ nõ est simplex sicut actus purus simplicitate perfectionis, sed simplicitate negationis; quia scilicet, non est plenè perfecta: simplicitas autem negationis plus habet potentialitatis, quia est componibilis alteri, à quo perficiatur,

non

non tamen eſt compoſita per reſolutionem in plures conceptus, ex quibus conſtat, niſi fortè analogice, quia ens in omnibus includitur, etiam in differentiis; nec differentia inferior eſt ſubordinata ſuperiori formalitèr, & directè tanquam generi, licet præſupponat illam, ſicut preſupponit genus, quod conſtituitur ex illa. & ſic rugibile eſt ptincipium operationis ſenſibilis præſuppoſitiuè, & materialiter, non formalitèr, & directè; Id eſt, vt ſit rugibile, præſupponitur ſenſibile, ſed non formaliter eſt illud.

CONTROVERSIA XXXVII.

Vtrum differentia athoma, & ſubalterna ſpecie differant in ratione prædicabilis, ſeu vniuerſalis?

Dico I. Differentia infima, & ſubalterna pro notionibus v-

vtriusque sunt eiusdem speciei. hæc est communis, & probatur. Quæ differunt sola materia,& conueniūt forma, non distinguuntur specie, ex Arist.10.metaph.cap.12 sed differentia athoma, & subalterna differunt sola materia, & conueniunt forma, ergo erunt eiusdem speciei;prob. minor. materia differentiarum sunt ea de quibus illæ dicuntur, vel numero, vel specie diuersa; forma vero est prædicari in quale quid; sed differentia infima, & intermedia tantùm differunt,quia intermedia dicitur de multis specie differentibus,infima verò de multis solo numero differentibus; conueniunt autem quia vtraque prędicatur in quale quid. ergo

Dico 2. Differētia,atoma & subalterna nō differunt specie in ratione differentiæ. quæ est 3. prædicabile; nec prædicari de pluribus specie differentibus, vel numero constituit duo prædicabilia differentię.

Hanc

Hanc docet Scot. Bruxel.!& Maurit. estque communis in vtraque Schola Angelica, & subtili, & probatur 1. Tam differentia subalterna, quam infima seruant eundem modum essentialem prædicandi, vtraque enim prædicatur in quale quid, & per modum qualificantis essentialitèr alterum; ergo in ratione predicabilis essentialitèr non differunt, & ita non constituunt duo prędicabilia. Consequentia probatur, quia si specie differrent, diuersum modum prædicandi seruare deberent, vt per se patet. ergo.

Probatur 2. genus supremum, medium, & infimum sunt eiusdem speciei in ratione prędicabilis, etiāsi vnum dicat naturam magis contrahibilem, & determinabilē quàm aliud; quia substantia magis determinabilis est, quam viuens, & viuens quam animal, quia hoc est prorsùs illi accidentale in ratione generis; ergo etiam erunt eiusdem

 spe-

ſpeciei athoma, & ſubalterna differentia; licet ſubalterna non determinet naturam ita completè ſicut infima, quia hoc eſt prorsùs accidentale ad rationem differentiæ.

Confir. Accidentale eſt ad generis rationem, prout eſt primi prædicabilis conſtitutiua eſſe ſubalternam, vel non eſſe; ergo pari ratione erit accidentale ad rationem differentiæ; prout conſtituit 3. prædicabile, eſſe athomam, vel ſubalternam.

Probatur 3. Illud quod accidit rationi differentię proprijſſimę, non poteſt aliud prædicabile conſtituere; ſed prædicari de pluribus numero, vel ſpecie differentibus, eſt huiuſmodi. ergo. maior patet; quia genus non debet determinari ad ſpecies per differentias accidentales. minor verò probatur; nam de ratione differentiæ proprijſſimæ ſolùm eſt prędicari de pluribus in quale eſſentiale, abſtrahēdo ab hoc, quòd

quòd eſt illa plura eſſe, vel numero, vel ſpecie diuerſa. ergo.

Arg. 1. contra 2. concl. prædicari de pluribus differentibus ſpecie in quid, & de pluribus differentibus numero in quid conſtituit duas ſpecies prędicabilium, putà genus, & ſpeciem: ergo prædicari de pluribus numero & ſpecie in quale, etiã conſtituet duas ſpecies differentiæ; & ſic different ſpecie differentia ſubalterna, & athoma.

℞. Negando conſequentiam; diſpar enim eſt ratio; nam genus, & ſpecies non differunt ſpecie, quia de pluribus differentibus ſpecie, vel numero prædicãtur; ſed quia ſupponunt aliquid, in quo differunt; nimirum quia dicit ſpecies totam indiuiduorum eſſentiam formalem in actu, & genus non item, ſed partem eſſentiæ; & ita prædicari in quid de pluribus differentibus numero, dicendo totam indiuiduorum eſſentiam formalem

in actu, & specificam; specie differt à prædicari de pluribus specie differentibus, dicendo partem essentiæ specificæ, qualitèr prædicatur genus. In differentijs autem subalterna, & athoma vnus est prędicandi modus.

Arg. 2. contra eandem. Accidens quarti, & quinti prędicabilis specie differunt ex eo solùm, quod vnum oriatur à principijs essentialibus, aliud ab extrinseco, etiamsi vtrique conueniat prædicari de pluribus in quale accidentale, & illa diuersitas solùm causat hanc diuersitatem specificam; ergo diuersitas quæ est in differentia athoma, & subalterna in modo actuandi speciem, quam constituunt, scilicet relinquendo in illa potentialitatem, vt vlterius formalitèr contrahatur, vel non contrahatur, sufficiet ad diuersificādam speciem differentiæ; maximè cùm non conueniāt in prædicabilitate; quia vna de pluribus speciebus,

bus, & alia de pluribus indiuiduis ſolùm prædicatur.

℞. Ad antecedens dicendo, quod accidens ex eo quod dimanat ab eſſentia rei, habet cum illa connexionem maiorem, & ita diuerſimodè prædicatur de indiuiduis ſpecierũ, quàm accidens non dimanans à rerum eſſentijs, nam hac de cauſa, alio modo prædicari debet; & ita, cùm ſit diuerſa connexio cum ſubiectis, de quibus prædicatur, eſt diuerſus prędicandi modus, & ſic diuerſum prædicabile conſtituitur; ſecùs autem de differentia athoma, & ſubalterna dicendũ, quibus vnus eſt prędicandi modus, vt iam diximus; vndè negamus conſequentiam.

Arg. 3. Contra eandem, ea quæ ſub vno genere tantum accidentaliter differunt, ſub alio eſſentialiter differre debent; ſed differentia athoma, & ſubalterna, quæ accidentaliter in ratione differentiæ

differunt, ſub alio genere eſſentialiter, tanquam duæ ſpecies different: ſed hoc genus non poteſt eſſe aliud, niſi vniuerſale, vel prædicabile; ergo differentia athoma, & ſubalterna ſub ratione vniuerſalis eſſentialiter differunt.

℞. Diſtinguendo maiorem: ſi ſint ſpecies completæ, & perfectę, concedo maiorem; ſi incompletæ, & imperfectæ, & veluti tanquam duo modi, tunc eſſentialiter differunt, negò maiorem. Explicatur hoc; quia patet ſpecies completas, & perfectas ſub aliquo genere, differre ſpecie eſſentialiter, vt v.g. ſunt homo & leo. Cæterum ea quæ diſtinguntur tanquam duo modi eſſentialiter diſtincti, non eſt neceſſe vt ſub aliquo genere, ſpecie eſſentialiter diſtinguantur, quinimo ad eandem ſpeciem aliquando pertinent: vt v. g. ſubſiſtentia & exiſtentia humana eſſentiali definitione diſtinguntur; tamen vtraque

ad

ad eandem pertinent humanam speciem; quia distinguntur non tanquam duæ species completæ, & perfectæ, sed tanquam duo modi substantiæ, essentialiter distincti.

CONTROVERSIA XXXVIII.

Vtrum qualibet differentia sit perfectior genere?

DICO; omnẽ differentiam esse suo genere perfectiorem, ad modum quo actus est perfectior potentia; ac proinde nullam dari differentiam, quę non addat generi aliquam perfectionem: hæc statuitur contra Onnam, & alios modernos. est tamen Arist. 8. metaph. tex. 10. D. T. 1. p. q. 50. a. 4. ad 1. quos sequuntur communiter dialectici, & probatur. Quia omne genus est perfectibile vlteriori perfectione, ergo omnis differentia addit aliquã perfectionem supra genus. Antece-

dens constat ex definitione generis quia in hoc distinguitur à specie. Consequentia verò probatur, quia illa vlterior perfectio, ad quam genus est in potentia, est differentia; sed in quacunque specie actuatur, & perficitur potentialitas generis; siquidem non datur species, quæ non sit totum actuale vltimò in essentia perfectum, & constitutum; ergo in quacunque specie differentia addit aliquam perfectionem supra genus.

Conf. Quia omnis actus, aut forma est nobilior potentia, seu materia, secundum quod talis est; eiq; necessariò tribuit aliquam perfectionem, seu effectum formalem; sed omnis differentia habet rationem actus, seu formę, respectu generis: ergo omnis differentia est nobilior genere; eique tribuit aliquam perfectionem.

Arg. 1. Genus perfectius est differentia in modo prædicandi; ergo

in

in modo essendi genus excedet perfectione differentiam. Consequentia patet, quia modus prædicandi sequitur modum essendi, & in illo fundatur. Antecedens verò probatur; quia differentia prædicatur in quale, & per modum alteri adiacentis; genus prædicatur in quid, & per modum per se stantis, qui est perfectior prædicandi modus; sicut est perfectius per se stare, quam alteri adiacere, ergo.

℞. Distinguo antecedens; secundum quid, concedo antecedens, simpliciter, negatur antecedens: genus enim secundùm aliquam rationem est perfectius differentia, hoc est, quatenus est quoddam totum constitutum in recta linea prędicamentali, & differentia consideratur vt constituta ad latus; cæterum absolutè loquendo differentia est perfectior; & sic modus prędicandi in quid, pro quanto dicit quoddam totum constitutum in recta

recta linea est perfectior modo prędicandi in quale ipsius differentiæ, secundùm quod est quid ad latus constitutum. Quia tamen prædicatur genus vt quid determinabile per differentias formales, & differentia vt formale determinatiuum; hinc fit quod differentia sit genere perfectior hac ratione; & sic perfectiori modo esse habet; vnde negamus consequentiam.

Arg. 2. Communicabilitas dicit maximam perfectionem, vnde quanto aliquid èst magis bonum, tanto magis est communicabile, & diffusiuum sui; sed genus communicatur pluribus, et per varias differentias se diffunit; differentia vero non communicatur, nisi vni genericæ naturę quam contrahit, et vni speciei quam constituit; ergo genus perfectius est, quam differentia.

℞. Distinguo maiorem; communicabilitas effectiua, & actualis, seu

for-

formalis; concedo maiorem; communicabilitas materialis, seu potentialis, negatur maior; communicabilitas autem generis potentialis est, quarè potius imperfectionem arguit; vt patet in materia prima quę pluribus communicatur suppositis, & imperfectior est illis, quæ sunt incommunicabilia.

Arg. 3. Differentiæ quæ non eleuant genus ad altiorem gradum, significant perfectionem ipsam generis magis contractam, & limitatam; ergo illæ non addunt generi perfectionem, sed potius auferunt. probatur consequentia; quia coarctatio, seu limitatio intra idem genus attestatur imperfectionem rei limitatæ; siquidem tollit illi aliquid talis generis, & non addit alterius gradus perfectionem; ergo.

℞. Negando consequentiam; ad prob. dico, quod illimitatio in genere causæ materialis potius est imperfectio; quia causatur ex priuatio-

uatione perfectionis, scilicet formę, & actus; & ideo materia prima inter omnia entia imperfectissimum est; quià secundum se est omnino illimitata in genere causæ materialis, cum sit pura potentia. Idemque proportionaliter in genere contingit, quod hoc modo, quid illimitatum est, ex eo quod non habet in se actu perfectiones, quas tribuunt illi differentiæ.

CONTROVERSIA XXXIX.

Quomodo definitur proprium, quod est quartum prædicabile?

NOta, proprium quadrupliciter sumi posse. primò dicitur proprium quod conuenit soli speciei, sed non omni eius indiuiduo, vt esse musicum homini 2. quod econtra, conuenit omni indiuiduo, sed non soli speciei, sicut homini conuenit esse bipedem 3. quod

quod conuenit soli speciei, & omni indiuiduo, sed non semper, vt homini in senectute canescere. 4. quod est maximè proprium, quod soli speciei, omni indiuiduo, & semper conuenit, vt hominem esse risibilem & est maximè proprium; quia plenè conuertitur cum suo subiecto.

Dico 1. Si exactè definiatur quartum prædicabile, ita erit definiendũ. Proprium est vniuersale, quod prædicatur de pluribus in quale accidentalitèr necessariò: Hæc est communis in scholis, & probatur eam explicando. Per illam particulam vniuersale discernitur à propriò, quod est quartum prædicatum. Per particulam in quale accidentale, discernitur à differentia, quæ prædicatur in quale essentiale. Item distinguitur à genere & specie, quæ in quid prædicantur. Per illam deniq; particulam, necessariò, secernitur à quinto prædicabili, quod omninò accidenta-

dentaliter prædicatur, vt dicemus infrà, ergò &c.

Dico 2. ista definitio. Proprium est quod conuenit omni, soli, & semper; est etiam definitio proprij, ea ratione qua est 4. prædicabile, hæc statuitur contra M. Petron; eam tamen docet Sanchez, Complut. Et communitèr scholæ; & probatur. Nam illa particula Quod conuenit, benè explicat prædicationem; nil enim aliud significat. Illa verò particula distributiua (omni,) non distribuit istum terminum, species; ita vt faciat hunc sensum; conuenit omni speciei; quia licet species sit terminus communis, verùm non datur proprietas aliqua realis speciei in communi, quæ omni speciei in particulari conueniat. Vndè relinquitur quod faciat istum sensum: proprium est, quod conuenit omni, scilicet indiuiduo speciei, & soli indiuiduo, & semper indiuiduo; & ita datur proprij definitio in ordine ad inferiora;

ergo

ergo rectè definitur proprium, etiã in ratione quarti prædicabilis, præfato modo.

Arg. 1. contra 1. concl. In definitione proprij, vel intelligitur; respectu speciei, vel indiuiduorum; sed neutrũ dici potest, ergo. Probatur minor; non respectu speciei; quia respectu illius proprium non est vniuersale, aut superius, vt iam diximus; Nec etiam respectu indiuiduorum, præfata definitio proprio conuenit; quia proprium prædicatur conuersim; sed hoc non conuenit illi respectu indiuiduorum, cum sit superius ad quodlibet illorum, ergo.

℞. Negando minorem; ad prob. dico, proprium esse vniuersale respectu indiuiduorum: quorum respectu non prædicatur conuertibilitèr: Cum verò dicitur de proprio, quòd conuersim prædicetur; id intelligi debet respectu speciei; cuius tamen respectu, non est 4. prædicabile, sed est 4. prædicatum, & quid non vniuersale.

Arg.

Arg.2.contra 2.concl.Illa particula semper, non conuenit omnibus proprijs passionibus, ergo malè ponitur; antecedens probatur; quia Deus potest separare propriam passionem à subiecto, sicut quantitatem à corpore in eucharistia; vel sine illa subiectum conseruare, vt solem sine luce, ergo.

℞. Negando antecedens; ad prob. dico, reales passiones separari posse à subiecto, licet modales, quę consistunt in solo modo, aut quæ admiscent priuationem aliquam, vel negationem, non possint separatæ existere, quia non distinguntur realitèr à subiecto. Quia ergò solùm reales separari possunt, dicimus quod in definitione proprij, quod conuenit semper; ly conuenit, non dicitur existere, vel adesse subiecto; sed ly conuenit, est idem quod debetur, seu conuectitur, & postulatur à subiecto, licet non semper actu existat in eo. Quam conuenientiam in

in hoc aſſignamus, quod non poteſt per ſecundam operationem, ideſt, per compoſitionem, & diuiſionem negari propria paſſio de ſubiecto, ſeu non conuenire illi; licet per primam operationem poſſit ſeparari à ſubiecto; accidens autem commune, quod diſtinguitur à proprio, etiam per ſecundum operationem poteſt negari de ſubiecto, eo non deſtructo.

CONTROVERSIA XXXX.

Vtrum proprium ſolum 4. modo: etiam tam infimum, quam ſubalternum, pertineant ad hoc 4. prædicabile.

NOta, proprium 4. modo, nempè quod conuenit omni, ſoli, & ſemper, duplex eſſe, ſcilicet ſubalternum, & infimum; cùm enim proprium dimanet ab eſſentia, & hæc componatur ex genere, & differen-

ferentia; alia sunt quæ dimanant ab essentia ratione gradus generici, & alia ratione gradus differentialis. Illa appellantur propria subalterna; hæc verò infima.

Dico 1. proprium solum 4. modo acceptum constituere hoc 4. prædicabile; cætera verò propria simpliciter pertinent ad quintum prædicabile. hæc statuitur contra Louan. Canter. Murciam, Hurtadum, Fonsec. & alios modernos, nostram tamen conclusionem docet Lisbon. Arauio, Caiet. Iauel. Sotus, Mas. Sanchez, Tol. Ruu. Onna, Conimb. Gallego, & alij, estque communi inter Thomistas, & probatur. Illud est verè & simpliciter propriũ, quod dimanat à principijs essentialibus, & cum eis habet naturalem, & necessariam connexionem; sed tantum prorium, quod conuenit omni, soli, & semper, est huiusmodi. ergo illud solum est verè, & simpliciter proprium; maior & conse-

quen-

quentia patet, minor autem probatur; quia si habet necessariam connexionem cum principijs essentialibus; ergo inuenitur in omnibus in quibus inueniuntur talia principia essentialia; & per consequens conueniet omni habenti illa. Rursus: ergo vbi non fuerint talia principia essentialia, neque etiam erit tale proprium; & per consequens conueniet solis habentibus talem essentiam. Et tandem: ergo quandiu illa habuerint talem essentiam, tamdiu habebunt eius proprietatem: sed quæ participant aliquam essentiam, semper habent illam: ergo semper etiam habebunt talem proprietatem; & per consequens conueniet omni, soli, & semper.

Conf. 1. Quia tres priores acceptiones proprij verè non dimanant à principijs essentialibus, & consequenter non habent necessariam connexionem: ergo non constituunt. 4. prædicabile. Consequentia

tia patet, & antecedens probatur; quia esse medicum si sumatur pro habitu, vel actu medicinæ, satis constat non fluere ab essentia hominis: si verò sumatur pro habilitate, seu inclinatione ad vnam scientiam, potius quam ad aliam; manifestum est id prouenire ex principijs indiuidualibus, & diuerso hominum temperamento; aut etiam ex variò syderum aspectu, sub quo quisque natus est: neque esse medicum potest alio modo pertinere ad hanc primam proprii acceptionem. Similiter esse bipedem, aut canescere satis apparet consequi ex dispositione materiæ; ergo solum dimanant ex principiis materialibus, & indiuidualibus; non verò ex formalibus, & essentialibus; & sic non pertinebunt ad 4. prædicabile, sed ad quintum.

Conf.2. Quod habet necessariam connexionem cum essentia; licet possit, ab ea præscindi abstractione præ-

præcisiua; considerando scilicet essentiam absque illo; non tamen potest præscindi abstractione composita; ita scilicet, vt absque præiudicio talis essentiæ, negetur de ea, aut affirmetur eius oppositum: per quod logici distingunt proprium à quinto prædicabili, vt dicemus infra. Sed esse medicum, bipedem, aut canum, possunt non solum præscindi, sed etiam negari, & eorum oppositum affirmari de essentia hominis, absque præiudicio eius: ergò non habent cum illa necessariam connexionem; & sic non pertinebunt ad hoc. 4. prædicabile, sed ad quintum.

Dico 2. Licet proprium infimum proprissimè habeat rationem proprij, & strictissimè dicatur passio, vtpotè quod sequitur essentiam vltimò completam; & perfectam; tamen propium subalternum, est etiam propria passio, & per se pertinet ad hoc prædicabile. hæc est S.D. opusc.

48.tract.1. cap 7.& de ente & essentia cap.7. quem sequuntur concorditer logici, & probatur; quia plura sunt accidentia, quæ dimanant à principijs genericis, & cum eis habent necessariam connexionem; quæ cõsequenter neq; per intellectum possunt abesse, salua manente tali essentia, vt de potentijs sensitiuis patet respectu animalis; de nutritiuis, respectu viuentis, & alijs huiusmodi; ergò verè dantur propria generica, seu subalterna, quæ spectent ad quartum prædicabile.

Arg. 1. Contra 1. concl. licet tres priores acceptiones proprij, sumptæ pro actu sint accidentia communia; si verò sumantur pro aptitudine, seu potentia, verè dimanant ex principijs substantiæ; ergo verè sunt passiones, & propriè pertinent ad hoc 4. prædicabile. Consequentia patet, & antecedens probatur; quia ex D.Th. de ente & essentia cap.7. Omnia accidentia dimanant

à

à substantia, cum omne accidens sit quædam participatio substantiæ; ergo sub ea ratione, qua dimanat à substãtia debet pertinere ad 4. prædicabile, licet quatenus cõmunicatur alijs à quibus non dimanat, deficiat à perfecta ratione proprij.

℞. Ad antecedens dicendo', quod si aptitudo v. g. ad medicinã sumatur pro generali capacitate, seu inclinatione ad scientias; homini conuenit 4. modo; si verò sumatur pro speciali habilitate ad vnam potius, quam ad aliam, solum dimanat ex principijs materialibus, seu indiuidualibus, quod non sufficit ad veram rationem passionis; imò id peculiare est accidentium communium. Vndè ad prob. antecedentis dico, omnia quidem accidentia causari à substantia; sed tamen quædam secundũm principia formalia, & ista sunt propriæ passiones, quia habent connexionem necessitatis formalis; quædam verò

principijs materialibus, & ista sunt accidentia communia, seu indiuiduorum. Quæ autem ex formalibus principijs causantur, si ali subiecto communicentur, erunt accidentia communia respectu eius, cui communicantur, vt calor respectu aquæ, vel ligni, licet propria respectu eius, à quo causantur.

Arg. 2. Contra eandem. Alia propria à 4. modo, & maximè quod est proprium 2. modo, prædicantur distincto modo à quinto prædicabili, quod solum dicit posse adesse & abesse; ergo constituent 4. prædicabile; probatur antecedens; quia conueniunt & prædicantur necessariò de eis quorum sunt propria; ergo.

℞. Negando antecedens: ad cuius prob. dico, quod alia propria, etiam 2. modo, non prædicantur necessariò; necessitate quasi formali, & connexionis intrinsecæ; sed necessitate, quasi materiali, seu ne-

cessi-

nessitate materiæ indiuidualis. Quod autem prędicatur necessariò necessitate quasi formali, & ex principijs naturæ, et non ex principijs indiuidualibus solùm, & necessitate materiæ, hoc est proprium 4. prædicabile, dicitur autem 5. prędicabile, quod potest adesse & abesse; quia non habet connexionem intrinsecam, neque radicem in principijs naturæ, licet ex aliqua causa intrinseca separari non possit quantum ad existentiam.

Arg. 3. Contra 2. conclus. Emanatio propriæ passionis ab essentia reducitur ad genus causæ efficientis ex S.D. 1.p.q.77.ar.7. sed nullum accidẽs potest sic dimanare à gradus generico: ergo nullum accidens potest esse propria passio respectu illius probatur minor; quia nihil agit nisi prout est in actu, & determinatum; sed gradus genericus est quid potentiale, et indeterminatũ; ergo nõ agit ad emanationẽ passionis.

 ℞. Ne-

℟. Negando minorem: ad prob dico propria subalterna nõ dimanare ab essentia generica, præcisè, vt est totum potentiale, seù formalitèr in quantum indeterminatè, & in confuso cõtinet inferiora: sic enim non habet sufficientem actualitatem, sed quatenus habet rationem totius actualis. Cùm enim passio sit accidens essentiæ, dans illi esse secundùm quid, necessario supponit eam constitutam in esse simplicitèr. Vbi autem intelligitur constitutio, etiam apprehenditur compositio ex actu, & potentia, & ex consequenti totum actuale.

CONTROVERSIA XLI.

Respectu cuius proprium constituatur in esse vniuersalis?

NOta, quòd cùm proprium verè sit vniuersale, & vnum ex quinque prædicabilibus, vt suprà

pra docuimus; controuerti potest respectu quorum habeat istam vniuersalitatem, an scilicet respectu illius essentiæ à qua dimanat, putà risibile respectu hominis; an verò respectu inferiorum eius, nempè respectu Petri, & Pauli. Certum autèm est proprium non constitui in esse vniuersalis respectu inferiorum eodem nomine significatorum, nempè risibile respectu huius & illius risibilis; sicut de differentia suprà docuimus, vtriusque enim eadem est ratio, quam ibi adduximus.

Dico, proprium non constitui in esse vniuersalis per ordinem ad speciem, seu essentiam à qua dimanat, & cum qua conuertitur, sed per ordinem ad inferiora illius. hęc est concors Thomistarum sententia, & probatur 1. differentia non constituitur in ratione vniuersalis per ordinem ad naturam quam adæquatè constituit, sed per ordi-

nem ad inferiora illius naturæ, v. g. sensibile non constituitur in ratione vniuersalis, per ordinem ad animal, sed per ordinem ad hominem, & leonem; ergo proprium non constituitur in ratione vniuersalis per ordinem ad naturam à qua dimanat, sed per ordinem ad inferiora illius naturæ. Consequentia patet, nam eadem est ratio de differentia, & de proprio, quantum ad hoc; & antecedens probatur, si differentia constitueretur in ratione vniuersalis per ordinem ad naturam sibi æqualem deberet definiri in quantùm vniuersale in ordine ad talem naturam, vt patet: sed differentia definitur in ordine ad inferiora naturæ quam constituit; vt patet, quando dicitur quod prædicatur de pluribus. ergo.

Probatur 2. natura à qua adæquatè dimanat proprium, non potest esse terminus specificatiuus, & correlatiuus illius in quantùm vni-

uersale est; ergo proprium non constituitur in ratione vniuersalis per ordinem ad talem naturam, sed per ordinem ad inferiora illius. Consequentia patet, & antecedens probatur. terminus correlatiuus cuiusque vniuersalis, vt sic, debet esse aliquid inferius respectu illius; sed natura à qua adæquatè dimanat proprium, non potest habere rationem inferioris respectu illius; ergo talis natura non potest esse terminus, & correlatiuus illius in quantum vniuersale. probatur maior, quia vniuersale vt sic formalitèr dicit aliquid commune & superius; ergo terminus correlatiuus illius debet esse aliquid inferius.

Confir. Vniuersale vt sic essentialitèr respicit multa, vt patet ex eius definitione; sed proprium in quantum respicit naturam à qua adæquatè dimanat, non respicit multa; ergo non habet rationem vniuersalis in ordine ad illam. probatur

minor, quia talis natura est solùm vna, si quidem abstrahit à pluritate inferiorum, & à differentijs per quas multiplicatur; ergò.

Arg. 1. Proprium 4. modo, neque conuenit indiuiduis necessario, neque conuertibilitèr; ergo respectu illorum non est prædicabile, vt proprium. Consequentia patet, & antecedens probatur, quia proprium non conuenit soli indiuiduo, sed alijs; ergo non habet necessariam connexionem cum indiuiduo, quatenùs tali, neque conuertitur cum illo; quia non valet mutua consequentia inter indiuidua & proprium; licet enim valeat, est Petrus; ergo est risibilis, non tamen econtra, est risibile, ergo est Petrus; ergo non se habet conuertibilitèr cum indiuiduis.

℟. Negando antecedẽs: ad prob. Dico, proprium habere necessariã connexionem cum indiuiduis mediatè, & ratione naturæ, à qua dimanat,

manat, non ratione indiuiduationis, cui communicatur. Similiter mutuò conuertitur cum illis ratione naturæ eorum, non ratione indiuiduationis, quòd autem sit commune multis, non tollit rationem proprij; quia hęc communitas non est ad extranea, sed ad indiuidua propria naturæ. Nec requiritur quod connexio necessaria fundetur in aliquo ratione omnium, quę in eo sunt, vel sub eo continentur; sed ratione radicis, & principii, in quo fundatur. Vndè non requiritur quod sit mutua conquentia inter proprium alicuius naturæ, & quodlibet indiuiduum, sed sufficit quod inter ipsam naturam, & proprium, sit mutua connexio, & consequentia.

Arg. 2. Proprium debet constitui in ratione vniuersalis per ordinem ad terminum primarium & immediatum; ideò enim genus nõ constituitur in ratione vniuersalis

per ordinem ad indiuidua, sed per ordinem ad speciem, quia species sunt terminus immediatus illius; sed terminus immediatus proprij est natura à qua dimanat; ergo in ordine ad illam constituitur in ratione vniuersalis. probatur minor; proprium prius & immediatius conuenit naturæ à qua dimanat, & ratione illius conuenit inferioribus talis naturæ; ergo terminus immediatus illius est natura à qua dimanat.

Confir. proprium, vt proprium respicit naturam à qua dimanat; ergo etiam vt est vniuersale. Consequentia patet, quia proprium in quantum est proprium pertinet ad hoc prædicabile, & consequentèr vt sic est vniuersale; & antecedens probatur; proprium in quantum proprium immediate respicit illud ex cuius principijs adæquatè dimanat, & illud cum quo dicitur ad conuertentiam; sed adæquatè di-

ma-

manat ex principijs naturæ,& cum illa conuertitur; ergo.

℞. Ad arg. Distinguo minorem; si proprium accipiatur physicè, & in ratione proprietatis realis, concedo minorem: si logicè, & in ratione vniuersalis, negatur minor; ad cuius prob. distinguo consequēs eodem modo: Itaque licet proprium dimanet ex principijs essentialibus naturæ;& ratione illius cōueniat inferioribus, ex quo prouenit quòd in ratione proprietatis realis, vel potentiæ specificetur à reali natura, & habeat illam pro termino, tamen in ratione vniuersalis, non specificatur ab illa, neque habet pro termino immediato illam, sed inferiora illius.

Ad conf. Distinguo antecedens; proprium, vt proprium si accipiatur physicè, & in quantùm est proprietas realis, concedo antecedens: si logicè, negatur antecedens; & nego etiam consequentiam: ad cu-

ius probationem dico, proprium in quantùm logicè pertinere ad hoc prædicabile, non verò in quãtum est proprium physicè.

Arg. 3. Proprium dum prædicatur de natura à qua dimanat; prædicatur de pluribus accidentalitèr necessariò; ergo in ordine ad illam habet rationem vniuersalis. Consequentia patet, & antecedens probatur, in illa natura continentur plura inferiora quæ in illa conueniunt; ergò in quantum prædicatur de illa, prædicatur virtualiter de pluribus, quod sufficit ad rationem vniuersalis.

℞. Negando antecedẽs: ad prob. distinguo antecedens, continentur plura vt vnita, & sine aliqua distinctione, concedo antecedens: continentur plura, vt plura, & vt distincta, nego antecedens; & nego etiam consequentiam; quia inferiora alicuius naturę qeatenus continentur in illa natura superiori,

non

non habent diſtinctionem, ſed potius vnitatem; vndè dixit Porph. quod omnes homines participatione ſpeciei, ſunt vnus homo: Prætérquam quod ad rationem vniuerſalis ſecundùm rem, & rationem ſimul quale eſt proprium, non ſufficit quod vniuerſalitèr reſpiciat plura, ſed requiritur quod formalitèr plura reſpiciat, quia debet reſpicere plura, quà abſolutè ſunt plura.

Arg. 4. ex Ariſt. & D.Th. In hoc diſtinguitur proprium ab accidenti communi, quod accidens commune conuenit ſpeciei ratione indiuiduorum; nam ideo homo eſt albus, quia Petrus eſt albus, proprium verò conuenit indiuiduis ratione ſpeciei; ideo enim Pet. eſt riſibilis, quia homo eſt riſibilis. ergo proprium per prius prædicatur de ſpecie, quam de indiuiduis: ergo potiùs conſtituitur in eſſe vniuerſalis per ordinem ad ſpeciem, quam per

per ordinem ad indiuidua.

℞. Ad antecedens dicendo, differentiam illam inter proprium, & accidens commune, procedere de proprio, & accidenti metaphysicè, & realiter sumptis: non verò de proprio logicè considerato seu formaliter, vt denominatur à secunda intentione. Vnde licet verum sit, quod entitas risibilitatis prius conueniat homini, quam Petro: Prædicatione tamen vniuersalis, non prius prædicatur dè homino, quam de Petro.

Arg. 5. Eodem modo prædicatur proprium de specie, ac de indiuiduis, sed de indiuiduis prædicatur, vt 4. prædicabile; ergo etiam de specie. minor & consequentia patent, & maior probatur; quia risibile non prædicatur de homine essentialiter, cum nec sit species, genus, aut differentia; nec etiam drorsus accidentaliter; cum prædicetur per se: ergo prædicatur prædica-

dicatione proprij, vel datur sextum prædicabile.

℞. Negando maiorem: non enim eodem modo prædicatur risibile de homine, & de indiuiduis eius: nam de his prędicatur, vt quid superius ad illa, & in ordine ad quę habet rationem vniuersalis. de specie verò prædicatur, vt quid consecutum ad eius essentiam sibi æqualem; & hoc vocamus prædicari, vt 4. prædicatum. Vnde illud quod habet rationem quarti prædicabilis respectu indiuiduorum, respectu speciei solum habet rationē quarti prædicati, & non vniuersalis.

Contra. Illud prædicatum alicuius prædicabilis est prædicatum, maximè cum sit prædicatum complexum, simplex, &c. ergo non alterius nisi quarti: ergo proprium respectu speciei, 4. est prædicabile.

℞. Negando antecedens; illud enim prædicatum, vt affirmatur de specię, & vt importat ordinem ad illam,

illã nullius prædicabilis est prædicatũ, quia non est prædicabile. Tametsi illud quod prædicatur secundum aliam rationem, 4. est prædicabile, seu ad 4. pertinet prædicabile.

CONTROVERSIA XXXXII.

Quomodo definiatur accidens, quod est quintum prædicabile?

NOta 1. Differentiam inter accidens prędicamẽtale, & prędicabile constitere in hoc, quod accidens prædicamentale contraponitur substantiæ, quæ est primum prædicamentum, & sic solùm stat pro accidenti inhærenti: accidens autem prædicabile contraponitur prędicato essentiali, & sic quicquid non conuenit essentialitèr, vel necessariò, dicitur accidens prædicabile, siue sit aliquid reale, siue rationis, siue inhærens, siue subsistens.

Nota 2. Accidens quod est quin-

tum

tum prædicabile à Porph. & omnibus logicis communitèr hoc modo definiri. Accidens est quod adest, & abest præter subiecti corruptionem. Vbi illæ particulæ (adest, & abest) duplicitèr possunt accipi, vno modo primò intentionalitèr, & hoc modo, adesse nihil aliud est, quam inhærere subiecto, & abesse est separari à subiecto; & non intelligitur vt dicunt actualem inhærentiam, vel separationem à subiecto, sed vt dicunt potentiam, & aptitudinem ad illam, & sensus est; quod accidens est, quod potest adesse, & abesse à subiecto, non tamen vt simul, & pro eodem tempore adesse & abesse possit, sed pro diuerso tempore. Alio modo possunt accipi illę particulæ secundò intentionalitèr; & hoc modo, adesse & abesse nihil aliud est, nisi contingentèr prædicari de subiecto, vt cum dicitur Petrus est albus, prędicatio est quinti prædicabilis.

Nota

Nota 3. Præfatam definitionem hunc sensum reddere. Accidens est quod indifferentèr affirmatur, vel negatur, absq; eo quod destruatur definitio subiecti. Vel accidens est cuius neq; affirmatio, neq; negatio subiecti rationem tollit. Cum qua definitione coincidit descriptio. qua communitèr definitur hoc 5. prædicabile dicendo. Accidens est quod prædicatur de pluribus in quale contingentèr.

Dico, Rectè definitur accidens; quod est 5. prædicabile dicendo. Accideus est quod adest, & abest prætèr subiecti corruptionem. Ita Porph cap. 5, prædic. quem sequuntur concorditèr omnes logici, probata manebit solutione argumentorum aduersas ipsam; & insuper probatur, quia distinguit accidens cōmune quod est quintum prædicabile, à quatuor primis prædicabilibus, de quibus vsq; modò in superioribus egimus, vt vnicuique inspicienti, &

ad

ad superiora recurrenti, clarè innotescit; ergo talis definitio in sensu explicato rectè traditur.

Arg. 1. Existentia actualis, accidit homini, & de illo prędicatur prędicatione quinti prædicabils; sed tamen existentia non potest adesse, & abesse sine subiecti corruptione, ergo.

℞. Negando minorem: existentia enim optimè potest affirmari, aut negari, salua essentia subiecti: siue etenim dicatur homo existit; siue, homo non existit, semper manet eadem definitio, & essentia hominis.

Arg. 2. Accidens inseparabile non potest adesse & abesse præter subiecti corruptionem, quia alias esset separabile; ergo saltem aliquod accidens non poterit adesse & abesse præter subiecti corruptionem; & sic adducta definitio non conueniet omni accidenti.

℞. Negando antecedens: licet enim

enim accidens inseparabile non possit adesse, & abesse secundum realem absentiam, & præsentiam respectu indiuidui, in ordine ad quod sumitur ista distinctio separabilis, & inseparabilis: respectu tamen speciei, siuè quidditatis potest adesse & abesse ipsi subiecto, idest, conuenire, vel disconuenire, sine destructione subiecti in sua quidditate; licet in sua existentia destruatur, hoc autem sufficit ad rationem 5. prædicabilis. Quia illa particula (adest & abest sine subiecti corruptione) idem sibi vult ac dicere, cõuenit subiecto sine dissolutione quidditatis, & naturæ eius in prædicatis essentialibus. Quod verò accidens sit separabile, vel inseparabile, non respectu speciei, & naturæ subiecti, sed respectu indiuiduorum sumitur, in quibus aliquando habet causam permanentem, aliquando transeuntem. Et ita potest accidens conuenire, vel abesse à subiecto

biecto cum corruptione indiuidui, nõ tamen cum corruptione speciei, sed cum indemnitate illius. In quo distinguitur à proprio, quod si abest, idest, si non conuenit, neque connectitur cum specie, dissoluitur species. Et ex hoc constat, quod indiuiduum dependere potest in sui conseruatione, & existentia ab accidentibus; species autem & quidditas à nullo accidente dependet: & ita quæcunque affirmatio, vel negatio, conuenientia, vel disconuenientia accidentis ad subiectum, semper est sine corruptione, & cum indemnitate quidditatis.

Arg. 3. Præfata accidentis definitio conuenit formæ substantiali; ergo malè traditur; probatur antecedens, quia forma substantialis adest, & abest præter subiecti corruptionem; nam materia prima quæ est subiectum formæ substantialis non corrumpitur per hoc quod forma adest, & abest; est enim

ma-

materia prima ingenerabilis, & incorruptibilis.

℞. Negando antecedens: ad prob. dico; quod in definitione accidentis, quando dicitur quod accidens est illud quod adest, & abest præter subiecti corruptionem, ly subiecti, non debet intelligi quodcunque subiectum, sed compositum substantiale ex materia & forma. Vnde forma substantialis, licet possit adesse, & abesse materiæ primæ, non tamen erit accidens.

Arg. 4. Bona definitio non debet tradi per opposita membra, quia per opposita membra non potest rei essentia explicari, sed præfata definitio accidentis traditur per opposita; nempe per adesse, & abesse subiecto. ergo.

℞. Negando minorem: licet enim adesse, & abesse videantur opposita; tamen adesse, & abesse successiuè pro diuersis temporibus non sunt opposita, quo modo sumitur

mitur adesse & abesse in definitione accidentis.

CONTROVERSIA XLIII.

Respectu quorum inferiorum accidens dicatur quintum prædicabile.

DICO I. Accidens constitui in esse quinti prædicabilis per ordinem ad subiecta, accidentaliter denominata, non verò per ordinem ad alia inferiora, quibus potest essentialiter conuenire. hæc est omnium logicorum, & probatur. Esse quintum prædicabile est posse adesse; & abesse absque subiecti corruptione: ergo accidens cōstituetur in esse quinti prędicabilis respectu eorum, quibus potest sic adesse, & abesse: sed hoc habet tantum respectu subiectorum, quæ accidentaliter denominat, non verò respectu inferiorum essentia-

lium, vt per se patet; albedo enim non potest separari ab hac albedine, salua eius essentia; bene tamen ab homine, vel leone. ergo accidés non constituitur in esse quinti prædicabilis per ordinem ad inferiora essentialia, sed respectu subiectorũ quæ accidentalitèr denominat.

Dico 2. Accidens, vt quintum prædicabile est, immediatè prædicatur de indiuiduis, & ratione illorum de speciebus. hæc est concors Scholarum sensus, & probatur 1. ex Arist. cap. de substantia, Primæ substantiæ sunt maximè substãtiæ; quia primò & per se substant accidentibus, secundæ verò substantiæ non nisi quatenùs sunt in primis: ergo cui primò conuenit accidens est prima substantia, quæ essentialitèr est indiuiduum; ergo accidens primò. prædicatur de prima substantia.

Probatur 2. Accidens quod pertinet ad 5. prædicabile, nec est essen-

ſentia rei, nec pars eſſentiæ, nec propria paſſio illius, cuius eſt accidens: ergo accidens non conuenit rebus immediatè ratione eſſentiæ; ſed ratione conditionum indiuiduantiũ nihil enim aliud ſupereſt, ratione cuius conuenire poſſit, & ita immediatiùs conſtituetur vniuerſale per ordinem ad indiuidua, quia immediatiùs de illis erit prædicabile.

Arg. 1. contra 1. concluſ. Ipſa ſubiecta ſunt inferiora albo per accidens, quia per accidens identificantur Pet. & Pau. in albo; ergo reſpectu iſtorum ſubiectorum album eſt vniuerſale, & prædicabile per accidens, atque adeo non eſt vnũ ex ſpeciebus prędicabilium, quia prædicabilia ſunt vniuerſalia per ſe.

℞. Negando conſequentiã: quia inferiora ſolum ſunt ſubiecta per accidens ex parte rei, quæ ſubijcitur: intentio tamen ſubijcibilitatis, & prædicabilitatis per ſe eſt vera intentio prædicandi, & ſubiiciendi,

ficut requiritur ad vniuerfalitatem. Itaque intentio quinti prædicabilis per fe eft intentio vniuerfalis, & per fe poftulat inferiora, fed non inferiora que habeant perfeitatem in natura, & forma, quæ prædicatur, fed contingentiam: & ita ei quod prędicatur accidentalitèr de multis, conuenit per fe vniuerfalitas, feu refpectus ad multa; ficut opinioni per fe conuenit verfari circa propofitiones contingentes, & libertati conuenit per fe, contingentèr operari.

Arg. 2. contra 2. concl. Quando aliquod accidens ineft pluribus, & vni non ratione alterius, conuenit illis ratione alicuius communis per fe reperti in omnibus; fed in omnibus coruis reperitur nigredo; ergo conuenit illis, quia corui funt, atque adeo, nigredo immediatiùs, prædicatur de coruo, quam de hoc coruo. minor patet ex Arift. 1. poft. cap. 12. & confequentia probatur; quia

quia esse nigrum est accidens commune omnibus coruis; ergo consequitur ad aliquam causam communem omnibus; & ita prędicabitur immediatiùs de illo, cui illa causa conuenit.

℞. Distinguò maiorem: conuenit illis ratione alicuius communis conuenientis primò naturæ specificæ, & secundò indiuiduis, nego maiorem; conuenientis primo indiuiduis, & secundo speciei, concedo maiorem. Igitur nigredo corui, cōpetit omnibus coruis, ratione cuiusdam complexionis indiuidualis, communis omnibus coruis.

CONTROVERSIA XLIV.

Quomodo definiantur Aequiuoca?

NOta 1. Antepręnicamenta non alia esse, quam quędam quasi pręambula, & prærequisita ad coordinationem prædicamen-

torum constituendam, & discernendam. Talia autem prærequisita sunt quatuor distinctiones, seu conditiones ab Arist. assignatæ. Prima distinctio, seu primum Ante prędicamentum est diuisio Vniuocorum, Aequiuocorum, & denominatiuorum. Secunda est distinctio complexorum, & incomplexorum. Tertia distinctio eorũ quæ sunt in subiecto, & eorum quæ dicuntur de subiecto. Quarta est distinctio eorum, quæ ad rectam lineam prædicamentorum pertinet, & eorum, quæ ad latus, & indirectè se habent.

Nota 2. Quod nomen ipsum æquiuocorum (& idem proportionabiliter, est de vniuocis, denominatiuis, & analogis) dicitur ęquiuocum æquiuocans; res verò per tale nomen significatæ æquiuoca æquiuocata. Vndè constat res ipsas secundùm se non dici vniuocas, aut æquiuocas, sed prout nominibus

bus significantur. Hę enim intentiones sunt de genere earum, quæ immediatè in nominibus fundantur: Vndè eas definiens Arist, non dixit Aequiuoca sunt,&c. Vniuoca sunt,&c. sed Aequiuoca dicũtur,&c. In sũmalis autèm egimus de ęquiuocis æquiuocantibus, id est de terminis æquiuocis; hic verò agimus de ęquiuocis æquiuocatis, in ordine tamen ad secundas intentiones, nam de illis agit metaphysicus secundùm suas realitates.

Dico; Aequiuoca rectè definiuntur ab Arist. Ea quorum nomen est commune, ratio verò substantiæ significata diuersa. hæc conclusio patet vnanimi Scholarum consensu, & vlterius probatur singulas definitionis particulas explicando. dicitur igitur, quorum nomen, id est, vox significatiua, siue sit propriè nomen, siuè verbum, vel quilibet alius terminus significatiuus. dicitur ratio significata diuersa,

sumendo ly, ratio pro conceptu significato per nomen, & maximè pro conceptu obiectiuo. dicitur; ratio substantiæ; id est, quidditatis, seu rei; quia æquiuoca significant res prout diuersæ quidditatis, aliàs essent vniuoca, si pro eadem quidditate significarent.

Arg. 1. Definitio adducta æquiuocorum conuenit vniuocis, ergo malè traditur. Consequentia patet, & antecedens probatur; quæ habent idem nomen, & eandem rationem sunt synomina seu vniuoca; sed homonyma, seu æquiuoca, idem habent nomen, & eandem rationem; quia nomen homonymum commune est omnibus homonymis; præterea ratio vel definitio communis est omnibus illis. ergo.

℞. Negando antecedens: ad cuius prob. distinguo minorem; si loquamur de æquiuocis materialitèr, negatur minor: si loquamur de

illis

illis formalitèr, vel pro notione æquiuocorum, concedo minorem: ęquiuocorum enim notio vniuoca est. Neque vllatenùs inconuenit vnam & eandem rem diuersa ratione sumptam esse homonymam, & synominam, & ita æquiuoca materialitèr sumpta, pura erunt æquiuoca; formalitèr autem vsurpata synonima erunt.

Arg. 2. Ex Arist 8. mctaph. tex. 9. Quicquid definitur debet esse species. ergo quid vniuocum; ergo æquiuoca non possunt definiri.

℟. Distinguo consequens; si sensus sit quod æquiuoca non possint definiri primò intentionalitèr, & secundùm entitates, & rationes diuersas quas important, concedo consequentiam: si verò sensus sit non posse definiri secundò intentionalitèr, vt scilicet induunt secūdam intentionē, à qua constituuntur in esse æquiuocorum; negatur consequentia. hoc enim modo vniuoca

uoca sunt; siquidem æquiuocatio est quædam species secundę intentionis, quæ equalitèr participatur ab omnibus æquiuocis.

Arg. 3. Nomen æquiuocum verè non est vnum, neque commune, sed potiùs plura; ergo malè in definitione dicitur; quorum nomen est commune. probatur antecedēs; quia nomen constituitur in esse talis per significationem; sed in æquiuoco sunt plures significationes; cùm significet immediatè plura; ergo sunt etiam plura nomina.

℞. Negando antecedens ad prob. dico, ad multiplicationem concreti, seu compositi accidentalis, non sufficere multiplicationem formæ: licet enim quis plures artes habeat; artifex tamen vnus dicitur. Cuius ratio est; quia concretum significat formam concernendo subiectum, & ex modo significandi supponit pro illa: Vndè ad eius multiplicationem debet multipli-

cari

cari subiectum. Cùm ergo in presenti canis v. g. aut aliud nomen æquiuocum, sit concretum accidentale de formali significationem importans, & pro materiali vocem connotans; non sufficit multiplicatio significationis, vt dicantur plura nomina, sed necessaria etiàm est pluralitas vocis.

CONTROVERSIA XLV.

Quomodo definiantur Vniuoca.

DIco; vniuoca ab Arist. in hunc modum rectè definiri. Vniuoca sunt quorum nomen est commune, & ratio substantiæ nomini accomodata est eadem; vt homo, & leo vniuocantur in ratione animalis. hæc conclusio probatur philosophi authoritate, & definitionem explicando: Intelliguntur ergo definitionis particulæ sicut in defintione æquiuocorum in præ-

uoca sunt; siquidem æquiuocatio est quædam species secundę intentionis, quæ equalitèr participatur ab omnibus æquiuocis.

Arg. 3. Nomen æquiuocum verè non est vnum, neque commune, sed potiùs plura; ergo malè in definitione dicitur; quorum nomen est commune. probatur antecedēs; quia nomen constituitur in esse talis per significationem; sed in æquiuoco sunt plures significationes; cùm significet immediatè plura; ergo sunt etiam plura nomina.

℟. Negando antecedens ad prob. dico, ad multiplicationem concreti, seu compositi accidentalis, non sufficere multiplicationem formæ: licet enim quis plures artes habeat; artifex tamen vnus dicitur; Cuius ratio est; quia concretum significat formam concernendo subiectum, & ex modo significandi supponit pro illa: Vndè ad eius multiplicationem debet multiplicari.

cari subiectum. Cùm ergo in praesenti canis v. g. aut aliud nomen aequiuocum, sit concretum accidentale de formali significationem importans, & pro materiali vocem connotans; non sufficit multiplicatio significationis, vt dicantur plura nomina, sed necessaria etiam est pluralitas vocis.

CONTROVERSIA XLV.

Quomodo definiantur Vniuoca.

DIco; vniuoca ab Arist. in hunc modum rectè definiri. Vniuoca sunt quorum nomen est commune, & ratio substantiae nomini accomodata est eadem; vt homo, & leo vniuocantur in ratione animalis. haec conclusio probatur philosophi authoritate. & definitionem explicando: Intelliguntur ergo definitionis particulae sicut in defintione aequiuocorum in prae-

litèr distinguntur ab vniuocis, vt patet ex eorum definitionibus; sed tamen denominatiua, vt sic, sunt vniuoca, ergo. Probatur minor; quia album est denominatiuum ab albedine, & tamen vniuocè dicitur de suis inferioribus, de hoc nempè, & illo albo; quinimò album dicitur vniuocè de Petro, & Paulo habentibus albedinem, siquidem prædicatur de illis prædicatione quinti prædicabilis; omnis autem talis prædicatio vniuoca est, ergo.

℞. Negando antecedens: ad prob. distinguo minorem; sunt vniuoca materialitèr, & entitatiuè, concedo minorem; formalitèr, negatur minor; sub alia igitur ratione res dicuntur denominatiua, & vniuoca; nam album v. g. secundùm quòd ab albedine dicitur denominatiuum est, vniuocum verò dicitur, secundùm quod importat suis inferioribus, & nomen & rationem communem. Dicitur autem accidens quinti prædica-

dicabilis, ſecundum quod prædicatur de homine, & leone accidentaliter, vt aliquid non conſequutum ad rei eſſentiam: Vnde eidem materiali multæ intentiones conueniunt ob diuerſas rationes.

Contra. Eadem res non poteſt eſſe analoga & vniuoca etiam ſecundum diuerſas rationes; ergo nec vniuoca & denominatiua. Antecedens patere videtur, & conſequentia probatur, quia ita formaliter & eſſentialiter differunt vniuoca & denominatiua, ſicut vniuoca & analoga. ergo.

℞. Negando antecedens: canis enim marinus & ſydus, vt ſignificantur hoc nomine canis, ſunt æquiuoca, vt verò ſignificantur hoc nomine ſubſtantia, ſunt vniuoca. Quinimo hoc nomen canis reſpectu vnius ſignificati eſt vniuocum, & res reſpectu illius eſt vniuoca, vt canis marinus ad omnes canes marinos: vt verò ſignificat piſcem, ſtel-

stellam, & canem terrestrem, est nomen ęquiuocum, & res vt illi correspondent, sunt æquiuocata.

Arg. 2. Nomina imponuntur rebus iuxta earum naturas, tot ergo erunt nomina, quot sunt naturæ significatæ; sed in vniuocis sunt multæ naturæ significatæ; vt homo & leo, qui sunt synomina in animali, denotant diuersas naturas, ergo synomina non erunt illa, quorum nomen est vnum, & commune, sed quorum nomina sunt multa.

℞. Distinguo minorem, in vniuocis sunt multæ naturæ, vt significantur nomine synomino, nego minorem; vt alijs nominibus declarantur, concedo minorem. Igitur vniuocorum vt vno nomine significantur, vna est vniuoca natura: si verò vsurpētur altero modo multiplex eorum natura erit, vt v.g. homo, & leo si sumantur ea ratione,

qua

qua significantur per hoc nomen animal, quod est vniuocum, habent vnam & eandem naturam; si verò sumantur vt significantur proprijs nominibus, diuersas naturas habent; & ita negandum erit, vniuoca ea ratione qua talia sunt, diuersas habere naturas.

Arg. 3. Accidentia prędicantur vniuocè de subiectis, sed accidentia non prædicantur eodem nomine, & definitione essentiali de subiecto, ex Arist. in cathegoria substantiæ; ergo vniuoca non erunt illa, quorum idem est nomen.

℞. Ad minorem dicendo, duplicem esse vniuocationem, vnam essentialem, & aliam accidentalē: accidentia igitur prædicantur vniuocè vniuocatione accidentaria, non autem essentiali: definiuimus autem vniuocationem vtriq; communem. Aristoteles verò quando ait, accidentia non prędicari nomine & ratione, debet intelligi, ita

vt

vt ratio sit de essentia subiecti, de quo prædicantur, qua ratione admitti potest, accidentia non dici vniuocè.

CONTROVERSIA XXXXVI.

Quomodo definiantur denominatiua.

Nota, in quacunque denominatione tria inueniri, nempè formam denominantem, rem denominatã, & ipsum denominatiuum: vt albedo est forma denominãs parietem album, paries est res denominata; & concretum scilicet album, est denominatiuum. Quibus non annumeramus denominationem ipsam, quia non omnino distinguitur ab his, sed quodammodo inuoluit ea; denominatio enim est illa quasi causalitas, seu applicatio, qua denominatiuum ratione

formæ

ormę denominantis applicatur rei
ſdenominatæ.

Dico 1. Denominatiua hoc modo rectè definiri. denominatiua dicuntur, quæ ab aliquo, nominis appellationem habent ſolo differentia caſu, vt à grammatica grammaticus. hæc eſt Ariſt. quem ſequuntur omnes ſcholæ, & probatur definitionis particulas explicando. dicitur (ab aliquo) ſcilicet à forma denominante. dicitur (nominis appellationem habent) quia denominatiuum debet deriuari à forma denominante ſecundum nomen, cum forma denominans ſit prima radix totius denominationis. dicitur (ſolo differentia caſu) ideſt, cadentia nominis; ſiquidem nomina in principio conuenire debent, & in fine differre; res verò ſignificata per vtrumque debet eſse eadem, vt idem ſignificat album, & albedo.

Dico 2. forma denominans reſpectu

pectu subiecti denominati nullo modo potest esse essentialis. hæc est D. Thom. 7. metaph. cap. 2. quem sequuntur omnes logici, & probatur. Omnis forma denominans prædicatur denominatiuè de subiecto, respectu cuius est forma, vt per se patet; sed forma quæ dicitur denominatiuè de subiecto, est forma accidentalis; nam prædicari denominatiuè, cum sit prædicari accidentaliter, nequit conuenire formæ essentiali; quia proprius modus prædicandi formæ essentialis est prædicari essentialiter, & non denominatiuè; ergo forma denominans respectu subiecti denominati, est tantum forma accidentalis.

Arg. 1. Contra 1. concl. grammaticus & grammatica se habent vt denominans & denominatum; sed tamen non differunt solo casu; ergo malè traditur denominatiuorum definitio. maior & consequentia patent, & minor probatur, quia

tam grammaticus, quam grammatica, sunt in nominatiuo casu. ergo.

℞. Negando minorem: ad prob. dico, quod Arist. nomine casus in adducta definitione, non intellexit quod denominatiuum & denominatum debeant esse in diuerso casu declinatiuo, & grammaticali; sed nomine casus intellexit transmutationem quandam nominum, & eorum variam terminationem. Cum ergo grammaticus, & grammatica, licet casu non differant, quia vtrumque in nominatiuo reperitur casu: tamen iuxta Aristotelicum sensum non erunt eiusdem casus, cum sint variæ eorum terminationes.

Arg. 2. Contra eandem. Hoc nomen studiosus est denominatiuum, sed tamen nullum habet abstractũ, à quo sola differentia casus habeat nominis appellationem. ergo. probatur minor, quia est denominatiuum à studio, vel à virtute; non primum quia à studio, non solum

casu

casu differt, sed etiam in re significata; neq; secundum, quia a virtute non differt sola cadentia nominis, sed in toto nomine, ergo.

℞. Negando maiorem; quia esse denominatiua, neq; conuenit rebus secundùm se, neq; etiam vocibus secundùm suum esse reale, sed rebus vt significantur per voces. Et sic ad rationem denominatiui propriè dicti vtrumq; requiritur, scilicet vt denominatiuum, & forma denominans, conueniant in principio nominis, & quod non differant in re significata. Tres autèm modi denominatiuorum communitèr assignari solent; alia re sunt denominatiua & non voce, vt studiosus à virtute; alia voce, & non re, vt studiosus à studio; alia deniq; re, & voce, vt albus ab albedine, ex quibus hæc vltima propriè & simplicitèr sunt denominatiua.

Arg. 3. contra 2. concl. Quantum denominatur tale à quantitate

sed

sed quantitas respectu quanti est forma essentia is; ergo forma denominans est forma essentialis. Maior & consequentia patent, & minor probatur. Quia licet quantitas respectu rei, quæ dicitur quanta, sit forma accidentalis; tamen respectu rei quantæ est forma essentialis; vndè hæc propositio; quantum est habens quantitatem, est per se, ergo quantitas respectu quanti est forma essentialis.

℞. Distinguo minorem; quantitas respectu quanti est forma essentialis, si accipiatur quantum reduplicatiuè, concedo minorem; si specificatiuè, vt accipitur in præsenti, negatur minor. Esto exemplum v.g. albedo respectu hominis albi, est forma accidentalis; si verò accipiatur homo albus reduplicatiuè, vt sic erit forma essentialis: & sic hæc propositio est vera; homo albus vt albus per se est albus; & ita prorsus dicendum in casu præsenti.

CON-

CONTROVERSIA XLVII.

Quid sint Analoga Attributionis; & quæ proprietates ipsorum?

NOta 1. Quod licet analogum dicatur medium inter æquiuocum & vniuocum, non sic tamen mediū esse quasi æqualitèr ab vtroq; distet extremo; multò enim magis approximatur æquiuocis, sub quibus ab Arist. comprehensum est. Quaproptèr doctores communitèr diuidunt æquiuoca vt sic, in purè æquiuoca, & analoga: In his ratio significata per nomen, secūdùm quid est eadem; in illis verò est omnino diuersa.

Nota 2. Quod analogia attributionis sic dicitur; vel quia in ea principale analogatum tribuit denominationem alijs: medicina enim dicitur sana, quia est causa sanitatis animalis; vrina sana; quia est signum sani-

sanitatis animalis &c. vel quia analogata minus principalia quasi attribuũtur principaliori analogato;& reducuntur ad illud, tanquam ad propriam mensuram, & radicem, vnde ratio significata per nomen deriuatur ad ipsa; & sic dicitur, quod analogum per se sumptũ stat pro famosiori analogato. Hæc etiam analogia vocatur proportionis, ad differentiam analogiæ proportionalitatis, de qua agemus in sequenti controuersia. Vocatur etiã analogia vnius ad alterum, vel plurium ad vnum; quia ab vno fit denominatio ad vnum, vel ad plura.

Dico 1. Analoga attributionis hoc modo rectè definiuntur. Illa quorum nomen est commune; ratio verò substantię secundùm illud nomen est eadem secundùm terminum, & diuersa secundùm habitudines ad illum. Ita concorditer metaphysici, & logici, & probatur explicando definitionis particulas.

Igitur

Igitur ſanum commune nomen eſt medicinę, vrinæ, & animali; ratio verò omnium in quantũ ſana ſunt, eſt eadem ſecundùm terminum; quia eadem & ſanitas eſt, quam reſpicit animal in quo eſt; & medicina à qua cauſatur; & vrina, quæ illam indicat. Eſt verò diuerſa ſecundùm diuerſas habitudines ad ſanitatem; quia ſi quis aſſignet, quid eſt animal in quantum ſanum, ſubiectum dicet ſanitatis; medicinam verò in quantum ſanam cauſam ſanitatis, &c, vbi terminus quidem idem eſt nempè ſanitas; ſed habitudines diuerſæ ſunt, nempè ſubiecti, cauſę, & ſigni.

Dico 2. In Analogis attributionis quatuor proprietates, ſeu conditiones rectè aſſignantur. hæc ſtatuitur contra Suar. Ruu. & alios negantes primam conditionem mox aſſignandam omnibus huiuſmodi analogis conuenire, noſtra tamen concluſio probatur ex con-

cordi Angelicæ Scholę sensu proprietates assignando. Prima igitur & principalis proprietas, (ex qua tres aliæ oriuntur) est. Quod in principali analogato inueniatur forma intrinsicè, in alijs verò extrinsicè, & per denominationem, vt ratio sani v.g. in animali solum intrinsicè; in vrina, medicina, & dieta per denominationem extrinsecam, hoc est, significatiuè, causatiuè, & conseruatiuè, per habitudines ad sanitatem formalem animalis. Secunda proprietas est, quod forma analoga in istis debet esse vna numero, hoc est; terminus ad quem analogata, dicunt ordinem, debet esse vnus, non solùm secundum rationem, sed etiam numero. Tertia, quod forma principalis analogati debet poni in cæterorum definitione quæ ab illa denominantur. Quarta, quod illa analoga non sint vnius conceptus, sed plurium habentium aliquam connotationem

inter

inter se,& non sicut æquiuoca à casu. Quæ omnes conditiones videri possunt in sano respectu animalis, medicinę, herbæ, &c. Insuper cõclusio vberius probata manebit ex solutionibus argumentorum:

Arg. 1. contra 1. concl. Ratio analogorum attributionis non solum debet esse diuersa in analogatis secundùm diuersas habitudines ad eundem terminum; sed etiam debet esse diuersa per realem multiplicationem; id est, debet esse realitèr, & intrinsecè multiplicata in analogatis; ergo in definitione horum analogorũ malè dicitur quod talis ratio, est eadem secundùm terminum, & diuersa secundùm diuersas habitudines ad illum; consequentia patet, & antecedens probatur; analoga attributionis verè, & proprie sunt analoga, vt omnes fatentur; ergo vere, & proprie debet illis conuenire definitio analogorum vt sic; ergo talis ratio debet

realitèr, & intrinsecè multipiicari in analogatis, probatur ista consequentia, nam quando in definitione analogorum vt sic dicitur; quorum nomen est commune, ratio verò nomini accomodata partim eadem partim diuersa; illa particula ratio, sic debet intelligi iuxta communem explicationem; quorum ratio est diuersa intrinsice in analogatis; ergo si ratio significata per nomen analogum non esset realitèr, & intrinsecè multiplicata in analogatis analogię attributionis, non conuenit illi verè & propriè definitio analogorum vt sic: papatet consequentia, quia si non inuenitur ratio analoga intrinsicè in analogatis, non verificabitur illa particula, quorum ratio, quia talis ratio non erit illorum membrorũ, in quibus non reperitur intrinsicè. ergo.

℞. Negando antecedens: ad prob concedo antecedens, & conse-

sequentiam ; & nego minorem sub sumptam: ad cuius prob. nego consequentiam ; ad eius probationem negatur quod si non inuenitur ratio analoga intrinsecè in analogatis, non verificetur illa particula ; quorum ratio ; quia licet talis ratio intrinsecè tantum reperiatur in analogato magis principali, tamen aliquo modo etiam dicitur ratio analogatorum minus principalium, quatenus etiamsi in illis non reperiatur ratio intrinsecè, dicuntur tamen talia per ordinem ad illam rationem ; & illa forma dicitur esse omnium analogatorum , nam est analogati magis principalis intrinsecè ; aliorum verò extrinsecè : & in hoc distinguntur ista analoga ab æquiuocis , quæ nullo modo habēt eundem terminum communem significatum per nomen ; sed solum habent nomen commune , sine aliqua conuenientia in re significata .

Arg.2.cõtra 2.concl.Impugnãdo primam proprietatem. Ens dicitur analogicè analogia attributionis de ſubſtantia & accidenti,& etiã de de Deo & creaturis; ſed tamen in omnibus membris formaliter & intrinſecè reperitur ratio entis; ergo malè aſſignatur illa prima proprietas. probatur minor,accidens non denominatur ens intrinſecè ab entitate quæ eſt in ſubſtantia, ſed à ſua propria entitate eſt ens; & ſimiliter creatura non denominatur ens intrinſecè ab entitate, quæ eſt in Deo, ſed formaliter ſua propria entitate eſt ens: ergo in omnibus analogatis entis formaliter & intrinſecè reperitur ratio entis.

℞. Diſtinguo minorem;in quantum ſunt membra analogiæ proportionalitatis, concedo minorem; in quantum ſunt membra analogiæ attributionis, negatur minor; ens enim analogum eſt vtraq; analogia reſpectu ſuorum inferiorum,

vt

vt in nostra metaphysica synopsi latè dicemus. Itaque si talia membra etiam non essent analoga proportionalitatis, in illis solum reperiretur ratio analoga intrinsecè in principali analogato; in aliis verò per extrinsecam denominationem: ideo enim analogia attributionis sic dicitur; quia in ea secunda analogata suscipiunt denominationem analogi per attributionem ad principale analogatum; dici autem tale per attributionem ad aliquid extrinsecum, est dici tale extrinseca denominatione.

Contra; ens dicitur analogicè analogia attributionis de substantia & accidenti, in quantum accidens est substantię effectus; & etiam de Deo & creaturis, in quantum creaturæ sunt effectus Dei; sed in quantum sunt effectus intrinsecè & formaliter habent entitatem; ergo in quãtum membra analogata analogię attributionis formaliter & in-

trinſecè includunt entitatem, p
batur minor; in tantum habent
tionem effectus, in quantum
cipiunt ſuum eſſe à cauſa; ergo
quantum ſunt effectus formal
& intrinſecè includunt entitaten

℟. Diſtinguo minorem; for
liter & intrinſecè includunt enti
tem, taliter, quod in quantum a
logata analogiæ attributionis d
tur entia ab illa entitate, qua
intrinſecè includunt; nego mi
rem, taliter quòd illa entitas
neceſſaria per modum veluti ſu
iecti, quod denominatur ens
ſolam habitudinem ad extrinſec
entitatem ſubſtantiæ, vel Dei; co
cedo minorem. Itaque accid
dupliciter denominatur ens form
liter; & idem eſt de creatura
pectu Dei; vno modo intrinſecè
entitate quam in ſe habent, & h
conuenit illis in quantum ſunt a
loga analogia proportionalitat
alio modo extrinſeca quadam
nomi-

nominatione ab entitate analogati magis principalis, quantum dicunt habitudinem ad illam.

Arg. 3. Contra eandem, impupugnando 3. proprietatem. Ista proprietas non conuenit omnibus analogis attributionis; ergo malè assignatur. probatur antecedens; sequeretur quod in definitione creaturæ, in quantum est analogatum minus principale poneretur Deus, sed consequens falsum; ergo. probatur minor; definitio debet dari per notiora ipso definito; sed si in definitione creaturæ poneretur Deus, non daretur per notiora definito, ergo probatur minor, quia Deus est minus notus nobis quam creatura; ergo.

℞. Negando minorem: ad prob. distinguo maiorem definitio debet dari per notiora, quantum ad particulas explicantes genus & differētiam, vel aliquid essentiale, concedo maiorem: quantum ad parti-

culas explicãtes aliquid extrinse
& aliquid positũ obliquè in defi
nitione, negatur maior; sicut p
ter definitur in ordine ad filium
qui tamen non est notior patre:D
us autèm solùm in obliquo, & t
quam aliquid extrinsecum poni
in definitione creaturæ, & ita no
est necesse quod sit magis notu
Vel etiam possumus alitèr dicere
quod licet Deus sit minus notus n
bis in ratione entis, non tamen
ratione terminantis habitudine
creaturę ad ipsum,& secundùm h
rationem ponitur in definition
creaturæ.

CONTROVERSIA XLVIII

*Quomodo definiantur analoga p
portionalitatis, & quæ pro-
prietates illorum?*

NOta; Analogiã proportion
tatis (quæ est illa, cuius n
mer

men eſt commune, & ratio ſubſtãtiæ ſimilis ſecundùm proportionẽ) eſſe duplicem, nempe analogiam proportionalitatis propriæ, & proportionalitatis metaphoricæ; quæ in hoc præcipuè differunt, quod in prima ratio ſignificata, per nomen analogum intrinſicè inuenitur in omnibus analogatis; & hoc modo ens eſt analogum ſubſtantiæ, & accidenti; nam ſicut ſe habet ſubſtantia ad ſuum eſſe, ita accidens ad ſuum; ratione cuius proportionalitatis, ratio entis ſignificata per nomen ſuo modo ſaluatur intrinſicè in accidenti. In analogis verò proportionalitatis metaphoricæ, ratio ſignificata intrinſicè eſt in vno, & extrinſicè in alio; Quo modo riſus eſt analogum ad riſum hominis, & viriditatem prati; quia ſicut ſe habet riſus hominis ad hominem, ſic floriditas prati ad pratum; quatenùs pratum dum floret quandam hilaritatem oſtendit, ſimilem illi

quam ostendit homo dum ridet: tametsi ratio significata per nomen risus extrinsice tantùm in prato reperiatur.

Dico 1. Analoga proportionalitatis hoc modo rectè definiuntur. Illa quorum nomen est commune, ratio verò significata eadem secundùm similitudinem, seu conueniétiam proportionum. Ita D. Th. 1. Ethic lec. 7. & q. 2. de verit. à 11. qué sequuntur omnes logici, & probatur ipsam explicando. Igitur, visio intellectualis & corporalis analogantur analogia proportionalitatis In ratione visionis; quia habent se proportionabiliter in hoc, quod sicut se habet visio intellectualis ad intellectũ, ita se habet visio corporalis ad potentiam visiuam.

Dico 2. Quatuor proprietates pro huiusmodi analogis proportionalitatis rectè assignantur. Hæc probatur communi scholarum consensu, & proprietates assignando.

Igitur

Igitur prima proprietas est, quod in his analogis non est vna ratio numerica in omnibus analogatis, sed tot sunt rationes, quot sunt membra analogata. Secunda est, In his analogis, ratio significata per nomen analogum, intrinsecè reperitur in omnibus analogatis. Tertia est, In his analogis, non est necesse quod vnum definiatur in ordine ad a iud. Quarta deniq; est, quod nomen analogum significat aliquid commune formalitèr inuentum in omnibus analogatis: quæ omnia patebunt meliùs ex solutionibus argumentorum.

Arg. 1. contra 1. concl. Quicquid explicatur per definitionem adductam analogorum proportionalitatis conuenit vniuocis, ergò malè traditur talis definitio. Consequentia patet, & antecedens probatur; etiam vniuocis nomen superioris est commune respectu inferiorum, & ratio inferior est eadem proportionabiliter;

tèr; sed nihil aliud explicatur in definitione prædictorum analogorum, vt ex ipsa patet; ergo; minor & consequētia patent, & etiam maior pro prima parte, secunda verò probatur. Illa inferiora dicuntur esse eadem proportionabilitèr, quia habent similitudinem in hoc, quod est proportionabilitèr se habere, sed etiam vniuocata alicuius superioris vniuoci, habent similitudinem in hoc quod est proportionabilitèr se habere; ergo ratio illorum est eadē proportionabilitèr. Probatur minor, ita se habet leo ad suum esse animalis, quod participat ab animali, sicut se habet homo ad suum esse; & tamen ista sunt membra vniuocata in ratione animalis, ergo.

℞. Negando antecedens: ad prob. negatur minor pro secunda parte: ad eius prob. distinguo maiorem: illa inferiora dicuntur esse eadem proportionabilitèr, quæ habent similitudinem in hoc, quod est propor-

portionabilitèr se habere; si solùm habeant talem similitudinem in aliqua maiori vnitate, & conueniẽtia, concedo maiorem; si non habeant maiorem conuenientiam, & vnitatẽ, negatur maior. & distinguo minorem; vniuocata habent similitudinem in hoc, quod est proportionabilitèr se habere, simul cũ omnimoda conuenientia, & vnitate in ratione superiori, cõcedo minorem; habent solam illam similitudinem secundùm proportionem, nego minorem, & eodem modo dicendum est ad probationem minoris, quia licet ita leo se habeat ad suum esse animalis, sicut homo se habet ad suum, pręter hoc autem habent omnimodam conuenientiam in ratione superiori, & ratio animalis est omnino eadem secundùm se in homine, & leone. In analogis autem proportionalitatis, analogata solùm debent habere conuenientiam secundum proportio-

dortio-

portionem in ratione superiori.

Arg. 2. contra 2. conclus. Impugnãdo primã & simul 4. proprieratem. Quia vtraque conuenit in hoc quod ratio per nomen analogum significata in omnibus membris reperitur formalitèr, & intrinsicè; & quia à tali ratione intrinseca denominantur talia membra analogata etiam minus principalia, non per solam habitudinẽ ad membrum magis principale. Sequitur ex hoc quod ens non dicatur analogicè ista analogia ptoportionalitatis de substantia & accidenti; sed consequens contra omnes; ergo. Sequela probatur, inter substantiã & accidens non reperitur id, quod per istas proprietates explicatur; ergo si tales proprietates debent conuenire analogis proportionalitatis, ens non dicitur analogicè ista analogia de substantia, & accidẽti. probatur antecedens, accidens nõ est ens, sed entis ens ex Arist. ergo

inter

inter ſubſtantiam. & accidens non reperitur quod per prædictas proprietates explicatur, ſcilicet, quod membra minus principalia dicantur talia per rationem analogorũ formaliter,& intrinſicè repertum in illis, & non per ſolam habitudinẽ ad membrum magis principale. probatur conſequentia,quia ſi accidens diceretur ens, ab entitate ſibi formalitèr,& intrinſicè conueniente, & non per ſolam habitudinem ad ſubſtantiam, abſolutè vocaretur ens, & non ſolum entis ens; ergo.

℞. Negando ſequelam;ad prob. negatur antecedẽs; ad cuius prob. dico,quod quando Ariſt.dixit,accidens non eſſe ens,ſed entis ens,loquutus eſt de accidenti, ſecundùm quod eſt analogum attributionis, in ratione entis, nam vt ſic denominatur formalitèr ens per ſolam habitudinem ad ſubſtantiam;vt autem eſt analogum proportionalitatis,

tatis, intrinsicè & formalitèr denominatur ens ab entitate sibi intrinseca; & adhuc in ista consideratione poterit vocari entis ens; id est, ens existens non per se sicut substantia, sed inhærens alteri enti, scilicet substantię. Cætera de analogis in metaphysica, vt in propria sede, latè tradentur.

CONTROVERSIA XLIX.

Quid sit prædicamentum?

NOta, quod cum prædicamentum sit series generum, & specierum sub aliquo supremo genere contẽtorum, talem coordinationem (quæ arbor prædicamentalis appellatur) hoc modo ordinari posse in prædicamento substantiæ; eodemque modo facili negotio fieri poterit in quocunque alio supremo genere.

Supremũ genus est sũbstãtia, quæ diuiditur in corpoream, & incorpoream. Incorporea diuiditur in

va-

varias Angelorum species. Corpus in corruptibile, & incorruptibile: Incorruptibile in species celorum. Corruptibile in viuens, & non viuens: non viuens in elementale, & mixtum. Viuens in sensibile, & insensibile quod diuiditur in varias plantarum species. Animal irrationale, & rationale, hoc diuiditur in varias brutorum species; illud in sua indiuidua nempè Petrum, & Paulum.

Dico, Prædicamentum hoc modo rectè definiri. Series seu coordinatio prædicatorum superiorum & inferiorum, ab vno supremo genere, quod prædicatur quidditatiuè de omni inferiori, vsque ad indiuiduum, quod subijcitur omni superiori. hæc conclusio patet, ex concordi logicorũ sensu, & probatur definitionem explicando. Igitur prædicamentum dicitur coordinatio, quia fit per prædicata superiora, & inferiora, magis & minus

vni.

vniuersalia ; hæc autem prædicata vocantur gradus , quia quasi scala est, in qua ascendimus, & descendimus in ipsis prædicatis constitutiuis rei : Ordinatur verò prædicamentum ad sciendum , & quia scientia medijs præmissis , & propositionibus habetur, ideo hæc prædicamentalis series ordinatur, vt sciamus veras rerum formare propositiones, & falsas euitare ,vt omnium rerum numerum facillimo negotio præ oculis habeamus ad eas formādas : sunt etenim prædicamenta rerum sedes , ad quas fere omnes res mundi reducuntur , vt indè eas adducere ad scientias comparandas possimus. Et si loquamur de prædicamento pro formali dicit relationem, quia prædicamentum formalitèr est ens rationis, non enim reperitur in rebus nisi fundamentalitèr remotè.

Arg. 1. Illa particula, quidditatiua ordinatio , uidetur voluntariè

riè addita, ergo supestua definitio; probatur antecedens; quia vt sit quidditatiua ordinatio, non videtur aliqua firma ratione colligi posse, nec definitiones pro libito sunt assignandæ, ergo.

℞. Negando antecedens: ad prob. dico, quod cum ordo prædicamentalis sit ordinatus ad qnidditatem rerum ostendendã, inde debere ex quidditatiuis constare prædicationibus

Arg. 2. Non omnia quæ ponuntur in prædicamentis ordinatè disponuntur; ergo malè assignatur adducta definitio. Probatur antecedens; indiuidua non possunt ordinatè disponi, cùm sint infinita; & maximè quia vnum sub alio non collocatur, ergo.

℞. Negando antecedens: ad prob. negatur etiam antecedens; indiuidua enim ordinabilia sunt, non quidèm in comparatione ad se, quia ita per accidens se habent, sed

in

in comparatione ad superiora, quorũ essentiæ in indiuiduis clauduntur: licet autem indiuidua multa sint non tamen infinita, cùm infinitum actu dari nequeat,

Arg. 3. Ratio prædicamenti, vel est species ad omnia prædicamenta, vel genus: sed neutrum esse potest. ergo talis ratio nec dabilis, nec definibilis. maior & consequētia patent, & minor probatur; & imprimis quod non sit species; quia duo prædicamenta substantiæ differunt numero; ergo habent supra se speciem prædicamenti substantiæ: & similitèr duo prædicamenta quantitatis; ergo habent supra se speciem prædicamenti quantitatis: ergò prædicamentum est genus ad ista duo prædicamenta substantiæ, & quantitatis. Quod si verò hoc secundum asseras; nõ videtur quomodo prædicamentum substantiæ, & quantitatis differant specie, cum eodem modo fundent intentionem

nem

nem prædicamenti; ergo.

℞. Negando minorem: ad prob. dico, quod accipiendo prædicamẽtum formalitèr, prout importat relationem rationis; est quidem prædicamentum species ad omnia prędicamenta; quia omnes istæ naturæ prædicamẽtales eodem modo fundant relationem prædicamenti, & ita illa relatio est eiusdem speciei, sicut relatio generis fundata in substantia & quantitate eiusdem est rationis; quia & si differant in ratione rei, non tamen in ratione fundandi: & duo de prædicamento substantiæ sunt quidem duo indiuidua illius intenrionis, sicut & duo de prædicamento quantitatis, sunt etiam duo indiuidua; & ista quatuor non sunt species, sed quatuor indiuidua prædicamenti; licet in genere rei prædicamentum substantiæ & quantitatis, diuersitatem aliquam habeant, sicut indiuidum substantiæ, & accidentis.

CON-

CONTROVERSIA L.

Quot ſint prædicamenta? & quomodo diſtinguantur?

NOta, à Murmelio in ſua dialectica decem Ariſtot. prædicamenta, hoc eleganti comprehendi verſu.

Arbor, ſex, ſeruos, feruore, refrigerat, vſtos,
Ruri, cras, ſtabo, nec tunicatus ero.

Ex quibus voculis, Arbor, ſignificat ſubſtantiam; ſex quantitatem; ſeruus relationem, feruor qualitatem; refrigero actionem; vſtus paſſionem; Rus vbi; cras quando; ſto ſitum; & denique tunicatus, ſignificat habere.

Dico 1. Decem eſſe prædicamenta, nempè ſubſtantiam, quantitatem, & reliqua recenſita, nec plura, nec pauciora. hæc eſt Ariſt. eamque docet

docet D.Tho.5. metaph. lec. 9. & 3. physſ.lec. 5. quos ſequuntur concorditer logici, & metaphyſici, & probatur ratione deſumpta ex S.D. Prędicamentum eſt ſeries prædicabiliũ; ergo tot erunt prædicamenta, quot fuerint coordinationes, ſeu ſeries prædicabilium, ſed hæc ſunt tantùm decem, ergo decem tantum ſunt prędicamenta. maior & conſequentia patent; & minor probatur ex diuerſo modo prædicandi rerum, qui conſequenter arguit diuerſum modum eſſendi: quia prædicatum tripliciter poteſt ſe habere ad primam ſubſtantiam. Vno modo, quando prædicatum eſt id, quod eſt ipſum ſubiectum, non ſolum quantum ad modum ſignificandi, ſed etiam quantum ad rem ſignificatam, vt cum dicimus: Petrus eſt homo, animal, &c. & huiuſmodi prædicata conſtituunt prædicamentum ſubſtantiæ. Secundò modo, cum prædicatum ſumitur ſecundum quod

inest subiecto; & tunc vel prædicatum inest subiecto absolutè, vt consequens materiam, & sic est quantitas; vel vt consequens formam, & sic est qualitas: vel inest non absolutè, sed in ordine ad aliud, & sic est relatio. Tertio modo, cum prædicatum sumitur ab eo, quod est extra subiectum; & hoc dupliciter: nam vel id à quo sumitur prædicatum, non omnino est extra subiectum; sed secundum aliquid est in illo; & tunc, si sit secundum principium, est actio; si verò secundum terminum, passio. Vel id à quo sumitur prædicatum est omnino extra & tunc si non sit mensura subiecti, prædicatur per modum habitus. Si verò sit mensura; cum mensura extrinseca sit, vel tempus, vel locus; ex tempore sumitur quando, & ex loco vbi; non considerato ordine partium in loco: eo autem considerato, erit situs. ergo decem tantum sunt presata prædicamenta.

Dico

Dico 2. Omnia prædicamenta distinguntur ex natura rei, & ante omnem operationem intellectus. hæc statuitur contra Suar. & alios ex modernis; est tamen receptissima in schola Angelica, & probatur ex D.Th.in 2.dist.12.q 1.a.1.ad 3.& q. 7. de pot. a. 3. ad 2. Vbi affirmat prędicamenta se ipsis distingui, seu esse primò diuersa: ergo inter illa concedenda est aliqua actualis distinctio ex natura rei, & antè operationem intellectus. Antecedens præterquam quod est D.Th. conceditur ab omnibus, & consequentia probatur quadrupliciter. 1. quia quę se ipsis distinguntur, sunt principia actualis distinctionis in alijs. Seu ipsæ rationes actu differendi: ergo magis ipsa distinguntur inter se. 2. quia ea quæ habent diuersas essentias, quarum vna actu non est alia, neque econtra; distinguntur ex natura rei, sine aliquo ordine ad intellectum: sed quæ pertinent ad di-

diuerſa prædicamenta, ſunt huiuſmodi, ſiquidem diſtinguntur, tam penes gradum genericum, quam differentialem; & per conſequens differunt totaliter in natura; ergo diſtinguntur ex natura rei ſine ordine ad intellectum. 3. Quia quælibet propoſitionem in qua vnum prædicamentum negatur de alio, ſecundùm ſe eſt actu immediata, & per ſe nota, vt omnes fatentur; ergo ſecluſa operatione intellectus, quidditas & eſſentia ſubſtantiæ, actu non eſt quidditas & entitas quantitatis, & ſic diſtinguentur entitatiuè. Quarto denique probatur cõſequentia: quia maior ſeparatio eſt in primò diuerſis; quam in realiter diſtinctis; ſiquidem hæc poſſunt vniuocè conuenire; illis verò nil eſt commune præter nomen. Sed prædicamenta ſine ordine ad intellectum ſunt actu 1. diuerſa; alias non darentur à parte rei decem ſuprema genera entium; ergo etiam ſunt

actu distincta ante operationem intellectus.

Arg. 1 contra 1. concl. Probando esse plura quã decem prædicaméta. Habere vestem constituit prædicamentũ distinctũ à cæteris prædicamentis accidentium, & etiam à prędica mento substantiæ, in qua vestis continetur: ergo similiter habere quãtitatem, vt longitudinem; habere qualitatem, vt albedinem, constituent diuersa prædicamenta à quantitate, & qualitate. Antecedens patet; & consequentia probatur ex paritate rationis; quia non videtur cur habere vestem sit distinctum prædicam. à cæteris omnibus, & non habere quantitatem, seu qualitatem. ergo.

℞. Negando consequentiam; discrimen est; quia hoc quod est habere qualitatem aut quantitatem non afficit nouo aut diuerso modo subiectum, in quo est ab eo, quo afficit illud qualitas, vel quantitas.

nam qualitas inhæret subiecto illud qualificando;& quantitas quãtificando; & hoc est habere qualitatem, vel quantitatem; vnde eodem modo subiectum afficiunt, ac ipsa qualitas, & quantitas. Cæterum hoc quod est habere vestem, & vestis ipsa, diuerso modo afficiunt subiectum: nam habere vestem, cum sit quoddam accidens, inhæret subiecto, & ideo afficit illud intrinsecè illi inhærendo: vestis tamen cùm sit substantia, non inhærea ei; & ideo non afficit illud intrinsicè, sed tantùm extrinsicè; & propterea diuerso modo afficiunt: vnde habere vestem constituit diuersum prædicamētū ab eo in quo reperitur vestis, nempè à prædicamento substantiæ; quod quidem non faciunt ista duo, scilicet habere qualitatem, & ipsa qualitas; Idēque de quantitate dicendum.

℞ 2. Disparem aliam esse rationem; quia habere qualitatē, &c. est

est post prædicamentum, quia solùm dicit quendam modum entis imperfectum; Cæterum habere vestem, quia est accidens quoddã inter habitam vestem, & habentem illam, & est accidens completum, vt patebit ex infrà dicendis de prædicamento habitus; ideo constituit prædicamentum.

Arg. 2. Contra eandem. habere, & haberi constituunt duo prædicamenta: ergo erunt plura prædicamenta quam decem, probatur antecedens; agere, & pati, constituunt duo prędicamenta: ergo & habere, & haberi. Consequentia probatur: sicut actio importat principium intrinsicè, & terminum extrinsicè, & passio èconuerso, principium scilicet extrinsicè, & terminum intrinsicè: ita similiter habere importat principium habens intrinsicè, & rem habitam extrinsicè; & haberi èconuerso importat rem habitam, siue terminum in-

trinſecè, & principium habens extrinſecè; ergo ſi agere, & pati conſtituunt duo prædicamenta; ſimilitèr habere & haberi duo prædicamenta conſtituent.

℞. Negando antecedens: ad prob. nego conſequentiam, ad cuius prob. dico, diſcrimen eſſe; quia agere & pati aliquid realè important, vt per ſe patet. Cæterùm rem haberi nil reale dicit in ea, ſed tantum rationis reſpectum, vnde nullum prædicamentum conſtituet.

Arg. 3. contra eandem. Vmbra corporis eſt verum ens reale; ſed tamen in nullo ex decem generibus aſſignatis collocatur; quia nullum ex his eſt aſſignabile; ergo. maior patet, quia vmbra eſt imago corporis opici; ſed imago eſt verum ens reale, vt experientia conſtat; mouetur enim ad motum corporis, & per ſpeciem ſui videtur; ergo.

℞. Negando minorem; & dico quod vmbra importat tria, figuram

ram de prædicamento qualitatis à corpore opaco causatam; & relationem imaginis ad corpus, vt ad prototypum; & denique lucis priuationem. Vndè vmbra ratione primi, putà figuræ, est in prædicamento qualitatis; ratione relationis imaginis, in prædicamento ad aliquid: ratione verò priuationis in nullo prædicamento est directè, sed so'ùm reductiuè in prædicamento lucis priuatæ. Quia verò primum importat in recto, & vt rationem formalē; cætera autèm consecutiuè; ideo vmbra absolutè in prædicamento ponitur qualitatis.

Arg. 4. Contra eandem, probando esse pauciora quam decem prædicamenta. Situs non constituit distinctum prędicamentum; ergo non sunt 10. prædicam. probatur antecedens, esse in tempore ordinatè non constituit prædicamentum distinctum, à prædicamēto quando, Vndè non est aliud prædicamentū

quo homo est in tempore, & aliud, quo ordinatè est in illo: ergo similiter esse in loco modo determinato, scilicet cum tali ordine partium, non constituit prædicamentum aliquod distinctum, à prædicamento vbi, & sic situs nõ erit speciale prędicamentum. Antecedens patet, & consequentia probatur ex paritate rationis. ergo.

℞. Negando antecedens: ad cuius prob. negatur consequentia; discrimen est; quia esse in tempore, & esse ordinatè in tempore, ex adiacentia temporis causatur, eò quod tempus est numerus motus. Cæterùm esse in loco ordinatè, non causatur immediatè ex adiacentia ipsius loci; solùm enim ab illa causatur esse in loco prẹcisè; & hoc ideo est, quia locus non importat dispositionem partium, & sic tempus importat numerum motus ideo esse ordinatè in loco, aliquid aliud dicit, quam esse prẹcisè in illo;

lo;

lo; & sic situs speciale est prædicamentum.

Arg. 5. contra eandem. Tot sunt prædicamenta, quot sunt modi prę dicandi entis; sed tantùm sunt duo modi prædicandi entis: ergo duo tantùm sunt prædicamenta; minor probatur; entis per se, scilicet substantiæ, tantum est vnùs modus; ergo & accidentis tantùm vnus modus erit. Antecedens patet, & consequentia probatur; quia quot modis dicitur vnum oppositum, tot dicitur & aliud; ergo si substantiæ est tantùm vnus modus, vnicus etiam erit accidentis, quod substantiæ opponitur.

℞. Negando minorem: ad prob. negatur consequētia, ad cuius prob. dico; opposita esse in duplici differentia. Alia enim sunt opposita formalitèr secundùm proprias differentias, & quæ mutuo se expellunt. Alia verò sunt opposita penes perfectum, & imperfectum; aut pe-

nes magis, & minus perfectum essentialiter; quo pacto substantia & accidens opponuntur, & vniuersaliter differentiæ eiusdem generis: Regula ergo adducta de oppositis, locum habet in oppositis 1. modo; non autem hoc 2. modo.

Arg. 6. contra eandem. Tot sunt prædicamenta, quot sunt prædicabilia; sed prædicabilia sunt tantùm quinque; ergo tàntum erunt quinque prædicamenta.

℞. Negando maiorem; quia numerus prædicabilium peti debet ex numero inferiorum, de quibus vniuersalia prædicãtur; & quia tantùm sunt quinque genera inferiorum, tantùm erunt quinque prędicabilia. Cæterum cathegoriarum numerus petendus est ex diuerso prædicandi modo de prima substã tia; & quia decem modis contingit aliqua attributa prædicari de illa, decem erunt cathegoriæ

CON-

CONTROVERSIA LI.

Quæ entia directè in prædicamentis collocentur.

NOta 1. Quaſdam eſſe ſubſtantias, quæ licet ſint entia ſubſiſtētia, ſunt tamen imperfectæ naturę & per modum viæ, ac tendentiæ ad perfectiorem terminum, vt embrio reſpectu animalis perfecti, & iſta reductiue ponuntur in ſpecie ſui termini: ſunt enim ex natura ſua iſtæ ſpecies quaſi viæ ad aliud, & quaſi motus, quatenus ſunt in ſtatu imperfecto, & tendente adhuc ad terminum, in quo perficitur generatio, & ſic habent quaſi rationem partis, non in componendo, ſed in tendendo ad vltimam perfectionem.

Nota 2. Quòd modi entium ſunt in duplici differentia: quidam enim ſunt, qui pertinent ad ipſam compoſi-

positionem, vel complementum alicuius rei; vel naturæ, sicut constitutio substantię fit per vnionem. & completur per subsistentiam; accidens per inhærentiam, qualitas per gradus intensionis: & isti modi reducuntur ad prædicamentum rei, quam componunt, aut etiam quam terminant modificando, siue partes componendo. Alij autem sunt modi, neq; ad constitutionem, neque ad complementum rei pertinentes, sed tantùm ex aliqua extrinseca ratione, seu principio conuenientes, & tales non repugnat prædicamenta per se sensim constituere, vt vbi, situs, &c. vt dicemus infrà. Hic autem supponimus, alia directè, & alia per reductionem, & indirectè in prædicamentis collocari.

Nota 3. Ea quę reductiuè in prædicamentis collocantur ad sex ordines reuocari posse. 1. Omnes partes reductiuè collocantur in cathegoriis, in quibus directè; & per

se

ſe continentur earum tota. 2. differentiæ ſunt in cathegoria ſuarum ſpecierum 3. Principia & termini continentur reductiuè in cathegoria vbi ſunt res ortæ ex principijs, & terminatæ per ſuos fines. 4. Motus continetur in cathegoria ſui termini, vt dealbatio in qualitate, in qua eſt albedo. 5. Priuationes & negationes reducuntur ad cathegoriam, in qua ſuæ formæ, & affirmationes continentur. 6. Deniq; entia poteſtate, ſiue poſſibilia formalitèr vt talia, reducuntur ad categorias in quibus ſunt entia actu contenta; vt homo merè poſſibilis, reducitur ad prædicamentum ſubſtantiæ, in quo eſt homo actu: nomine autem entis in actu intelligi debet, vel ens quod actu exiſtit, vel illud quod denotat intrinſecum ordinem ad exiſtentiam, & ita Antichriſtus qui non eſt, erit tamen, eſt actu ens, vt hic loquimur, quia licet non exiſtat actu, habet tamen intrinſecum

ordi-

ordinem ad exiſtentiam, & ita actu collocatur in cathegoria ſubſtantię, in ratione indiuidui.

Dico, entia rei, per ſe, completa, incomplexa, vniuoca, finita, & eſſentialia directè in prædicamentis collocari. Hæc eſt concors logicorum, & metaphyſicorum ſententia, & probatur, & Imprimis debere eſſe entia realia inde liquet, quia ens quod diuiditur in decem prædicamenta eſt ens reale, vt patet ex hisquæ ſupra docuimus. Deinde cæteras conditiones aſſignatas requiri; & cõnſequentèr a rect* linea prædicamentali excludi entia per accidens, incompleta, complexa, æquiuoca, analoga, infinita, & prædicata accidentalia, probatur ex ipſa definitione prædicamenti. Cum enim prædicamentum ſit ſeries, ſeu ordinatio prædicabilium: ad hoc, vt aliqua per ſe collocentur in prædicamento, requiritur & quod propriè, & ſimplicitèr ſint prædicabilia,

&

& quod habeant inter ſe propriam ſeriem, ſeu ordinationem; ſiquidem verba in definitione ſtant ſimpliciter, ſed vt ſint ſimpliciter prædicabilia, debent eſſe entia per ſe, completa, incõplexa, vniuoca, & finita. & vt habeant propriam ſeriem, ſeu coordinationem, debent eſſe prædicata eſſentialia, ſiquidem solùm inter ea poteſt eſſe eſſentialis ſubordinatio ſuperioris, & inferioris: ergo omnia præaſſignata requiruntur.

Arg. 1. Quòd non requiratur eſſe ens rei, vt in prædicamento ponatur. Cathegoria eſt ſeries, & ordo generum, ſpecierum, & indiuiduorum: ſed omnia iſta ſunt entia rationis; ergo non requiritur vt ponatur in categoria, quòd ſit ens reale.

℞. Diſtinguo minorem: ſunt entia rationis, ſi ſumantur ſecundò intentionaliter, concedo minorem; ſi 1. intentionaliter, vt hic a nobis ſumitur, negatur minor. Igitur ge-

ne-

nera, species, & indiuidua dupliciter sumi possunt; 1. pro naturis denominatis: 2. pro notionibus denominantibus. Est autem cathegoria series, seu ordò naturarum, non notionum, in sensu quo hic loquimur; si enim de cathegoria rationis, & pro formali agamus, erit series & ordo generum, specierum, & indiuiduorum pro formis denominantibus.

Arg. 2. Probando non requiri esse ens per se. Concretum accidētis vt album, quod est ens per accidens, ponitur in prædicamento qualitatis, cùm significet albedinem, quæ qualitas est: ergo &c.

℞. Negando antecedens: concreta enim accidentium apud logicum, non continentur per se in categoriis, cùm sint entia per accidens diuersorum prædicamentorū. & consequentèr nequeant denominari genera, & species. Cæterùm apud Metaphysicum talia concreta

erunt

erùnt entia per se, quia significant naturam abstractorum, vndè apud ipsum in cathegoriis ponentur, vt dicemus infrà.

Arg. 3. Probando non requiri esse incomplexa. Definitio quid complexum est; sed continetur in cathegoria, ergo. Probatur minor, quia Arist. 1. de Anima cap. 1. præcipit ex cathegorijs esse hauriendas rerum definitiones, ergo &c.

℞. Negando minorem: ad prob. dico definitiones quidem haurien-das esse ex categoriis: non tamen inde sequi, ipsas in cathegoriis comprehendi, imo excludit ob suā complexionem, cùm prædicamenta sint voces simplices.

Arg. 4. Probando non requiri esse vniuoca. Indiuidua collocantur in recta serie prædicamentali, vt Pet. in prædicamento substantiæ: sed indiuidua nō sūt vniuoca, ergo. Probatur minor, quia vniuoca habent nomen & rationem communia; sed

in-

ſed indiuidua nil habent commune, ergo.

℞. Negando minorem: ad prob. dico duplicem eſſe vniuocationem ſeu ſynonimiam; vnam poſitiuam, & aliam negatiuam: Poſitiua dicitur, cuius nomen & ratio eſt multis communis: Negatiua verò eſt, naturam non eſſe æquiuocam, aut analogam. Itaq; nil aliud erit, eſſe aliquid vniuocum negatiuè, quàm non eſſe æquiuocum, vel analogũ, de quo genere vniuocationis hic loquimur, dicentes naturam prædicamentalem eſſe ſynonimam; qua ratione indiuidua verè ſunt vniuoca.

Arg. 5. Probando non requiri eſſe entia finita. Si eſſet linea infinita, eſſet in prædicamento quantitatis, ergo.

℞. Negando conſequentiam; illud enim infinitum ens quod arcetur à cathegoriis, eſt infinitum ſimplicitèr, abſolutè, & ſecundùm enti-

entitatem: linea verò talis, solum esset infinita secundum quid, putà secundum longitudinem; esset tamen in sua entitate finita; ac proinde in prædicamento poneretur.

CONTROVERSIA LII.

Vtrum concreta, an verò abstracta substantiarum, ponantur directè in prædicamento?

DICO 1. Nomina significantia substantiam in concreto, directè ponuntur in prædicamento substantiæ. hæc est D.S. de ente, & essentia cap.7. quem sequuntur cõcorditer logici, & probatur 1. ea, quæ ponuntur directè in prædicamento substantiæ, sunt entia per se, completa, & perfecta, sed entia per se completa & perfecta, solum important nomina significantia substantiam in concreto, ergo solum

illa

illa ponuntur directè in prædicamēto substantiæ; maior constat ex ijs, quæ docuimus in præcedenti controu. minor etiam & consequentia sunt per se notæ.

Probatur 2. Illa ponuntur directè in prędicamentis, quæ possunt subire rationem generis, vel speciei; sed concreta substantię sunt huiusmodi. ergo. maior patet, ex his quæ supra diximus; & minor probatur, quia homo. v g. & species, & animal genus; ergo.

Dico 2. Substantiæ in abstracto, vt humanitas, animalitas, non ponuntur directè in prædicamento substantiæ. Hęc est concors logicorum, & metaphysicorum sensus, patet ex præcedenti conclusione, & vlterius probatur. Substantia in abstracto importata, non est substantia integra, & completa: ergo non potest poni directè in prędicamento. Antecedens patet, quia humanitas est pars hominis. Et consequē-

tia

tia probatur, quia in prædicamento substantiæ directè solum ponitur substantia completa, & integra, vt iam diximus. ergo.

Arg. 1. contra 1. concl. Hæc nomina sensibile, aut rationale, significant substantiam in concreto, vt patet; sed tamen non ponuntur in recta linea prædicamentali substantiæ; sed solum ad latus cum sint differentiæ: ergo vniuersaliter loquẽdo non est verum dicere, quod substantię in concreto ponantur directè in prędicamento.

℞. Distinguo maiorem; significant substantiam in concreto, ita vt dicantur in quid, nego maiorem; ita vt dicantur in quale, concedo maiorem; in prædicamento autem substantiæ ponuntur directè solum ea nomina significantia substantiam in concreto, quæ dicuntur in quid; non verò ea quæ dicuntur in quale, sicut sunt differentiæ; quia prædicamentum est prædicabilium coordinatio

natio

natio, in qua superiora de inferioribus dicuntur in quid; non verò esseries eorũ, quæ dicuntur in quale, quia ea quę in quale dicuntur nequeũt efficere coordinationẽ superiorũ prædicabiliũ de inferioribus.

Arg. 2. & simul impugnatur hæc solutio; plura sunt nomina significantia substantiam in concreto, quæ dicuntur in quid; sed tamen non ponuntur in recta linea prædicaméti substantiæ: ergo falsa conclusio, & data solutio nulla. probatur minor; hoc nomen, anima, significat substantiam in concreto; & dicitur in quid de animabus pluribus numero differentibus; quia hæc prædicatio; Hæc anima est anima, est in quid; & tamen anima non ponitur directè in prędicamento. ergo.

℟. Negando minorem: ad prob. dico, quòd anima dicitur in quid per modum incompleti, & ideo nõ ponitur in prædicamento; quia ea

quæ

quæ directè in prædicamentis collocantur, debent esse nomina significantia substantiam completam in concreto.

Arg. 3. contra 2. concl. Nomina significantia substantiam in abstracto, vt humanitas, vel animalitas; necessariò sunt, vel prima vel secunda substantia: ergo necessariò directè collocantur in prædicamento substantiæ. consequentia patet, & antecedens probatur; prædicta nomina necessariò continētur sub aliquo membro diuidentium substantiam, vt sic adæquatè: sed talia membra sunt prima & secunda substantia. ergo.

℞. Negando antecedens: ad cuius prob. negatur maior; quia substantia in abstracto significata non est substantia completa; ideo neque continetur sub membris diuidentibus substantiam vt sic, putà sub prima aut secunda, quæ sunt substantiæ completæ.

CONTROVERSIA LIII.

Vtrum concreta, an verò abſtracta accidentium ponantur directè in prædicamentis?

NOta, quædam contineri in cathegorijs apud metaphyſicos, quæ non collocantur in eiſdem apud logicos, quod prouenit ex diuerſo modo conſiderandi res ipſas, quia metaphyſicus conſiderat res ea ratione, qua habent naturam, & eſſentiam; & ſic prædicamentum metaphyſicum ſubſtantiæ eſt quidditas ſubſtantiæ, vt habet talem eſſentiam, quæ determinat ens ad rationem ſubſtantiæ per eſſe cõpletum, eodemque modo dicendum de quocumque alio prædicamento; vnde prædicamentum metaphyſicum non dicit amplius, quam rerum quidditates, quæ ſunt primò diuerſæ. logicus autem agit de rebus

prout

prout subijciuntur secundis intentionibus, & ita solum ea quæ apta sunt denominari genera, & species continentur in cathegoriis logicis; cætera verò quę talia denominari nequeunt, nullatenus collocabuntur. Vnde album v.g. ad metaphysicum pertinebit prædicamentum, quia significat quidditatem qualitatis, quod est esse qualificatiuum substantiæ, non verò pertinebit ad prædicamentum logicum, quia præter hoc requiritur, quod illa quidditas sic importetur, vt possit rationem generis, vel speciei fundare, quod albo conuenire nequit, vt per se patet.

Dico 1. Concreta accidentium ponuntur directè in proprio prædicamento metaphysico. hanc docet Caiet. & plures alii, & probatur. In cathegoriis metaphysicis continentur omnia illa, quę habent naturam & essentiam; sed concreta accidentium habent vnam & ean-

 dem

dem naturam & essentiam cum abstractis; etenim iuxta Arist. album & albedo sunt vnum & idem, quia album solum albedinem significat quia eadem est forma accidentium secundum rem, siuè sumantur concretè, siuè abstractè; ergo metaphysicè loquendo concreta accidentia in prædicamentis directè ponentur

Dico 2 Accidentia concretiue sumpta, vt album, vel musicum, non ponuntur directè in cathegoriis apud logicum, sicut genera, vel species, sed solũ reductiuè. hæc statuitur contra Niph. Tolet. & alios; est tamen communis inter logicos, & probatur. Quæ collocantur in recta linea prædicamentali, debent esse Vnum ens per se, quia entia per accidens, cùm non dicant vnam naturam, non collocantur in prædicamento; sed concreta accidentium non sunt vnum ens per se, ergo nõ collocantur in prædicamento; probatur minor, quia ex coniun-

ctione

ctione accidentis cum subiecto non resultat aliqua vna natura, sed iunguntur res diuersorum prædicamẽtorum, ergo concretum accidentale non est ens per se; ad hoc enim erat necessarium vt ex subiecto & accidenti, quod componit concretum, vna natura resultaret.

Conf. Concretum accidentale non est sola substantia, sed est substantia, & accidens: ergo est subiectum substantiale cum forma accidentali; sed hoc subiectum cum tali forma non est ens per se, quia constat ex rebus diuersorum prædicamentorum; ergo hoc subiectum cum forma non potest induere intentionem generis, & speciei; ergò non potest poni in prædicamento. Ea enim quæ in prædicamento collocantur, generis, vel speciei, vel indiuidui rationem induunt.

Dico 3. Accidentia in abstracto directè ponuntur in suo proprio prędicamento accidentis. Hæc est

Arist. 3. top. cap. 1. quem sequuntur omnes logici, & metaphysici, & probatur 1. Quia tunc purè importatur natura accidentis, & non importatur coniunctio aliqua rerum diuersorum prædicamentorum; ergo illæ naturæ sic importatæ collocabuntur in prædicamentis accidentium.

Probatur 2. quia essentiæ accidentium collocantur in prędicamentis, non in concreto significatæ, vt iam diximus; ergo in abstracto. Probatur consequentia, quia non possunt aliter accipi, nisi vel concretè, vel abstractè. ergo.

Conf. Accidentia in abstracto induunt rationem generis, speciei, & indiuidui, vt per se patet; non autem si concretè sumantur; ergo abstractè sumpta in prędicamentis ponentur.

Arg. 1. contra 2. concl. Accidentia

tia in concreto habent naturam definibilem; ergo & directè ponibilem in prædicamento. Consequentia patet; & antecedens probatur, habent operationem, ſicut calidum calefacit, ſed operatio eſt ſignum naturæ, quæ operationis eſt principium. ergo.

℞. Negando antecedens; concreta enim accidentium non definiuntur quidditatiuè, niſi ratione ſui formalis cui eſſentialia ſunt prædicata, quæ in definitione ponuntur. Concretum autem vt conflatum ex ſubiecto & accidenti, ſolum definitur definitione quid nominis, vt cum dico; album eſt habens albedinem. Et ad prob. antecedentis dico, quod concreta accidentium habent operationem ratione formæ, quæ illius operationis principium eſt, non ratione tertiæ naturæ reſultantis ex accidenti, & ſubiecto.

Arg. 2. contra eandem. Si accidens

densin concreto non ponitur in prędicamento, hoc maximè esset, quia accidens in concreto importat subiectum, quod est alterius generis, & extraneum, sed hæc ratio nulla; ergo. maior patet, & minor probatur; accidens in abstracto etiam connotat subiectum, & dicit illud in obliquo, & per illud in obliquo connotatum definitur; sed hoc non obstante ponitur directè in prædicamento: ergo licet accidens in concreto importet subiectum, quod est extrinsecum, non repugnat quin ponatur directè in proprio prædicamento.

℞. Negando minorem: ad prob. dico, quòd non eadem modo accidens in concreto, & in abstracto connotat subiectum; quia in abstracto cõnotat illud non vt intrinsicè inclusum, sed vt extrinsecum terminum suę habitudinis; quæ cõnotatio suæ simplicitati nõ præiudicat. Cęterùm accidens in concreto con-

connotat subiectum, illud quidem includēdo, quod repugnat eius simplicitati, & consequentèr vt ponatur logicè in prædicamento.

Arg. 3. contra eandem. Apta subire intentionem generis & speciei, directè in suis ponuntur prædicamentis; sed concreta accidentium sunt huiusmodi. ergo. maior patet, & minor probatur; quia hæc prædicatio, album est coloratum, est prædicatio generis de specie. ergo.

℞. Negando minorem: concreta enim accidentalia non sunt apta per se primò suscipere intentionem generis; vel speciei, sed tantum secundariò, & ratione formarum, & consequentèr reductiuè tantū erunt prædicationes primi, aut secùndi prædicabilis; imò ex eorum natura solum pertinent ad quintum prædicabile; & ita logicè loquendo solùm reductiuè ponuntur in prædicamento: tametsi metaphysicè directè ponantur.

Arg. 4. Contra eandem; ſubſtantia in concreto, & non in abſtracto conficit prædicamentum, vt ſupra docuimus; ergò ſimilitèr accidens in concreto prędicamentum conſtituet. probatur conſequentia ex paritate rationis, quia ſubſtantia in concreto ideo conficit prædicamentum, quia vt ſic ſumitur completè, & plus entitatis habet; ſed concreta accidentium ſunt magis entia quàm abſtracta, & ſumuntur completè, hoc eſt cum ſuo effectu formali, & vltimo complemento, quod eſt terminatio ſubiecti. ergo, &c.

℞. Negando conſequentiam: non enim eſt eadem ratio de ſubſtantia in concreto, ac de accidenti: & diſcrimen eſt, nam ſubſtantiæ in concreto ſunt entia per ſe completa complemento ſui generis, & ſic ſunt apta denominari genera & ſpecies, vnde directè in prædicamento ponuntur. Cæterùm concre-

cre-

ereta accidentalia, quia ſunt entia per accidens, non ſunt apta ſuſcipere denominationem generis, aut ſpeciei, & ideo logicè loquendo, ſolum reductiuè in prædicamento ponentur: In quo non ideo aliquid ponitur, quia plus entitatis babeat, ſed quia genus, vel ſpecies dici poſſit, quod ſolis conuenit abſtractis accidentium.

Arg. 5. contra 3. concl. Accidentia in abſtracto ſignificantur per modum per ſe ſtantis, & per modum ſubſtantiæ; ergo non poſſunt collocari in prædicamento. probatur conſequentia, quia vt collocentur in eo, debent importare proprium modum ſuum, quod eſt alteri inhærere; ergo.

℞. Negando conſequentiam ad prob. dico, quod licet non importentur vt actualitèr inhærẽtes formę accidentales abſtractæ, importantur tamen vt inhærentes aptitudine, quod ſufficit vt habeant ve-

ram essentiam accidentium, quia actualis inhærentia non est de essentia accidentium, sed solùm aptitudinalis, vt in Metaphysica dicemus.

CONTROVERSIA LIV.

Quæ sit formalis ratio constitutiua substantiæ prædicamentalis?

NOta 1. Quod substantia in præsenti non accipitur pro quidditate, seu essentia rei; sic enim non est speciale prædicamentum, sed generalis ratio cuiuscunque quidditatis, vel essentiæ: & solùm opponitur substantia sic sumpta prædicato accidentali, non accidenti prædicamentali, quia etiam hoc accidens suam quidditatem habet. Quarè sumitur substantia in præsẽti, pro ente per se, id est, quod opponitur accidenti inhærenti, seu exi-

existenti in alio. Hæc autem proprietas existendi per se intelligitur, vel secundum considerationem absolutam, & in ordine ad se, & sic dicitur subsistens, quasi non indigens alio vt substentetur, sed in se sistens vel dicitur secundum habitudinem ad alia, quatenùs illa sustentat in esse, & sic dicitur non solùm subsistens, sed etiam substans. Constitutio autem substantiæ, vt est primum prædicamentum sumitur per ordinem ad istos duos actus, qui sunt subsistere, & substare, & subsistere dicitur in ordine ad se, & per ordinem ad proprium esse, substare verò per ordinem ad sustentata, puta accidentia.

Nota 2. Quod quando dicitur substantia. ens per se subsistens. ly; esse per se, sumi posse, vel negatiuè vel positiuè. Negatiuè sumitur pro ipsa negatione dependentiæ, & cõmunicationis ad aliud; positiuè, pro illa perfectione essendi, quæ excludit de-

dependentiam ab alio. Poteſt etiã ly, per ſe, triplicitèr ſumi, primò vt diſtinguitur contra per accidens, & ſignificat quod verè habet vnicã eſſentiam, hoc autem modo commune eſt omnibus prædicamentis, vt patet; ac proinde non poteſt eſſe conſtitutiuum ſubſtantiæ. 2. vt diſtinguitur contra, per aliud, & valet idem, quod ens à ſe: & hoc modo nulli creaturæ conuenit, ſed ſoli Deo, & ſic neque prædicamentum ſubſtantiæ conſtituet. 3. tandem ſumitur, eſſe per ſe, vt diſtinguitur ab eſſe in alio, quod eſt proprium accidentium, vt ſcilicet ſignificat id, quod ex natura ſua poſtulat per ſe ſtare independentèr à quocunque ſubiecto ſuſtentante. Vnde ſubſtantia prout eſt primum prædicamentum deſcribitur, quod ſit; ens per ſe exiſtens: propriè enim definiri non poteſt, cum ſit ſupremum genus, quod non conſtat ex genere, & differentia.

Di-

Dico 1. Perseitas substantiæ, siue ipsius essentialis ratio, non consistit in sola negatione, sed in ratione positiua. hæc statuitur contra Sonc. est tamen concors logicorũ, & Metaphysicorum sensus, & probatur 1. esse per se, est nobilius, quã esse in alio, & perfectius; sed esse in alio, est positiuus modus essendi, scilicet per inherentiam, & vnionem ad aliud. ergo esse per se non est pura negatio, sed aliquid positiuũ, sola enim negatio, & exclusio alicuius rei positiuæ non constituit aliquid perfectius, sicut negatio bruti sola non constituit perfectionem hominis.

Probatur 2. Nullum ens reale positiuum potest constitui in sua essentia per solam negationem, aliàs pura negatio esset natura aliqua positiua, quod implicat; sed substantia est ens reale positiuum, omniumque perfectissimum: ergo non potest perseitas eius, & essentia consistere in sola negatione.

Pro-

Probatur 3. In qualibet re essentia debet esse omnium primum à quo cætera oriantur, quæ cum illa connexionem habent: sed negatio essendi in alio, non potest esse 1. quod inuenitur in substantia, ergo probatur minor; quia quæcunque negatio innititur alicui affirmationi, & causatur ab ea: omnis enim negatio debet fundari in aliquo positiuo, aliàs esset purum nihil; & sic non constitueret positiuum ens, quale est substantia: Ideo enim homo non est lapis, quia est rationalis. ergo ideo substantia non est in alio tanquàm in subiecto: quia essentialitèr petit esse per se; ac proinde hoc præcedit talem negationem.

Dico 2. Substantia non constituitur in sua essentiali ratione, per hoc quod est subijci, aut substare accidentibus. hæc statuitur contra Boet. & alios; est tamen communis Scholarum sensus, & probatur.

Su-

Subiici, seu substare accidentibus, non est primum quod inueniatur in substantia; ergo subiici, aut substare accidentibus, non potest esse ratio essentialis substantiæ, sed proprietas ab illa dimanans. Consequentia patet, & antecedens probatur dupliciter. 1. quia prius est rem in se, & per se esse, quam quod alijs fundamentum, aut fulcimentum præstet, eaque sustentet. 2. quia nō ideo substantia in se, & per se existit, quia substat accidentibus, sedècontra, ideo illis substat, quia est res in se, & per se subsistens. ergo.

Confir. Quia substantia non definitur essentialitèr per habitudinē ad accidentia: ergo subijci, seu substare illis, non potest esse constitutiuum essentiale ipsius. Consequentia patet, quia subijci, seu substare intrinsicè dicit ordinem ad accidentia, vt patet. Antecedens verò probatur, tum quia ex Arist. 7. metaph. cap. 1. Substantia est prior definitione

tine accidentibus: Tum etiam, quia iam substantia haberet definitionem incompletam, seu ex additione, sicut accidentia; quod tamen est falsum, ergo.

Dito 3. Propria & essentialis ratio prædicamenti substantiæ sufficienter explicatur per esse per se, seu per se stare, si intelligatur simpliciter, & secundùm aptitudinem. Hæc est communis scholarum sensus. desumitur ex libro de causis, & ex D.Th.opus.42.cap.10. & probatur. Esse per se, & esse in alio sunt quidam modi generales oppositi, determinantes ens ad substantiam, & accidens: ergo sicut ratio, & essentia accidentis, est esse in alio secundùm aptitudinem; sic propria ratio, & essentia substantiæ creatæ, erit aptitudinalis perseitas, seu esse rem, cui debetur per se existere independenter ab alio. Quod simpliciter intellectum soli conuenit substantiæ completæ, quæ per se

per-

pertinet ad hoc prædicamentum: alia enim quæ ad ipsum reducuntur vt partes, modi, & termini substãtiales; licet non dependeant ab alio tanquam à subiecto; dependent tamen tanquam à comparte, seu concausa suæ substantiæ, vel tanquam ab essentia quam modificant aut terminant; & ita simpliciter loquendo non stant per se, neq; sunt res quibus debeatur per se existere. Ex quo fit, definitionem adductam sufficienter explicare naturam prædicamenti substantiæ.

Arg. 1. contra 1 concl. Substantia debet constitui per aliquid superadditum enti; sed non positiuũ; ergo negatiuum. Maior patet, & minor probatur; non positiuum rationis, quia constitutum per illud, est ens reale, neq; positiuum reale, quia sic nil adderet super ens, cum ipsum ens in quolibet ente reali includatur. Imò esset nugatio dicere; substantia est ens per se, id

est

est ens reale: ergo alquid ditatiuum importat.

℞. Negaando minorem: ad prob. dico; substantiam constitui per modum essendi per se positiuum, qui non superaddit ad ens nouam & distinctam realitatem, sed nouum modum, qui quidem quantum ad entitatem, in ipso ente continetur, sed nouo modo explicatur; quia transcendentia non contrahuntur per aliquid superadditum, in quo ipsa non includantur; & sic solum contrahuntur per nouum explicationis modum, non per nouum modum superadditionis. Vndè duo suprema genera se totis differunt, & non per aliquid superadditum; neq; abstractio entis fit per exclusionem inferiorum; neq; contractio per additionem, sed per expressionem magis vel minus explicitam eiusdem, ratione cuius diuersi modi explicationis & expressionis, non est nugatio, quando dicimus: ens

per

per se, quia ly per se, diuersum modum explicat, quàm ly, ens reale.

Arg. 2. contra 2. concl. Substare est quod propissime facit substantiã; dicit enim Arist. Quod primæ substantiæ sunt maximè substãtiæ quia maxime substant, ergo substate est propria ratio substantię.

℞. Negando antecedens; substare enim solùm constituit maxime substantiam, non quoad naturam; quæ non suscipit magis, vel maxime, sed quoad exercitium substentandi, & officium essendi sub alijs. quod supponit naturam subsistentem, & consequenter constitutam; vnde etiàm negamus consequentiam.

Arg. 3. contra 3. concl. esse per se, etiam conuenit conflato ex accidenti, & subiecto, v.g. albo; Item conuenit accidenti separato eucharistico esse per se sine subiecto; ergo non conuenit perseitas soli substantiæ.

℞.

℟. Negando antecedens, quoad vtramque partem: quia imprimis constitutum ex accidenti & substãtia, non est ens per se, sed ens per accidens; constans ex duobus, quorum vnum scilicet albedo inhæret, & ideo non secundum omnem partem sui absoluitur ab inhærendo, quod requiritur vt absolutè sit ens per se, & non in alio. Accidentia autem eucharistica, non sunt per se ab intrinseco, vt requiritur ad rationem substantiæ, sed ab extrinseca conseruatione Dei conseruante esse accidentis sine adminiculo substantiæ; & sic illud accidens dicit aptitudinem ad inhærendum, quod non dicit substantia Vndè negamus consequentiam.

CON-

CONTROVERSIA LV.

Vtrum benè & qualiter diuidatur ſubſtantia in primam, & ſecundam?

NOta 1. nomen ſubſtantiæ variè ſumi; aliquando enim ſumitur pro ſupremo gradu huius prę. dicamenti· aliquando pro natura, ſeu quidditate eorum, quæ in hoc prædicamento continentur, ſiuè in gradibus ſuperioribus, ſiuè inferioribus: aliquando pro ſuppoſito, ſeu indiuiduo exercente officium ſubſiſtendi in ſe, & ſubſtandi, ſeu ſuſtentādi alia; & hoc dupliciter; vel primè intentionaliter, vel ſecundè; primè intentionalitèr vt eſt ſubiectum informationis, & actuationis realis: ſecundè, vt eſt ſubiectum prædicationis.

Nota 2. ſpeciale eſſe in hoc prædicamento, quod ſit aliorum ſuſtentatiuum, hoc enim eſt eſſe ſubſtan-

ſtantiam, & conſequenter debet alijs ſub jci, & ſub illis ſtare, ſeu ſubſtare; in quantum enim alia ſunt ſuſtentata ab ipſa, ſubſtat illis; in quantum verò actuant eam, & prædicantur de illa, ſubiectum eſt eorum; & quia illud dicitur primum quo non eſt aliud prius, ideo licet aliqua quæ non ſunt ſubſtantia, habeant eſſe ſub alijs, & ſubſtare, non tamen ſubſtant, ſed ſupponũt aliud prius ſuſtentans, in quo vltimatè ſiſtitur, & ideo illud dicitur primum ſubſtans, ſeu prima ſubſtantia, & primum ſubijcibile aliorum.

Nota 3. Quod aliud eſt habitudo conuenientiæ, & aliud habitudo receptionis, vel ſuſtentationis accidentium; habitudo enim conuenientiæ accipitur ſecundùm connexionem, quæ poteſt inter naturam vt natura eſt, & accidens proprium talis naturæ interuenire; at verò habitudo receptionis, & ſuſtentationis conſideratur ſecundùm ratio-

nem

nem ſubiecti, & prius conuenit illi, quod magis ſubiectum eſt, ſeu magis ſub alijs, quod eſt indiuiduum; & prima ſubſtantia, & ſingularis; non autem ſecunda ſubſtantia, quæ eſt vniuerſalis.

Dico 1. Diuiſum huius diuiſionis non eſt ſubſtãtia vt abſtrahit à completa, & incompleta; neque ſubſtantia, quæ dicit ſupremum genus. Hæc eſt communis inter doctores, & probatur. Illud eſt diuiſum quod participatur ab vtroque membro diuidente. Sed ſupremum genus ſolum inuenitur in vno membro diuidente, ſcilicet in ſecunda ſubſtantia, quia eſt genus ſupremum, & ſecundæ ſubſtantiæ ſunt genera, vel ſpecies: ergo non eſt commune diuiſum in primam, & ſecundam ſubſtantiam; diuiditur quidem genus in ſuas ſpecies, & deſcendit vſque ad indiuidua, ſed non diuiditur in ſubſtantiã indiuiduam, & genericam, qualis eſt prima & ſecun-

da ſubſtantia. Similiter ſubſtantia incompleta, neque eſt prima neq; ſecunda ſubſtantia, quia eſt incompleta, & pars, & non totum; pars autem vt pars, non eſt per ſe, ſed in alio, nempè in toto, non inhærendo, ſed componendo; vndè neque eſt primum ſubſtans, quia datur aliud prius, quod ſubſtat, purà totum: neque ſecundò ſubſtat, quia non eſt totum, quod prædicatur de primo Subſtante, & mediante illo dicatur ſubſtare. Vndè pars non accipit denominationem ſubſtandi, ſed conſtituendi, licet poſſet eſſe medium recipiendi aliquid in toto; ſicut viſio recipitur mediante oculo, ſed oculus non ſubſtat, ſed homo, eo quòd licet recipiat, non ſub aliis ſtat, totum enim ſubſtat illi tanquam parti, & alias ipſa pars non identicè ſubſtat, ſicut vniuerſalia mediante indiuiduo, quia pars non identificatur toti, ſicut vniuerſale inferiori, ergo:

Dico

Dico 2. Non conuenientèr ſumitur diuiſum huius diuiſionis ſecundò intentionalitèr, tantùm pro intentione ſubijcibilitatis. hæc ſtatuitur contra Tartaretum, & alios, eſt tamen communis in ſcholis, & probatur; quia intentio ſecunda ſubiecti ad prædicatum, ſiue eſsentiale ſiue accidentale, eſt quid commune accidenti, & ſubſtantiæ; quia etiam accidens ſubijcitur ſuis prædicatis, & ea reſpicit; ſiue ſint eſſentialia, vt albedinem eſſe qualitatem; ſiue accidentalia, vt albedinem eſſe intenſam; ergo diuiſum nullo modo ſumetur ſecundò intentionalitèr.

Dico 3. Diuiſum huius diuiſionis eſt ipſa natura ſubſtantiæ prædicamentalis in diuerſos modos diuiſa; quorum vnus eſt ſubſtare, vt indiuiduum ſubſiſtens, & recipiens realitèr; alius verò ſubſtare ſolùm per dominationem ab iſtis primis ſubſtantibus, & recipientibus. hæc

ſtatuitur contra Suar. Tolet. Ruu. & alios; eam tamen docet Mag. meus Arauio, Merc. Sanchez, Gallego, Zanard. Complut. Lisbon. eſtque communior Thomiſtarum ſententia, deſumitur ex D. Th. q.9. de pot. ar. 2. ad 6. & probatur. diuiſum in hac diuiſione eſt id, quod per ſe pertinet ad prædicamentum ſubſtantiæ, & ponitur in eius recta linea: ſed hoc eſt ipſa eſſentia, & non proptietas eius, vel aliquid aliud, vt per ſe patet. ergo.

Dico 4. Prædicta diuiſio eſt ſimpliciter ſubiecti in accidentia, ſiue rei in ſuos modos. hæc eſt communis in ſcholis, & probatur. Id quod prima ſubſtantia addit ſupra ſubſtãtiam, eſt modus quidam realis particulariter ſubſiſtendi; & id quod addit ſecunda ſubſtantia ſupra ſubſtantiam, eſt modus vniuerſaliter ſubſiſtendi in intellectu; ſed iſti habent rationem accidentium, reſpectu ſubſtantiæ. ergo &c.

Di-

Dico 5. Præfata diuiſio eſt ſecundùm quid analogi in analogata hãc docet Arauió, Sanchez, & plures alij. & probatur; Quia inter ipſa membra diuidentia eſt ſubordinatis, & dependentia, vt per ſe patet; ergo diuiſio quodammodo erit analoga.

Arg. 1. contra 3. concl. Si diuiſum præſatæ diuiſionis ſit ipſa natura ſubſtantiæ prædicamentalis, ſequitur quod in recta linea prædicamenti reperiatur aliquod prædicatum ſuperius, quàm genus ſupremũ, ſed conſequens falſum, cum generaliſſimum alicuius prędicamenti retineat in illo ſupremum locum. ergo. probatur ſequela, ſubſtantia ſic diuiſa eſſet ſuperior ad primam & ſecundam ſubſtantiam; ergo etiam ad genus ſupremum. probatur conſequentia, quia genus generaliſſimum continetur ſub ſecunda ſubſtantia; ergò illud quod eſt ſuperius ad ſecundam ſubſtantiam in-

communi,erit etiam superius ad genus generalissimum.

℞. Negando sequelam:ad prob. conceditur antecedens loquendo de superiori materialitèr; & distinguo consequens, si genus supremũ consideretur formalitèr vt habet rationem generis, & secundæ substantiæ;concedo consequentiam,scilicet quod respectu illius, diuisum huius diuisionis erit superius materialitèr;ad eum modum quo subiectum potest esse superius ad aliqua accidentia, vel modos: si genus supremum consideretur, vt est ens per se completum, antecedentèr ad suos modos, nego consequentiam. Ad prob. distinguo antecedens eodem modo;genus supremum continetur sub secunda substantia,si accipiatur formalitèr in ratione generis, vel secundæ substantiæ, concedo antecedens; si accipiatur secundùm rationem essentialem entis per se cõpleti, nego antecedens;quin potius

vt

vt sic habet rationem subiecti communis respectu modorum primæ & secundæ substantiæ.

Arg. 2. contra eandem. membra diuidentia cuiuscunque diuisionis, debent esse opposita, neque se mutuò includere; sed 1. & 2. substantia non opponũtur, imò vna includitur in alia, & prædicatur de illa; ergo mala diuisio, & falsa conclusio. probatur minor, quia homo aut animal, quæ sunt secundæ substantiæ, verè prædicantur de Petro, qui est prima substantia; ergo.

Confir. etiam prima substantia est secunda substantia, ergo membra diuidentia, nullatenus opponuntur. probatur antecedens, 1. substantia potest accipi in communi, conuenit enim omnibus singularibus substantijs, non solum esse substantias, sed etiam esse primas; ergo per hoc, quod prima substantia etiam vt prima prędicetur de omnibus primis substantijs, prima

substantia erit secunda.

3. Ad argumentum negando minorem: secunda enim substantia formalitèr sumpta, vt est membrum diuidens in hac diuisione, non includitur, neque prædicatur de prima. hæc enim est formalitèr falsa; substantia prima est substantia secunda; & ita membra diuidentia verè sunt opposita. Ad probationem minoris dico, solùm conuincere rem illam, quæ materialitèr denominatur secunda substantia, prædicari de prima: Quod quidem verum est, quia talis res est ipsa natura substantiæ secundùm se, vt præuenit modos primæ, vel secundæ substantiæ. sic autem non est membrum diuidens, sed potius diuisum: vnde non sequitur, vnum membrum diuidens formalitèr, vt tale, prædicari de alio.

Ad Confir. negatur antecedens: ad cuius prob. dico, quod licet prima substantia accipiatur in communi

ni ad omnes primas substantias, nõ tamen accipitur vt secunda substã. tia, qnia non est communis, vt genus, & species; quod solùm pertinet ad secundas substantias; sed vt indiuiduum vagũ, vt aliquis homo.

Arg. 3. Contra eandem; diuisum præfatæ diuisionis, quocunque modo explicetur, coincidit cum vno membro diuidenti. ergo malè assignatur. probatur antecedens; quia siue hic diuidatur substantia secundum suam naturam, vt nos volumus; siue secundum rationem substandi, vt plures alij satis probabilitèr volunt, diuisum debet esse substantia vt sic, & communitèr considerata, ergo est substantia communis: ergo substantia secunda.

℞. Negando antecedens: ad prob. dico diuisum esse substantiam consideratam secundum se, & secundum sua essentialia tantum, seu vt præuenit modos indiuidualitèr, vel vniuersalitèr essendi. Quo modo

neque est indiuiduum, neque genus, aut species; & consequenter neque prima, neque secunda substantia; vnde negamus vtramque consequentiam.

CONTROVERSIA LIV.

Quomodo definiatur prima substantia.

Dico, primam substantiam hoc modo rectè definiri; scilicet; Pima substantia est, quæ neque dè subiecto dicitur, neque in subiecto est, vt aliquis homo. hæc est Arist. cap de substantia, & non alitèr probatur quàm explicando definitionis particulas; definitiones enim non probantur, sed explicantur. Igitur prædicta definitio duas tantum particulas continet: quarum prima, scilicet prima negatio, nempe non dici de subiecto, separat à ratione primæ substã-

tiæ

tiæ secundas substantias, quæ dicuntur de subiecto, scilicet de prima substantia; prima verò substãtia v. g. Petrus de nullo alio dicitur, quod sit sibi inferius, nec prædicatione artificiali prædicatur: secunda verò particula, scilicet secunda negatio, putà non esse in subiecto, excludit à ratione primæ substantię accidentia, & partes substantiæ; quæ in subiecto reperiũtur, licet diuersè; nam accidentia sunt in subiecto per proprias inexistẽtias inhæsiuè, partes autem substantiæ sunt in composito ipsum componendo. Vnde cum prædictæ duæ negationes explicent id quod est de ratione primæ substantiæ dicendum est quod prædicta definitio sit ritè assignata; quod magis constabit ex solutione argumentorum.

Arg. 1. definitio quæ datur per negationes vitiosa est, sed prefata datur per duas negationes. ergo.

℞. 1. | Distinguendo maiorem ; quando definitio traditur definitiuè & essentialitèr, concedo maiorem ; quandò tantùm traditur descriptiuè ; negatur maior; præfata autem definitio descriptiuè, & circumloquendo traditur, non propriè declarando rationem primæ substantiæ. Igitur quando definitio est descriptiua, vel non est propria definitio ; non est vitium ponere pro differentia aliquas negationes, maximè quando iam explicatum est illud positiuum, cuius sunt negationes, vt in præsenti contingit.

℞. 2. Negando minorem ; illa enim verba ; neque in subiecto est, neque de subiecto dicitur; quæ ponuntur loco differentiæ ; non sunt explicanda merè negatiuè, sed quasi contrariè ; ita vt sensus sit : prima substantia est id, cui positiuè repugnat esse in subiecto, vel dici de subiecto. vt à simili contingit, quan-

do definitur violentum esse, quod fit à principio intrinseco, passo non conferente vim; vbi ly, non conferente vim, non intelligitur negatiuè, sed contrariè, id est resistente.

Arg. 2. Substantiæ consideratæ secundùm se, & vt præuenit modos indiuidualitèr, vel vniuersalitèr essendi, conuenit adducta primæ substantiæ definitio; sed tamen prout sic non est 1. substantia, vt patet. ergo definitio conuenit alijs à definito. probatur maior, quia natura sic considerata solùm secundùm prędicata quidditatiua, neque est in subiecto, neque prædicatur de subiecto, vt constat. ergo.

℞. Negando maiorem: ad prob. dico, quod substantiæ sic consideratæ: neque conuenit, neque repugnat esse aut dici de subiecto, sed merè negatiuè se habet. Ad rationem verò primæ substantiæ requiritur quod positiuè repugnet illi; &

hoc

h c significatur in definitione. Sic igitur illæ negationes possunt dupliciter sumi. 1. vt purè, & præcisè negãt, & hoc modo conueniūt naturæ secundum se; imò & enti rationis, & ipsi nihilo conuenire possunt istæ negationes, vt purè negant esse, & predicari. Secundo modo sumi possunt, vt fundantur in aliquo positiuo modo essendi, & deseruiunt ad circumscribendum ipsum, & sic non conueniunt naturæ secundum se, sed vt habenti illum modum subsistendi, & substandi.

Arg. 3. Substantia prima prædicatur de hac & illa prima substantia; ergo falsò dicitur primam substantiam non dici de subiecto.

℞. Negando consequentiam; prædicatur etenim prima substantia de se ipsa, sed tamen non de aliquo subiecto, idest, inferiori sibi; definitio autem non dicit, quod non prædicatur, sed quod non prædicatur de subiecto; at verò prima Substan-

ſtantia prædicatur de pluribus, vt quod, & denominatiuè non vt quo, quia hoc modo ſe habet vt modus quo conſtituitur aliquid non prædicabile de pluribus. Quod alijs terminis explicari ſolet dicendo, primam ſubſtantiam in actu exercito, non dici de aliquo; tametſi in actu ſignato non ei repugnet.

Arg. 4. Partes ſubſtantiales nec ſunt in ſubiecto, nec dicuntur de ſubiecto, vt v. g. hæc materia, hæc forma; ſed tamen non ſunt. 1. Subſtantia, vt patet; ergo definitio adducta aliis conuenit à definito.

℞. Ad maiorem dicendo, quod licet partes non ſint in ſubiecto per inhæſionem, nec prædicentur de ſubiecto per ſe ſumptæ, tamen habent eſſe, per eſſe ſubiecti, & ſunt quid incompletum, nec ſubſtant accidentibus, niſi ratione totius; de ratione verò primæ ſubſtantiæ eſt quod nec ſit in ſubiecto per inhæſionem, nec per acceptionem eſſe

ſub-

ſubſtantialis communicati à toto; ſed debet eſſe per ſe, vt quid completum, & perfectum.

Contra; ſequitur quod anima rationalis ſeparata ſit 1. ſubſtantia, ſed conſequens falſum. ergo; ſequela probatur; quia anima rationalis ſeparata ſubſtat accidentibus. ergo.

R. Negando ſequelam; ad prob. diſtinguo antecedens; ſubſtat incompletè, & vt pars, concedo antecedens; completè, & vt totum, negatur; vt autem aliquid ſit 1. ſubſtantia, debet vt quid completum ſubſtare; hoc enim ſonat prima, & ſecunda ſubſtantia, quæ in ſua ratione includunt rationem completi, & perfecti.

Arg. 5. Subſtantia prima eſt ſubſtantia ſingularis, ſed ſingularia non definiuntur ex Ariſt. 7. metaph. c. 5. ergo, &c.

R. Diſtinguo minorem: ſingularia determinata vt Pet. & Paul. non definiuntur, concedo minorem;

ſin-

singularia indeterminata, vt indiuiduum vagum, persona, & huiusmodi, eò quod important modum particulariter existendi absque determinatione, & cum quadam communitate, negatur minor, prima vero substantia est singulare huiusmodi, & sic definiri poterit, sed signatè, non exercitè.

CONTROVERSIA LVII.

Quomodo definiatur secunda substantia?

DICO, secundas substantias hoc modo rectè definiri. secundæ substãtiæ sunt genera, & species, in quibus insunt primæ. hęc est Arist. quem sequuntur vniuersim scholæ, & probatur definitionem simul explicando. Igitur ratio secundæ substantiæ est ens per se secundò substans realiter accidentibus; sed hæc ratio optimè defini-

 tur

tur dicendo, quod secundæ substantiæ sint genera & species · ergo recta est adducta definio. maior & consequentia patent, & minor probatur; genus & species cum sint vniuersalia, necessario sunt entia per se, quæ secundò substant accidentibus; & nullo modo possunt aliter substare, vt patet. ergo ratio entis per se secundò substantis rectè explicatur dicendo, secundas substantias esse genera & species.

Arg. 1. genus & species nõ sunt secũdũ substãs accidentib. ergò malè dicitur quod secunda substãtia, id est, secundũ substãs accidẽtib. sint genera & species. Consequẽtia patere videtur, & antecedens probatur, species v. g. homò non substat accidentibus secundò, id est, propter primam, & quia prima substat. v. g. Petrus; sed potiùs econuerso res se habet, nam; benè valet, quia homo est substantia, id est, substans, ideo Petrus est substantia

id

id est, substans; ergo species nempè homo, non est secundum substans, sed primum substans.

℞. Negando antecedens: ad prob. dico, substantiam posse dupliciter sumi; vno modo; quatenùs importat esse per se, abstrahendo à substantia quomodocunque; alio modo, quatenùs importat substare realitèr accidentibus realibus. Si primo modò sumatur, verum est dicere, quia homo est substantia, ideo Petrus est substantiá. si verò secundo modò accipiatur, econtra res se habet. Quando autèm dicitur, quod secunda substantia secundò substat, & est genus, & species; accipitur substantia secundo modo. Explicuit enim Arist. in præfata definitione rationem secundæ substantiæ præcipuè per aliquid, quod est necessariò annexum essentiæ,& rationi secundæ substãtiæ, quod est substare realitèr accidentibus realibus.

Arg.

Arg. 2. De ratione secundæ substantiæ non est, quod sit genus, vel species, sed tantum quod sit vniuersalis; ergo malè definitur secunda substantia dicendo, quod, sint genera, vel species. probatur antecedens, quia substantiam esse genus, aut speciem, est esse talem, vel talem secundam substantiam; ergo id non est de ratione secundæ substantię, vt abstrahit ab omnibus secundis substantijs, quomodo hic definitur.

℞. Negando antecedens; quia licet de ratione secundę substantiæ vt sic, non sit esse determinatè genus, vel speciem; tamen neque etiã est esse quomodocunque vniuersale; sed esse illud, quod potest esse superius essentiale respectu primæ substantię, hoc autem necessariò est genus, vel species; quia in his solùm possunt essentialitèr contineri primæ substantiæ.

Arg. 3. Secundæ substantiæ prædi-

dicantur de primis; ergo insunt illis; ergo falsum est dicere; quod in secundis substantiis insunt primæ.

℞. Ad primum consequens dicendo, quòd secundæ substantiæ insunt actu in primis; quia sunt de earum essentia; econtra verò primæ insunt in potentia in secundis; quia sunt partes subiectiuæ earum; & hoc secundum significatur in definitione; dicendo enim quod primę substantiæ continentur in genere; clarè liquet, sermonem esse de continentia potentiali; vnde negatur secunda consequentia.

CONTROVERSIA LVIII.

Quænam reijciantur, & ponantur directè in prædicamento substantiæ.

Nota, certum esse omnes substantias completas, corporeas, & corruptibiles, vt sunt elemēta,

ta, mixta inanimata, plantæ, & animalia per se collocari in hoc prædicamento, cum sint entia finita, & completa, & composita ex materia & forma, in quibus consequenter reperitur sufficiens fundamentum ad efformandos gradus genericos, & differentiales; ex quorum inclusione, vel exclusione pendet aliquid in prædicamento directe poni, vel excludi ab eo. Solùm autem difficultas esse potest de Deo, Christo, Angelis, & corporibus cęlestibus, de quibus eodem ordine dissoluemus.

Dico 1. Deum nullatenùs directe poni in prædicamento substantiæ. hæc statuitur contra Nominales; eam tamen docet D. Th. 1. p. q. 3. ar. 5. & 1. cont. 9. cap. 24. & Scot. quos sequuntur concorditer discipuli vtriusque scholæ, & communiter exteri neoterici, & probatur. Quod in prædicamento substantię directe ponitur continet de-

ter.

terminatè rationem entis distinctā ab alijs prædicamentis, & perfectionem etiam limitatam, & distinctam à perfectione aliorum prædicamētorum, siquidem omnia prędicamēta determinant rationem entis per modos essendi primo diuersos: ergo quod continetur directè in aliquo prędicamento, debet habere limitatam perfectionem. probatur hæc consequentia, quia quicquid ponitur in aliquo prędicamento directè non debet excedere perfectionem illius prædicamenti: tunc vltra; sed Deus est infinitè perfectus, continens omnem perfectionem omnium entium, & prædicamentorum; ergò non ponitur directè in hoc, vel in aliquo alio prędicamento.

Dico 2. Neque etiam reductiuè pertinet Deus ad prędicamentum, seu genus substantiæ. hæc statuitur contra Valentiam & alios, est tamen communis in schola Angelica, & pro-

probatur ratione desumpta ex Diu. Thom. q. 7. de pot. ar. 8. Si Deus poneretur reductiuè in genere substãtiæ, esset per modum principij talis generis, qualiter pũctum, & vnitas ad genus quantitatis reducuntur, quia sunt principia illius generis, & ita poni in prædicamẽto repugnat Deo, quia principium quod ponitur reductiuè in vno genere, non se extẽdit vltra genus illud, hoc est, non claudit perfectionem alterius; sed Deus ratione suæ infinitatis se extendit ad omnia genera, illorum perfectiones continendo; ergo non potest reductiuè contineri in aliquo genere.

Dico 3. Christus D. ponitur directè in prædicamento substantiæ, sicut alia indiuidua naturæ humanæ. Hæc statuitur contra Scot. Basol. & Dur. est tamen expresè D. Thom. 3 p. q. 2. ar. 3. ad 3. & 4. contra gen. cap. 37. quem sequitur Arauio, Lisbon.

bon. Sanch. Petron. Complutenses, & communiter doctores, & probatur; res collocantur in prædicamento ratione essentiæ, seu naturæ, sed natura humana Christi Dom. in toto rigore, & proprietate est eiusdem speciei vniuocè cum nostra; ergo verè & propriè collocatur in eodem prædicamento, & ponitur in speciei hominis, sicut Petrus.

Dico 4. Angeli directè in hoc prędicamento substantię collocantur. hæc statuitur contra Auerz. Plotin. & alios; est tamen concors scholarum sensus, & probatur. Quia quãuis angeli non sint compositi ex materia & forma, & per consequẽs physicè loquendo, sint formę puræ, & substantiæ simplices; tamen metaphysicè loquendo, non sunt actus puri, sed realiter compositi ex essentia & existentia, sicut & cæteræ creaturæ; ergo intra eorum essentiam est potentialitas sufficiens ad fundandum gradum genericum, in quo

cũ aliis conueniãt; & per consequẽs verè collocãtur in hoc prędicamẽto.

Dico 5. Corpora cæleſtia directè ponuntur in prędicamento ſubſtantiæ. hæc ſtatuitur contra Auer. Niphum, & Gandauum. eſt tamen concors doctorum ſententia, & probatur. Corpora cęleſtia verè sũt compoſita ex materia & forma; ergo in ipſis eſt ſufficiẽs fundamentũ, vndè intellectus deſumat genus & differentiam; atq; adeo vt directè & propriè in prędicamento collocẽtur.

Arg. 1. contra 1. concl. ſi darentur entia infinita ſecundũ quantitatem, illa eſſent in prædicamẽto quantitatis; ergo ſimiliter ſubſtãtia increata, & infinita, qualis eſt Deus, ponetur in prædicamento ſubſtantiæ.

℞. Negando conſequentiam: diſcrimen eſt, quia talis quantitas, puta linea ſolum eſſet infinita ſecũdum quid, v.g. ſecundum longitudinem, eſſet tamen finita ſimpliciter, compoſita, & conſtans ex genere,

re,

re, & differentia; & consequenter simplicitèr esset in genere quantitatis: Deus autem est simplicitèr infinitus, cui repugnat compositio ex genere & differentia, & cōsequentèr repugnabit poni in prædicamento.

Arg. 2. contra eandem. Ad hoc vt aliqua constituantur in prædicamentis, sufficit quod ex modo essendi, quem habent, intellecta concipiantur vt genera, & species; sed hoc Deo conuenit ex modo essendi quem habet in intellectu; ergo. maior patet ex ijs, quæ supra docuimus asserentes naturam Angelicam Gabrielis esse speciem prædicabilem. minor autem probatur; quia Deum concipimus per varios conceptus, quorum vnus est determinatiuus alterius, & vnus sumitur vt differentia propria ipsius Dei, & alius vt quid commune in Deo. ergo. probatur antecedens, quia concipimus Deum vt viuentem, & postea aduenit conceptus vltimus, scili-

scilicet vitæ intellectiuæ infinitæ, quo ipsum Deũ cõcipimus vt quid distinctum ab omnibus alijs. ergo.

℞. Negando minorem; ad cuius prob. dico, nunquam nos concipere Deum per conceptum generis, & speciei; quinimo implicat eum ita concipi, quia conceptus generis præsupponit in re potentialitatem, & determinabilitatem, quæ Deo repugnat: non enim possumus nos concipere rationale, vt genus, quia non est à parte rei fundamentum huius conceptus generici; & licet naturam diuinam per varios conceptus propter suam infinitatem explicemus, neuter illorũ cõceptuum obiectiuorum se habet vt determinabilis ab alio, quia vterque conceptus obiectiuus est Deus, vt infinitè perfectus, & ita non potest recipere determinationem, nec est aliquis conceptus in Deo, qui intelligatur à nobis vt determinans alium, tanquam magis

actua-

actualis,& omnis conceptus includit alium, quia includit diuinitatem, quæ omnem perfectionem Dei includit: & sic Deus non potest esse in prædicamento, quia à parte rei non est fundamentum in Deo, quo Deus possit intelligi vt quid potentiale & determinabile, per alium conceptum actualem.

Arg. 3. contra 3. concl. Christus non est creatura ex D. Th. 3. p. q. 16. art. 8. ergo non ponitur in prædicamento. probatur consequentia, quicquid ponitur in prędicamento, debet esse quid creatum & finitum, vt patet ex dictis. ergo.

℞. Negando consequentiam; ad prob. dico, sufficere vt aliquid ponatur in prædicamento, quod sit quid creatum secundùm illud, secundùm quod formalitèr constituitur in prædicamento; hoc autem inuenitur in Christo, in quo natura humana quid creatum est, licet suppositum sit diuinum.

CONTROVERSIA LIX.

Quae sint proprietates substantiae.

DIco 1. Sex esse proprietates substantiae. haec est Arist. cap. de substantia, quem sequuntur omnes Scholae, & probatur eas assignando. Prima igitur proprietas est. Proprium est substantiae non esse in subiecto. 2. proprium est secundae substantiae praedicari de primis vniuocè. 3. proprium est substantiae significare hoc aliquid. 4. substantiae nihil est contrarium. 5. substantia non suscipit magis, & minus. Sexta denique substantia est subiectum susceptiuum contrariorum. Vnamquamq; autem harum proprietatum rectè assignari, sequentes demonstrabunt conclusiones.

Dico 2. Prima proprietas substantiae rectè ab Arist. assignatur. haec

hæc conclusio probatur ex definitione primæ substantiæ, quæ neque est in subiecto, neque de subiecto dicitur; ergo, &c.

Dico 3. Secunda proprietas substantiæ rectè assignatur à philosopho. Probatur, prædicari de primis substantijs vniuocè, est prædicari de illis nomine & ratione, sed secundæ substantiæ prædicantur de primis nomine, & ratione; ergo dicuntur de primis vniuocè: maior patet, & minor probatur; quia hoc nomen homo, & ratio illius, quod est esse animal rationale, dicitur vniuocè de Petro, vt patet. ergo.

Dico 4. Tertia proprietas optimè assignatur. Probatur, quia significare hoc aliquid, est significare aliquid subsistens, & existens; sed hoc proprium est primæ substantiæ, & non secundæ; ergo significare hoc aliquid est proprietas primæ substantię. minor & consequentia patent; & maior probatur; significare

care hoc aliquid, est significare aliquid per modum subiecti; sed significare aliquid per modum subiecti, est significare hoc aliquid subsistens & existens; ergo.

Dico 5. Quarta substantiæ proprietas rectè ab Arist. assignatur; nempè quod substantię nihil sit cõtrarium. hæc est concors logicorũ, & metaphysicorum sentẽtia, & probatur. Id quod est subiectum omnium contrariorum, nullum habet contrarium; sed substantia est subiectum omnium contrariorum, & omnium accidentium inter se pugnantium; ergo substantia nullum habet contrarium, minor & consequentia patent, & maior probatur; quia Arist. 1. phys. cap. 7. ideo probat materiam primam, neque esse contrariam formæ, neque priuationi, quia materia prima est subiectũ commune vtriusque; ergo id quod est subiectum contrariorum, (qualis est substaatia) nullam habet contrarium.

Di-

Dico 6. Quinta proprietas substantię, nempè non suscipere magis & minus, rectè à philosopho assignatur. hæc statuitur contra Auerr. Zimaram, Paulum Pernumiam, & alios; est tamen communis scholarum sensus, & probatur. suscipere, magis, & minus, est nunc magis, nunc minus radicari in subiecto, sed substantia non est in subiecto, vt iam diximus, & per se patet. ergo substantia verè & propriè, nequit suscipere magis, & minus.

Dico 7. Sexta proprietas substātiæ, (quæ est, ipsam esse subiectum susceptiuum contrariorum) rectè à phylosopho assignatur, vt propriū quarto modo. hæc statuitur contra quosdam modernos. eam tamen, docet D. Th. opusc. 48. tract. 2 cap. 4. quem sequūtur omnes discipuli, & probatur. proprium quartò modo illud est, quod conuenit omni, soli, & semper; sed suscipere contraria, connenit omni substantiæ prædica-

 men-

mentali, vt patet; conuenit etiam semper, quia posse recipere contraria, est in substãtia semper; & tandẽ soli substantiæ conuenit, cùm conuersim prædicetur de ea; benè etenim valet. Omne quod potest recipere contraria substantia est, & omnis substantia potest recipere contraria. ergo.

Arg. 1. contra 5. concl. Omne compositum corruptibile habet contrarium, quia corruptio ex pugna contrariorum prouenit: sed substantiæ sublunares sunt corruptibiles; ergo habent contraria; ac proinde carere contrarijs, non est proprietas conueniens omni substantiæ.

℞. Distinguendo maiorem: Omne corruptibile habet contrarium, saltem mediatè, concedo maiorem; immediatè, negatur maior. Igitur compositum corruptibile, & substantia potest duplicitèr considerari; vno modo, ratione sui; alio modo

do ratione qualitatum contrariarũ, quibus illud afficitur. Si primo modo consideretur substantia, non habet contrarium; secundò vero modo contrarium habet: & ita dicimus, quod mediatè, id est, ratione qualitatum quibus componitur, habet contrarium; non verò immediatè, & ratione sui. Quando autem Arist. docet, quòd substantiæ nihil est contrarium, loquitur ratione sui, & non ratione qualitatum contrariarum. & sic dicimus elementa, puta aquam & ignem, contrariari ratione suarum qualitatum, nempè caloris, & frigoris; vnde contrariantur solùm radicaliter, quia scilicet sunt radices qualitatũ præfatarum, inter quas est formalis contrarietas, vt patet.

Arg. 2. contra eandem; formæ substantiali contrariatur priuatio: & differentiæ substantiales eiusdem generis sunt contrariæ. ergo.

℞. Negando antecedens quòad

vtramque partem, si propriè loquamur; forma igitur & priuatio non sunt propriè contraria; quia non continentur sub eodem genere; neque etiam differentiæ substantiales contrariantur; quia non sunt in subiecto. Appellantur tamen forma & priuatio contraria largè, quia opponuntur priuatiuè; & largiùs differentiæ; quia sunt primò diuersæ.

Arg. 3. contra 6. concl. vna substantia est magis substantia quam alia; ergo non est proprium substãtiæ non suscipere magis, & minus. Consequentia patet, & antecedens probatur; quia primę substãtiæ sunt magis substantiæ, quã secundæ. ergo.

℞. Negando antecedens; ad prob. dico, primas substantias esse magis substantias quam secundas, quantũ ad rationẽ proprietatis substãdi accidentibus, quibus immediatè substanti, & ratione sui; secũdæ autẽ substantiæ substant, tantum mediatè, & ratione primarum; non tamen sunt magis

magis substantiæ in ratione essentię, & perseitatis substantiæ, hæc enim æqualiter omnibus substantiis conuenit, siue primis siue secundis vt patet.

Arg. 4. contra 7. concl. suscipere contraria non conuenit substantiis vniuersalibus; ergo non conuenit omni substantiæ; & sic non erit proprietas 4. modo. Consequentia patet; & antecedens probatur, quia substantiæ vniuersales, & secundæ non recipiunt realiter accidentia, nec illis substant. ergo.

℞. Negando antecedens ad prob. dico, quod substantijs vniuersalibus etiam conuenit recipere realiter accidentia contraria, identicè & mediatè; immediatè autem & exercitè, beneficio primæ substantiæ, cum qua identificantur.

Arg. 5. contra eandem. Neq; Deus, Neq; angeli, neque corpora cælestia possunt recipere contraria. ergo talis proprietas non conuenit omni

ni substantiæ. consequentia patet, & antecedens probatur; quia alias essent corruptibilia. ergo.

℞. Ad antecedens dicẽdo, quod hic loquimur de substantia prædicamentali, nempè creata; & ita proprietas eius non debet conuenire Deo. Angeli autem suscipiunt contrarios actus, scientiam, & errorem, & diuersos spirituales affectus, licet non contraria physica, id est, deseruientia ad generationẽ & corruptionem substantiæ. Cæli etiam contraria suscipiunt, non quidem corruptiua sui, sed contrarios motus locales, & contraria loca; vndè negamus consequentiam.

CONTROVERSIA LX.

In quo consistat ratio formalis, & essentia quantitatis?

NOta 1. Arborem prædicamẽtalem quantitatis hoc modo ordinari posse. Supremum genus

est

eſt quantitas. Diuiditur in duas ſpecies, nempè continuam & diſcretam; diſcreta in numerum, & orationem. Oratio in varias ſpecies, & combinationes metri, & harmoniæ, ſecundum longitudinem, & breuitatem prolationis diuiditur. Numerus in varias ſpecies ſecatur vt in binarium, ternarium, &c. Quantitas continua diuiditur in continuam menſurantem intrificè, & menſurantem extrinſecè. Intrinſicè menſurans ea eſt, quæ poſitionem habet in continuo, & diuiditur in lineam, ſuperficiem & corpus, vt in ſpecies infimas. Quantitas extrinſicè menſurans, diuiditur in permanentem, vt locum, & ſucceſſiuam, vt tempus. locus diuidi poteſt in diuerſas diſtantias, & modos menſurandi, vt in leucam, ſtadium, milliare; in menſuras etiam, quæ cōtinendo, & quaſi locando menſurant, vt in modium, amphoram, dolium &c. Tempus diuiditur in dies, men-

mensés, annos, olympiades, indi-ctiones, sæcula &c.

Nota 2. Ab Arist. 5. metaph. tex. 18 Quantitatem hoc modo definiri. Quantum est, quod est diuisibile in ea, quæ insunt; quorum vtrumque aut singulum, vnum aliquid, & hoc aliquid, aptum est esse. Quam definitionem explicat D. Th. ibidem lec. 15. dicens, quod definit Arist. quantum per diuisibile, nō in partes physicas, id est, materiā & formam: nec in partes potentiales; sicut anima diuiditur in intellectiuam & sensitiuam; nec in subiectiuas, sicut vniuersale diuiditur in inferiora; sed in partes integrales, & quantitatiuas, quæ ita sunt compositæ, vt facta diuisione, maneat vnaquæque aliquid vnum, sicut patet cum aqua diuiditur in varias partes: & in has partes integrales diuisibilis est res quanta.

Nota 3. Tria esse potissimum de quibus oriri potest difficultas, an in ipsis quantitatis ratio consistat, nē-

pè

pè menſuram, diuiſibilitatem, & extenſionem. Menſura autem propriè dicta definitur ab Ariſt. 10. metaph. tex. 2. eſſe id, quo quantitas rei cognoſcitur. Sicut vlna eſt menſura panni, quia media illa cognoſcimus quantitatem panni. Ad hoc autem neceſſarium eſt, vt menſura ſit vna & indiuiſibilis ſecundum illam rationem, ſecundum quam aſſumitur, vt menſura; & debet eſſe intrinſeca menſurato, hæc enim eſt, quæ in vſu humano applicatur ad rerum quantitates cognoſcendas, vt patet de vlna reſpectu panni, pede reſpectu ædificij, &c. & hoc modo quantitas eſt menſura ſubſtantiæ, cui inhæret, & aliorum accidentium corporalium, quæ media quantitate ſubiectantur in ſubſtantia. Diuiſibilitas verò nihil aliud eſt, quam aptitudo, ſeu potentia paſſiua rei, vt diuidatur in partes, ſiue phyſicas, ſiue metaphyſicas; ſiue integrantes; vt aptitudo quã habet linea vnius

vlnæ,

vlnæ, vt diuidatur in tertias partes; & hæc diuiſibilitas eſt propria quātitatis, à qua res capacitantur vt in partes diuidantur integrantes. Hęc autem diuiſibilitas duplex eſt, vna proxima, & altera remota: illa eſt immediata ratio, quare quantitas diuidatur. hæc verò eſt à quà fluit ipſa diuiſibilitas proxima. Extenſio denique vt in præſenti ſumitur, eſt latitudo illa, ſeu moles, quam intelligimus in ſubſtantia quantitate affecta; hic etenim non loquimur de quantitate virtutis, quæ eſt perfectio cuiuſcunque rei, ſecundum quā magna, vel parua dicitur.

Nota 4. Extenſionem quantitatiuam eſſe duplicem. Alia eſt in ordine ad locum, quando nempè vna pars actu eſt extra locum alterius, vt in nobis nunc manus non ſolùm eſt extra entitatem capitis; ſed etiam extra locum eius, cum actu correſpondeat diuerſo ſpatio. Alia eſt extenſio in ordine ad ſe, quando ſcilicet

licet vna pars est extra aliam, ita vt secundum suam molem quantitatiuam, non sint permixtæ, & confusę, sed caput immediatè vniatur collo, collum pectori, &c. Quod contingere potest, tametsi tales partes correspondeant eidem loco; vt in eucharistia patet, vbi Christus habet extensionem hanc in ordine ad se; quia partes eius non sunt confusæ, ita vt caput sicut est vnitum collo, ita sit vnitum pedibus; sed verè seruant inter se ordinem, & vna est extra entitatem alterius: actu tamen non sunt extensæ in ordine ad locum; quia omnes eidem indiuisibili correspondent spatio.

Dico 1. essentiam quantitatis nõ consistere in ratione mensuræ. hæc statuitur contra Alb. M. eam tamen docent doctores citandi in 3. concl. & probatur. Imprimis esse mensuram primam in hoc genere non potest esse essentia quantitatis; hoc enim tantum conuenit puncto, & vni-

vnitati, quæ non sunt quantitates, sed principia earum, vt patet. Deinde vel per mensuram intelligimus aptitudinem, quam tribuit quantitas subiecto, vt assumatur ad mēsurandas alias res, quæ solet appellari mensura actiua, vel aptitudinē, vt passiuè mensuretur (actu enim mensurare, aut mensurari, euidens est non esse quantitatis essentiam) sed in neutra aptitudine potest cōsistere essentia quantitatis: ergo; probatur minor; quia vtraque aptitudo supponit extensionem partium, & oritur ex ea: ideo enim aliquod quantum potest mensurare alia, aut mensurari ab alio, quia habet partes. ergo prius est habere partes, quam habere talem aptitudinem. Cum ergò essentia sit omnium primum clarè sequitur in neutra aptitudine posse consistere quantitatis essentiam.

Dico 2. Neque etiam quantitatis essentia consistere potest in diui-

sibi-

ſibilitate proxima. hæc ſtatuitur cõtra Iau. Zanard. Aquar. Scot. & ſequaces, eſt tamen eorum quos adducemus in ſequenti concl. & probatur; quia aptitudo quam res quãta habet, vt diuidatur neceſſariò ſupponit extenſionem partium; ideo enim linea in partes diuidi poteſt, quia partes habet, & non econtra, ergo habere partes prius eſt, quam potentia proxima ad diuiſionem; & ſic quantitatis eſſentia conſiſtere nequibit in proxima diuiſibilitate.

Dico 3. Propria & formalis ratio quantitatis, eſt extenſio partium in ordine ad totum, ſiue in ordine ad ſe. hęc eſt D. Th. opuſc. 42. cap. 16. quem ſequitur Arauio, Maſ. Gallego, Tol. Ruu. Vaſq. Fonſeca, Lisbon. & communiter diſcipuli ſcholæ Angelicæ, & probatur. Illud eſt ratio formalis, & eſſentia alicuius, in quod tandem reſoluuntur omnes illius proprietates; ſed omnes proprietates quantitatis vltimò reſoluuntur

in

in extensione partium in ordine ad totum. ergo in illa consistit essentia illius probatur minor; quia ideo quantitas potest esse ęqualis, vel inęqualis, quia est extensa; ideo potest mensurari, vel mensurare, quia in se habet extensionem: ideo est diuisibilis in partes & impenetrabilis, quia habet illas. Non tamen valet econtra; neque est assignabilis alia ratio prior, quare quantitas sit in se extensa, nisi quia est quantitas. ergo extensio in ordine ad se est eius essentia.

Conf. Quia ipsa moles, quæ distinguit hoc prędicamentum à quãtitate virtutis, nihil aliud est, quam habere in se extensionem partium, & secundum hanc fiunt diuisiones essentiales huius prædicamẽti: continuitas enim vel discretio, longitudo, aut profunditas, &c. Sunt tales vel tales modi habendi partes. Et tandem ideo locus non ponitur distincta species quantitatis, quia non ha-

habet specialem modum extensionis distinctum à superficie, vt dicemus infra. ergo ratio formalis, & essentia quantitatis consistit in extensione partium in ordine ad se.

Probatur 2. esse qualitatis est qualificatiuam esse substantiæ, vt dicemus infra. ergo esse quantitatis erit quantificatiuum esse substantię; sed nihil est aliud quantificare substantiam, quàm facere illam extensam in ordine ad se, vt patet. ergo hęc est eius ratio formalis.

Arg. 1. contra 3. concl. Iuxta diuersos modos diuisibilitatis ponuntur diuersæ species quantitatis: ergo eius essentia consistit in diuisibilitate. Consequentia patet, & antecedens probatur; quia imprimis aliter est diuisibilis quantitas continua, ac discreta, siquidem hæc diuiditur in partes, quæ nullo communi iunguntur termino; illa verò in partes communi termino copulatas. Similiter linea, superficies,

&

& corpus distinguitur per hoc; quod vna est diuisibilis secundùm longitudinem, alia secundùm latitudinem, & alia secundùm profunditatem, ergo.

℞. Distinguo antecedens: si sensus sit species quantitatis sumi, tanquam ex prima radice; ex diuerso modo diuisibilitatis, nego antecedens; quia prius intelligitur quantitatem continuam, & discretam, & vniuscuiusque species habere diuersum modum extensionis, quàm diuisibilitatis, vt dictum est. Si verò sensus sit species istas sumi ex diuerso modo diuisibilitatis, tanquam à signo nobis notiori, concedo antecedens: ex quo tamen solum sequitur diuisibilitatem esse passionem quantitatis.

Arg. 2. contra eandem; extensio discretá partium, non saluat veram, & propriam passionem quantitatis; ergo non saluat veram & formalem rationem quantitatis, & sic

quantitatis essentia non consistat in extensione. Consequentia patet, quia vbi derogatur passio, negatur, & essentia; & antecedens probatur; extensio discreta partium non saluat diuisibilitatem earum, quæ est passio quãtitatis; numerus enim v. g. ternarius, siuè tres vnitates, quæ sunt partes numeri ternarij, non sunt diuisibiles in semper diuisibilia, aut in alias partes: ergò extensio directa quæ fit solùm per numerabilitatem partium, nòn saluat propriam passionem quantitatis, quæ est diuisibilitas in partes eiusdem rationis.

℞. Negando antecedens: ad prob. dico, quod extensio directa partium saluat earundem partium diuisibilitatem discretam; licet non continuam, duplex igitur est partium extensio, iuxta quam duplicem extensionem duplex constituitur species subalterna quantitatis; ita etiam duplex est diuisibilita-

litatis ratio , quæ consequitur ad extensionem; vndè alia est discreta diuisibilitas , & alia continua : illa consequitur extensionem discretam , & discretam quantitatem , putà numerum ; hæc verò extensionem consequitur continuam, & continuam quantitatem; & ita extensio discreta, sicut saluat veram, & propriam rationem formalem discretæ quantitatis, ita etiam saluat veram rationem discretæ diuisibilitatis .

Arg. 3. contra eandem; partium extensio conuenit substantiæ ; ergo non potest esse essentia , seu ratio formalis quantitatis, Consequentia tenet, quia essentia , & ratio formalis vnius rei nequit alteri conuenire . Antecedens verò probatur ; priusquàm intelligamus quantitatem habere extensionem partium , substantia habet partes extensas , quia vna est extra aliam ; nam caput non est manus, nec manus sunt

pe-

pedes. ergo extensio partium conuenit substantiæ præcisa quantitate.

℞. Distinguo antecedens; extensio partium conuenit substantiæ sine quantitate; extensio quantitatiua nego antecedens; extensio radicalis, aut substantialis, concedo antecedens. Ad prob. similitèr distinguo antecedens; vna pars substantię seclusa quantitate est extra aliam quantitatiuè, & actualitèr nego antecedens: substantialitèr, & radicalitèr, concedo antecedens. Cæterùm an substantia partes habeat independentèr à quantitate, in metaphysicis latè trademus.

CONTROVERSIA LXI.

Vtrum quantitas diuisione generis in species, diuidatur in continuam, & discretam?

NOta 1. Quantitatem aliam esse continuam, & aliam dis-

cretam. Continua est cuius partes copulantur communi termino, vt linea, superficies, corpus, tempus, & locus. Discreta est, cuius partes non copulantur aliquo cõmuni termino, vt numerus, & Oratio. Communis autem terminus est principium vnius partis, & finis alterius; sicut punctum in quocunque loco lineę designetur, vtriusque partis, hinc scilicet, & inde, & æquè principium, & terminus est. Et quia terminus, in quantùm terminus, oportet quod sit indiuisibilis; quia si diuidi posset, non esset vltimum terminans, vt patet: ideò termini communis nomine significatur aliquid indiuisibile communitèr terminans vtramque partem; quod in linea est punctum, in superficie linea; in corpore superficies; & in tempore instans.

Dico, diuisionem quantitatis in continuam, & discretam, esse generis in species. hæc statuitur con-

tra Fonf. eft tamen D.Th. opuf.43. de prædicam. quantit. & 1. p. q. 11. ar. 5. quem fequuntur omnes metaphyfici,& logici tam Scholæ Angelicæ, quam fubtilis cum fuo ducee. & probatur 1. Quantitas eft genus refpectu quantitatis continuæ, & difcretæ; ergo diuifio qua diuiditur quantitas in continuam, & difcretam, eft diuifio generis in fpecies. Antecedens probatur, quantitas vt fic eft genus generaliffimum prædicamenti quantitatis, vt omnes fatentur; fed huius generis non poffunt affignari aliæ fpecies, quàm quantitas continua, & difcreta: ergo quantitas vt fic, eft genus ad continuam & difcretam. minor probatur; nam cæteræ fpecies quantitatis non funt fpecies vt fic, fed funt fpecies quantitatis, vel continuæ, vel difcretæ; ergo fpecies quantitatis vt fic, quæ eft genus generaliffimum, non funt aliæ affignabiles, quàm quantitas con-

tinua, & discreta.

Probatur 2. Illud est genus quod prædicatur in quid de pluribus specie differentibus; & illæ sunt species alicuius generis, de quibus illud prædicatur in quid; sed de quātitate continua & discreta, quæ specie differunt; quantitas vt sic prædicatur in quid; ergo quantitas vt sic, erit genus ad continuam, & discretam; minor probatur, quia hę prædicationes sunt in quid, & essentiales; quantitas continua est quantitas; quantitas discreta est quantitas; ergo quantitas vt sic prædicatur in quid de continua, & discreta.

Probatur 3. Illa est diuisio generis in species, quæ fit per differentias oppositas essentiales, & essentialitèr contrahentes genus; sed talis est præfata diuisio quantitatis in continuam, & discretam; ergo; maior cum consequentia patent, & minor probatur; quia vt iam diximus,

mus, essentia quantitatis in hoc cõsistit, quod est habere partem extra partem; sed hoc quod est habere partem extra partem, diuiditur per differentias essentiales, & contrahitur essentialitèr per hoc, quod est dicere partem extra partem copulatam termino communi, vel non habere partes copulatas communi termino: Quæ quidem differentię sunt adeo essentiales, vt constituant duas species subalternas essentiales quantitatis; puta quantitatem continuam, & discretam; ergo præfata diuisio habet omnia requisita, vt sit diuisio generis in species.

Arg. 1. Id quod diuiditur diuisione generis in suas species, æqualitèr dicitur de suis inferioribus; sed quantitas non dicitur æqualitèr de illis; ergo; maior patet, quia diuisio generis in species, est vniuoca, vndè diuisum æqualitèr dici debet de membris diuidentibus. minor autèm probatur; quia quanti-

tas prius dicitur de continua, quam de discreta; cum ex diuisione continuæ fiat discreta; ergo.

℟. Negando minorem: ad prob. dico, quod licet comparando illas duas species, quantùm ad existentiam inter se, quantitas discreta dependeat à quantitate continua, & consequentèr quantitas continua sit aliquo modo prior discreta: tamen per respectũ ad suum genus æqualitèr se habent, & quantitas dicitur vniuocè de ipsis. Eodem modo quo corpus inferius dependet in suo esse existentiæ à corpore superiori, etiam in fieri & tamen corpus vt sic, vniuocè dicitur de cælesti, & terrestri, quia in ordine ad habendam rationem, & definitionem corporis, vnum non dependet ab alio, sed ex æquo, & sine dependentia, vtrumque corpus rationem corporis participat.

℟. 2. Etiam negando minorem, & ad probationem dico, numerum

non

non ſemper fieri per ſe ex diuiſione continui; cùm numerus hominum, & cælorum non ſit ex diuiſione continui; vnde ob hanc rationem non prædicabitur quantitas per ſe prius de continua, quàm de diſcreta; quod tamen neceſſarium erat, vt talis diuiſio non eſſet generis in ſpecies.

Arg. 2. Quantitas continua, & diſcreta non ſunt ſpecies eſſentialitèr diſtinctæ ſub quantitate, tanquàm ſub genere; ergo diuiſio quãtitatis in continuam & diſcretam, non eſt generis in ſpecies. Conſequentia patet, & antecedens probatur; vnius generis vna ſpecies non fit ex altera eiuſdem generis; non enim fit homo ex leone, aut nigredo ex albedine: ſed ex diuiſione continui fit quantitas diſcreta, puta numerus, vt patet; ergo.

R. Negando antecedens: ad prob. dico, quod licet vna ſpecies non poſſit fieri ex alia formaliter, & ſub

ratione speciei; non tamen repugnat quod ex indiuiduis vnius speciei fiat indiuiduum alterius speciei, præcipuè priori destructo; vnde ex numero v. g. binario, fit ternarius, non tamen manente binario in ratione binarij, & sub illa positiua terminatione binareitatis. Igitur ex continuo fit discretum destructo continuo, & partito in duo cō. tinua, quod nullum est inconueniens. Vnde quantitas continua non componit discretam secundùm formam, sed tantùm secundùm materiam, & destructo continuo, quatenùs partes quæ antè erant materia quantitatis continuæ, sunt deinde materia & partes quantitatis discretæ, v. g. numeri.

Arg. 3. Essentia quantitatis, quæ est extensio in ordine ad se, seu ratio diuisibilitatis pro radice, & potentia solùm conuenit quantitati continuæ, & nullo modo discretæ, nisi per similitudinem, & propor-

tio-

tionem ad continuam;ergo præfata diuisio erit analogi in analogata, & non generis in species. Consequentia patet, & antecedens probatur quantitàs discreta v. g. numerus ternarius, iam est diuisus in suas partes, ergo amplius non est diuisibilis. vt constat experientia; & sic non saluabit essentiam quantitatis.

℞. Negando antecedens: ad prob. dico, quod licet numerus ternarius sit actu diuisus materialiter quatenùs est diuisus secundùm vnitates, quæ sunt materia numeri; tamen formalitèr ternarius non est actu diuisus; vt enim continetur sub sua forma, non est actu diuisus in alias formas, & species, quia forma est vna, & indiuisa. est verò ternarius actu diuisibilis in suas tres vnitates, in quas si actu diuidatur, non erit amplius ternarius: sicut si quantitas continua palmi vnius, quæ est diuisibilis in duas partes, quarum quæ-

ſiber erit ſeſquipalmaris, non eſt actu diuiſa in illas partes, in quas ſolùm eſt diuiſibilis: & ſi talis potentia diuiſibilitatis reducatur ad actum, iam quantitas illa continua, non erit amplius quantitas vnius palmi, & ita proportionabilitèr dicendum in caſu noſtro.

CONTROVERSIA LXII.

Vtrum linea, ſuperficies, & corpus ſint verè ſpecies quantitatis continuæ.

NOta 1. Differentiam inter iſtas tres quantitates ſumi ex Ariſtit. 5. metaph. c. 13. Quod magnitudo continua ad vnum, eſt longitudo, ſeu linea; quæ vero eſt continua ad duo, eſt latitudo; quæ ad tria, profundum. Ex quo ſumitur definitio lineæ; quod eſt dimenſio verſùs longitudinem; ſuperficiei, quòd eſt extenſio versùs latitudinem; Corporis, quod eſt exten-

tenſio verſus profunditatem. Corpus autem continuatur ſuperficiebus, ſuperficies lineis; & linea punctis. Punctum eſt indiuiſibile ex omni parte: & imaginamur lineam fieri motu puncti, ſuperficiem motu lineæ verſus latitudinem; & corpus motu ſuperficiei verſus profunditatem: omnibus verò iſtis quantitatibus communis eſt quantitas continua, cujus partes copulantur communi termino.

Nota 2. Quod linea & ſuperficies dupliciter poſſunt conſiderari, vno modo vt ſunt indiuiſibiles ſecundũ aliquam rationem; alio modo vt sũt extenſæ, & diuiſibiles in partes, ex ea ergo parte qua ſunt indiuiſibiles non ſunt quantitates, ſed continuatiua quantitatis, nam linea eſt continuatiua partium corporis, & conſequenter vt ſic, non pertinet directè ad prædicamentum quantitatis; ſed tantum reductiuè: ex ea autem parte, qua ſunt extenſæ, & ſecundũ quod

quod habent diuisibilitatem in partes, directe pertinent ad hoc prædicamentum, in quo distinguntur à puncto, quod tantum reductiuè, & nullatenus directè ad prædicamentum spectat, quia solum habet rationem termini, & continuatiui indiuisibilis ex omni parte, vnde nullo modo predicatur de illo in recto, quod sit quantitas: linea autem & superficies, licet secundùm aliquam rationem habeant indiuisibilitatē, & rationem termini, & continuatiui; absolutè tamen habent extensionem, & diuisibilitatem; vnde & participant rationem essentialem huius prædicamenti, & consequenter directè ponuntur in illo, vt species completæ, & perfectæ, non obstante quod simul habeant rationē termini, & continuatiui; quia licet continuatiuum quantitatis excludens omnem extensionem, solum habeat rationem termini, & non quantitatis; tamen continuatiuum quan-

quantitatis, includens extensionem, & diuisibilitatem, simul habet rationem termini, & quantitatis, licet secundùm diuersam rationem; & ita linea & superficies, sunt species quãtitatis distinctæ inter se, & à corpore. & corpus, etiam vera est quantitatis species, cum vndique diuisibile sit; & corpus de genere quantitatis significat profunditatem, corpus verò quod est de genere substãtiæ, & cõdiuiditur contra spiritum, est illa substantia quæ petit hanc profunditatem.

Dico; lineam superficiem, & corpus, esse propriè, & per se species quantitatis continuæ; hæc statuitur contra M.Cab. Hurt. & alios. Eam tamen docet Arist. 5. metaph. c. 17. & D. Thom. ibidem lec. 15. & opusc. 48. trac. 3. cap. 5. & alibi sæpè; quem sequitur Cap. Caiet. Sonc. Iauel, Arauio, estque communis in schola Angelica, & probatur. linea, superficies, & corpus, sunt intrinsecè, & essen-

essentialiter quantitates; vtpotè quę à seipsis, & non ab alio habent extensionem, & diuisibilitatem; sed vnaquæq; habet propriã, & completam extensionem, essentialitèr ab alia distinctam. ergo sunt verę species quantitatis continuæ. probatur minor, quia vniuscuiusque partes exposcunt diuersa continuatiua, vt copulentur; siquidem partes lineæ copulantur punctis, partes superficiei lineis, & partes corporis superficiebus; & vnaquæque extẽsio quatenus talis est, non ordinatur ad aliam. ergo reuera vnaqueq; ex his dimensionibus, habet propriam, & completam extensionem distinctam essentialiter ab alia.

Conf. Tot sunt species extensionis permanentis, quot sunt modi positionis in vnoquoque corpore; sed isti sunt tres, nempe secundum longitudinem, vt antè & retro; secundum latitudinem, vt dextrum, & sinistrum; & secundum profundita-

ta-

tatem, vt sursum, & deorsum. ergo tres etiam erunt species extensionis fundantes tales positiones.

Conf. 2. Quia linea, superficies, & corpus habent diuersas proprietates; quia linea est breuis, aut longa; superficies lata, vel stricta; & corpus altum vel profundum, seu celsum & humile; ergo habent essentias diuersas, & sic sunt distinctæ species dimensionis.

Arg. 1. Linea & superficies intrinsicè sunt quid incompletum, sicut punctum. ergo non possunt constituere speciem per se, & directè in prædicamento quantitatis, sicut nec alia entia incompleta in aliis prædicamentis. Antecedens probatur, quia essentialiter sunt partes cōponentes corpus, ergo essentialiter sunt quid incompletum; & sicut pūctum, quia per se ordinatur ad componendam lineam, non est de prædicamento quantitatis; ita cum linea, & superficies per se ordinentur,

tur, vt partes ad componendum corpus, non sunt species, saltem per se, & directè in hoc prædicamento.

℞. Negando antecedẽs ad prob. dico, lineam & superficiem (quæ sunt veræ, & completæ quantitatis species) solum materialiter corpus componere; neque enim earum formalitates consistunt in hoc præcisè quod ordinentur ad componendum, sed etiam seorsim, & separatæ à corpore habent veram, & propriam extensionem, sicut partes ipsæ separatæ à corpore veram rationem quantitatis retinent. Non est autem simile de puncto, quia omnino partibus caret, & sic nullam quantitatem habet. Cæterum vna species, vt opposita est formaliter nõ cõponit aliam, sed materialitèr; quia entitas vnius supponitur ad entitatem alterius, sicut qualitas mixta vt albedo, supponit primas qualitates, ex quibus resultet,

vt

vt frigus, calorem, &c. Quod verò vna species quantitatis aliam componat, id prouenit, quia cum ratio quantitatis sit extẽsio partium, quęcumque species quantitatis, quæ affert positionem partium, potest alteri deseruire, vt coniunctis partibus resultet integrum continuum; tum etiam, quia sicut species minus perfectæ possunt concurrere, aut materialiter supponi ad compositionem perfectioris, sicut elementum componit virtualiter mixtum, & parietes domum. & sicut in numero vnitates componunt illum, non ratione negationis, quam vnitas importat, sed ratione positiui, quod habet; sic linea & superficies componunt corpus ratione diuisibilitatis dando partes, ratione verò indiuisibilitatis, non dant partes, sed continuationem.

Arg. 2. Differentiæ istarum specierum sunt negatiuæ; ergo non sunt veræ species quantitatis continuæ

nuæ, quæ per positiuas differentias constitui debent. Consequentia patet, & antecedens probatur, quia linea differt à superficie solùm per carentiam latitudinis, nam longitudinem ipsa habet; & superficies à corpore per carentiam profunditatis. ergo.

℞. Negando antecedens: ad prob. dico lineam distingui à superficie formaliter, non per carentiam latitudinis, sed per ipsam positiuam longitudinem, quia hanc non includit superficies formalitèr, vt superficies est; sed ratione lineæ, quæ materialitet ad illam præsupponitur. Vndè longitudo, quæ materialiter se habet in superficie, formaliter se habet in linea, sicut ternarius materialiter sè habet in senario.

Arg. 3. Ista indiuisibilia penetrantur cum alijs partibus; ergo per se loquendo non sunt species quantitatis, quia quantitas est impenetra-

trabilis. probatur antecedens; quia illud est continuum, cuius partes vnico termino indiuisibili copulātur; ergo terminus copulans debet esse intra vtramque partem, alias vtramque non copularet, & ita cum linea partes superficiei copulet, & superficies partes corporis, intra vtriusque partes debet penetrari; & sic non resistunt penetrationi, vt exigit ratio quantitatis. ergo.

℟. Negando antecedens: ad prob. dico, quod indiuisibile vniens partes, pro ea parte qua indiuisibile est; non penetratur, quia partes nō habet; imò facit, quod partes quas vnit, non penetrentur, eò quod penes extremitates vniuntur; linea autem, & superficies, pro ea parte, qua habent partes, non penetrantur; sed illas habent extensas; quatenus verò indiuisibilia non habent partes quas penetrant.

CON-

CONTROVERSIA LXIII.

Vtrum locus, tempus, & motus, sint vera species quantitatis continuæ.

NOta, quod locus est superficies concaua corporis continentis immobilis; id est, superficies ambiens cum immobilitate distantiæ. Tempus est numerus motus, secundum prius; & posterius; id est, mensura durationis motus, secundú partes priores, & posteriores. Motus dicitur actus entis in potentia, quatenus in potentia; id est, actus successiuè transiens, vbi aliquid est in potentia, & aliquid in actu: cæterum de his in physicis latè agemus.

Dico 1. locus non est propriè, & per se species quantitatis continuæ sed reducitur ad eam ratione superficiei, quam includit. hæc statuitur contra Masium, Petronium, & alios; eam

eam tamen docet D.Th.5. metaph. lec.15. quem sequitur Arauio.Sanches, Lisbon. & Complut. estque communior in scholis,& probatur; quia locus non habet de quantitate nisi vel superficiem, vel rationem ambientis, & circumdantis locatum; sed primum non est quantitas distincta à specie quantitatis quę est superficies; in ratione autem ambientis non addit nouum esse, Vel rationem quantitatis,sed continentiæ, vel applicationis relationem, quæ per accidens se habet,ad rationem superficiei; ergò locus prout sic, est ens per accidens, & consequenter nequit esse vera species quantitatis.

Dico 2. tempus non est species quantitatis per se, sed est quantum per accidens; hæc statuitur contra Tolet. Compl.& alios eã tamẽ docet M. Arauio,Sanch. Lisb. & plures alii & probatur. Quãtitas temporis, est quantitas durationis motus,& se-

ſecundum prius & poſterius in motu, eſt prius & poſterius in tẽpore, ex Ariſt. 4. phyſ. & conſequenter diuiſibilitas, & extenſio temporis, quæ non eſt aliud, quam prius, & poſterius in illo, ex iſto prius & poſterius in motu deſumitur; ergo tẽpus non habet diuiſibilitatem, & extenſionẽ per ſe, ſed ratione motus, & ideo eſt quantum per accidens; id eſt, per aliud, quod eſt non eſſe ſpeciem per ſe quantitatis.

Dico 3. Motus non eſt per ſe, & propriè ſpecies quantitatis hæc eſt contra Fonſec. Conimb. & alios. Eam tamen docent authores pro nobis citati, eſtque concors Angelicæ ſcholæ ſenſus, & probatur 1. ex Ariſt. & D. Tho. motus eſt quid imperfectum, & incompletum; ergo non poteſt eſſe ſpecies prædicamenti quantitatis. probatur conſequentia, quia ſpecies cuiuslibet prædicamenti, eſt ens completum, & perfectum in ſua ratione, nec eſt

in

in fieri, & in tendentia ad aliud; ergo.

Probatur 2. motus vt sic, est post-prædicamentum, vt infra dicemus, sed postprædicamenta non sunt in prędicamento aliquo, tanquàm species illius, aliàs non dicerentur post-prædicamenta. ergo.

Arg. 1. contra 1. concl. locus licet materialitèr sit idem quòd superficies, formalitèr tamen habet aliam rationem mensurandi, quia superficies extendit informando, & locus ambiendo; constat autèm quod etiàm superficies materialitèr est ex lineis, & numerus ex quātitatibus continuis, & tamen constituunt diuersam speciem quantitatis: ergo & locus.

℞. Negando consequentiam; dispar enim est ratio, quia superficies addit ad lineam nouas partes, & nouam rationem extensionis, licet præsupponat extensionem lineæ. numerus etiam soluit modum ex-

tensionis continuæ. & transfert in, di scretam, quæ diuersa est à continua, etiam in ratione extensionis. At verò locus non addit supra superficiem, nisi tantùm applicationẽ ad aliquid extrinsecum, quod ambit; & sic licet non habeat distinctã extensionem à superficie, est tamen diuerso modo mensura, quapropter Arist. numerauit locum inter species quantitatis, eò quod ad superficiem reducatur.

Arg. 2. contra 2. concl. tempus habet partes nouo modo extensas, scilicet penes diuersas moras, & successiones quibus partes fluunt. ergo habet quicquid requiritur ad rationem quantitatis per se.

℞. Negando antecedens; partes enim istæ successiuę motus, non addunt ad partes magnitudinis, seu spatij nouã extensionẽ, sed nouum modum oppositum permanentiæ, quatenus partes motus, id est, termini qui acquiruntur in spatio, seu di-

distantia, non simul existunt, sed transeunt, qui modus transeundi nõ dicit formalitèr modum nouæ extensionis, sed carentiam permanentiæ; vt de se patet: ex eo autèm, quod motus non dicat rationem extensionis distinctam à magnitudine, consequitur quòd tempus, quod est eius duratio, non habeat distinctam quantitatem à motu, quia tempus duratio motus est; nec alias partes habet, quàm motus, cuius numerus est secundùm prius & posterius; licet non quilibet motus sit tempus, sed solùm regularior, & vniformior.

Arg. 3. contra 3. concl. motus habet varias species, vt patet ex post prædicamentis; ergo motus est genus; ergo pertinet ad aliquod prædicamentum: sed non ad aliud, nisi ad prædicamentum quantitatis; ergo est species illius. probatur subsumpta minor, quia quantitas

dicit extensionem, & motus eandem importat. ergo.

℞. Distinguo antecedens; habet varias species incompletas, & imperfectas, concedo antecedens; cõpletas, negatur; vndè negatur paritèr consequentia; solùm enim sequitur quod reductiuè in genere sui termini ponatur; vt v. g. motus localis, reducitur ad vbi. motus augmentationis ad quantitatem, & motus pariter alterationis reducetur ad qualitatem.

CONTROVERSIA LXIV[1].

Vtrùm numerus prædicamentalis sit ens per se, & species quantitatis discretæ?

NOta 1. numerum esse quantitatem mensuratam per vnum; vnde & eius notitia ab vnitate pendet. Cùm ergo duplex sit vnitas, vna quæ est passio entis, quæ & tran-

& transcendentalis dicitur, quia in omnibus entibus reperitur: & altera, quę est propria quantitatis, & appellari solet prædicamentalis, quia tantùm inuenitur in prædicamento quantitatis: Indè est duplicem esse numerum. Alius dicitur transcendentalis, & reperitur in omnibus rebus, vt est numerus diuinarum personarum. Alius verò est numerus prædicamentalis, seu multitudo vnitatum prædicamentalium, vt est numerus trium hominum.

Nota 2. Ens aliud esse per se, & aliud per accidens. ens per se vocatur ens vnius essentiæ, & vnius rationis, siue sit compositum, siue simplex. nam dum plura conueniũt ad constitutionem vnius essentiæ, & rationis, vnum ens faciunt per se. Vnde Angelus, homo, albedo, seorsim considerata, sunt entia per se. ens autem per accidens dicitur, ens non vnius rationis & essentiæ, sed plurium, vnde homo & albedo si-

mul, sunt ens per accidens; cum constet ex rebus diuersorum prædicamentorum, quæ nequeunt vnã essentiam constituere.

Dico 1. numerus est ens per se, id est, vnius rationis, & essentiæ; hęc statuitur contra Dur. Gab. Greg. Ocham, Onnam, Fonsec. Conimb. Suar. Hurt. Vasq. & alios modernos nos, est tamen D. Thom. 1. par. q. 30. art. 3. & sæpius alibi; quem sequuntur Sanch. Naz. Heru Sonc. Iau. Mas. M. Arauio, Sotus, Caiet. Fland. Scot. Gallego, Ruu. Tol. & communitèr Thomistæ, atque etiã mathematici sequuti Eucliden, & probatur 1. Quia vt aliquid sit per se vnum, & ens saltem in infimo gradu perseitatis, non est necessarium quod partes eius sint realitèr vnitæ: sed sufficit si sint essentialitèr ordinatæ ad componendum, & habeant aliquam vnitatem compositionis, vel ordinis: sed huiusmodi sunt partes numeri ergo quamuis

illæ

illæ non sint realiter vnitæ, adhuc numerus potest esse per se vnum, & ens. minor constabit ex dicendis infra. maior autem probatur; Tùm quia domus v. g. & alia artificialia, sunt entia per se ratione vnius figuræ, quam habeant partes eius, licèt inter se non sint realitèr vnitæ. Tum atiàm quia non repugnat aliqua verè esse entia incompleta, etiamsi physicè inter se non vniantur; vnde possunt esse verè & simplicitèr partes alicuius entis discreti. Tum denique quia ratio vnius per se non consistit in indiuisibili, sed habet plures gradus; siquidem Deus est magis per se ens, & vnum, quam angelus; & angelus quam homo; & hic plus quam quantitas continua. Ergo saltèm in infimo gradu potest aliquid discretum esse per se vnum, si partes eius sint quid incompletum, & habeant inter se ordinem.

Probatur 2. Numerus quantita-

tiuus est obiectum proprium Arithmeticæ: ergo est ens per se. Antecedens patet, quia Arithmetica non habet aliud obiectum, quam numerum, seu quantitatem discretam. Et consequentia probatur; quia obiectum per se scibile, debet esse ens per se, vtpotè habens definitionem propriam, quæ est principium scientiæ, ergo numerus est ens per se.

Dico 2. numerus prædicamentalis absolutè & simpliciter est species quantitatis discretę; hęc est contra aduersarios citatos in præcedenti conclusione, eam tamen docent omnes ibidem pro nobis allegati, estque Aristot. & D. Thom. varijs suæ doctrinæ locis, probata manet ex dictis in præced. concl. & vlterius probatur 1. numerus habet mensurare secundùm proprietates quantitatis. ergo est in genere quantitatis & extensionis; consequētia patet, & antecedens probatur; quia

quia mensurat per rationem æqualis, paris, imparis, secundùm accretionem, & augmentum. ergo. probatur antecedens, quia numerando, & adiiciendo vnitates facimus aggregationem, & incrementum modo ordinato, idest, cum mensura prioris, & posterioris. ergo.

Probatur 2. numerus est ens reale, habens essentiam realem, & vnitatem per se, vt patet ex dictis. ergo pertinet ad aliquam vnam veram speciem entis realis: non ad aliam nisi ad speciem quantitatis discretæ, vt patet. ergo. probatur antecedens, datur vera scientia realis de numero demonstrans de illo determinatas proprietates reales per suam definitionem, scilicet Arithmetica; ergo.

Arg. 1. contra vtramque concl. Ex pluribus entibus in actu, non fit vnum per se, vt est commune axioma; ergo numerus non est ens per se, sed per accidens, cum constet ex

vnitatibus diuisis, & in actu; probatur antecedens; quia album dicitur ens per accidens, quia constat ex pluribus entibus in actu, etiamsi vniantur vt subiectum, & forma, ergo.

℞. Distinguo antecedens ex pluribus entibus in actu non fit vnum per se, vnitate formę, concedo antecedens: vnitate ordinis, & mensuræ, negatur. sicut enim fit ex pluribus entibus in actu vnum artefactum, sacramentum, vel conuiuium, quæ habent vnitatem per se, quatenus opponitur vnitati per accidens, quæ sumitur à multitudine, & non ab aliquo vno, siue forma, siue compositione, siue ordine; sic ab ordine sumitur vnitas per se in numero. Ad prob. autem antecedentis dico, quòd album formaliter sumptum est vnum per se, & definibile, vnitate desumpta à forma, licet de connotato, & denominatiuè dicat subiectum, vt reddens suppositionem

positum ipsi albo: sed si sumatur non formalitèr, sed pro constituto ex albedine & subiecto, hoc dicimus esse ens per accidens, quia non coalescunt illa in aliquã tertiã vnitatem: & simiiitèr numerus formalitèr dicit vnitatem vltimam sub vno ordine: si verò sumatur pro aggregato ex vnitatibus, & ordine, est ens per accidens; sicut & alia concreta pro constituto, seu aggregato.

Arg. 2. contra easdem. Non possunt plura in vnum coalescere, nisi vel vnitate, vel vnione: sed inter vnitates numeri non est vnio, cùm sint separatæ, & discontinuæ, & multò minùs vnitas. ergo numerus non est vnum per se.

℞. Distinguo minorem; non est vnio aut vnitas, per vnitatem formæ, vel compositionis, concedo minorem: per vnitatem ordinis, negatur. Varij igitur sunt modi vnitatis, & vnionis; scilicet vnitas formæ, vel compositionis, vel ordinis: nu-

merus autem non habet vnionem, neque vnitatem formæ, vel continuationis, aut compositionis; sed ordinis quantitatiui sub vna vltima vnitate.

Contra hoc est. Inter vnitates numeri, non inuenitur vnio ordinis sufficiens ad constituendum vnum per se. ergo solutio nulla. probatur antecedens, quia vnio ordinis præcisè absque aliqua alia non videtur sufficiens ad constituẽdum vnum per se, vt patet in exercitu, & ciuitate, quæ licet habeant vnitatem ordinis, non tamen sunt vnum per se. ergo.

℟. Negando antecedens: ad prob. dico, realem ordinationem inter duo, ratione alicuius incompleti in eis inuenti, esse sufficientem ad cõstituendum vnum per se. Vndè quia in hominibus, in quantùm sunt partes vnius exercitus, vel ciuitatis, nõ inuenitur aliqua realis, & physica entitas incompleta, à qua constituan-

tuantur partes talis exercitus, vel ciuitatis; sed moraliter tantum, & in æstimatione hominum, censentur quid incompletum; ideo exercitus, vel ciuitas, physicè loquendo, non est ens per se, sed solum moraliter: numerus verò prędicamẽtalis physicè est ens per se; quia vnitates ex quibus componitur, sunt quid physicè incompletum.

Arg. 3. contra easdem. partes vnius entis per se, non sunt partes alterius entis per se; sed partes nempè vnitates vnius numeri, v.g. ternarii, sunt partes alterius puta quaternarii. ergo numerus non est ens per se.

℞. Ad maiorem dicendo, in artificialibus nullum esse inconueniens, quod partes vnius entis per se sint partes alterius entis per se; quãdo illud primum ens cuius sunt partes, saltem materialiter considератum, potest esse pars alterius; vt videre est in propositione hypothetica

tica, quæ componitur ex duabus simplicibus, quæ sunt entia per se rationis; & pariter locus componitur ex superficie.

Arg. 4. contra easdem. Numerus non habet formam per se determinatam. ergo non est ens per se. Consequentia patet, quia omne ens per se, habet formam determinatam per se, vt patet. & antecedens probatur. In numero v.g. ternario non est assignabilis forma per se; nam forma numeri est vltima vnitas; ex tribus autem vnitatibus, non est per se determinatum, quęnam sit vltima; cum quælibet possit esse vltima, & prima, ergo &c.

℞. Negando antecedens; habet enim numerus vltimam vnitatem, vt vltima est, pro determinata forma. Ad prob. dico, solum conuinci, formam numeri non esse aliquã vnitatem determinatam materialiter consideratam, cum non sit maior ratio de vna, quam de alia; non

verò

verò conuincitur non habere vnitatem, quæ sit forma formaliter considerata; quia quælibet illarnm habet rationem formæ, quatenus habet rationem vltimæ, id est, rationem determinantis. Itaque quælibet vnitas quodammodo est forma physica respectu aliarum, quatenus est determinatiua, sicut etiam est materia respectu aliarum, quatenus est determinabilis; eodem planè modo, quo contingit in contractib. qui perficiuntur ex vtroque consensu contrahentium mutuo determinante, & determinabili, vt patet in matrimonio: cuius materia & forma sunt consensus. Ex quo liquet, quod forma determinata numeri, est vltima vnitas, sed formaliter accepta.

CON-

CONTROVERSIA LXV.

Vtrum oratio sit vera species quantitatis discretæ?

NOta, orationem variè sumi posse. 1. enim sumitur à theologis pro quodam actu virtutis religionis, quo mens eleuatur in Deũ; seu quo aliquid ab ipso petitur. 2. vsurpatur à dialecticis, vt deseruit ad explicandos animi conceptus, de qua egimus in summulis. 3. apud Rhetores accipitur, vt est instrumentum quoddam ad persuadendũ. & tandem 4. sumitur apud musicos pro oratione externa, seu vocali; secundum quod est realis multitudo prolationum, seu syllabarum discretarum ordine quodam sibi succedentium; quæ definitur; quod sit numerum, seu mensura durationum syllabarum secũdum longitudinem, & breuitatem; in hoc sensu in præsenti sumitur, quo modo continet

omnia

omnia genera carminum, vt hexametrum, pentametrum, sapphicum, &c. Item omnes carminum pedes, vt dactylum, spondęum, molossum, &c. tandem species tonorum, vt diatessaron, &c.

Dico 1. Oratio est vera species quantitatis. hæc statuitur contra nostrum Lisbon. Sanch. & alios; est tamen D. Th. opusc. 48. trac. 3. c. 2. Alb. Sonc. M. Arauio, Soto, Mas. Tol. Ruu. estque communior inter logicos, & metaphysicos, & probatur Oratio, vt hic accipitur habet partem extra partem; & rationem mẽsuræ tam actiuæ, quam passiuæ. ergo est vera species quantitatis. Consequentia patet, & antecedens probatur; quia oratio habet durationes illas, seu motulas syllabarum sibi succedentes, duratio autem, seu mensura durationis vnius syllabæ, est extra durationem, seu mensuram durationis alterius syllabę, quia duratio vnius syllabæ, non est du-

ratio

ratio alterius. Item tota illa extensio orationis verè mensurat prolationes syllabarum, ipsaque mensuratur suis partibus, nempè syllaba breui, & longa; sicut numerus mẽsuratur vnitatibus. ergo oratio est vera quantitatis species.

Dico 2. Oratio est vera species quantitatis discretæ. hæc est contra eosdem aduersarios; est tamen communior, & probatur 1. Quia motiones ipsæ aeris, seu prolationes syllabarum, cum fiant distinctis percussionibus, necessariò sunt discontinuæ, & mediat inter eas aliqua quies; licet sensu non percipiatur; ergo similiter durationes illæ, seu motulæ syllabarum, veræ sunt discretæ, & discontinuæ.

Probatur 2. Ideo numerus est vera species quantitatis discretæ, quia partes eius licet non vniantur termino communi, formalitèr tamen habent verum ordinem prioris, & posterioris, secundum quod essen-

tialiter petunt numerari vna post aliam; sed similiter partes orationis in ipsa successione sibi correspondēt secundum concentum, seu in ordine ad vnā consonantiam; licet nō vniantur communi termino; ergo oratio vera erit species quantitatis discretæ, & verum ens per se.

Arg. 1. contra 1. concl. Principium cuiuslibet quantitatis, vel est punctum, vel vnitas, punctum cōiunctę, vnitas verò deiunctæ; sed principium orationis neque est pūctum, neque vnitas, ergo oratio non est species quātitatis. probatur minor; imprimis non est punctum, quia oratio non est quantitas coniuncta; neque vnitas, quia ipsa non est numerus, cuius solius vnitas est principium. ergo.

℞. Negando minorem quoad secundam partem; ad prob. dico vnitatem quidem principium esse orationis, non tamen quamlibet, sed illam, quæ est applicata durationi sylla-

syllabarum ; nam in hac oratione, Deus, duratio primæ syllabæ est vna, & illa bis repetita constituit orationem, vt Deus; sunt enim in illa duæ vnitates durationis orationis.

Arg. 2. contra eandem. Omnes partes orationis sunt quantę per accidens. ergo tota oratio non potest esse quãnta per se, neque species quantitatis. Consequentia patet, antecedens verò probatur, numerus syllabarum secundum longitudinem, vel breuitatem consideratarum, non est prædicamentalis, quia ipsæ syllabæ non pertinẽt per se ad hoc prædicamentum; ergò omnes partes orationis, putà syllabæ, sunt quantum per accidens, id est, pertinent per accidens ad prædicamentum quantitatis.

℞. Negando antecedens: ad prob. dico, quod si syllabæ considerentur materialiter, verum est eas non pertinere per se ad prædicamentum quantitatis, sed potius qualitatis. si verò

si verò considerentur, vt important durationem earundem syllabarum secundum longitudinem, & breuitatem; vt sic, per se pertinent ad hoc prædicamentum.

CONTROVERSIA LXVI:

Vtrum proprietates quantitatis rectè assignentur.

NOta, in cap. de quantitate, tres proprietates quantitatis ab Arist. assignari. prima est, quantitati nihil est contrarium. secunda, quantitas non suscipit magis & minus. Tertia denique proprietas, & quantitati 4. modo conueniens est, vt dicatur æqualis, vel inæqualis; seu illa dicamur æquales, vel inæquales.

Dico 1. Rectè assignatur à philosopho prima proprietas quantitatis, scilicet quod quantitati nihil est cõtrarium; hæc est concors logicorum sensus, & probatur. Contraria propriè

priè sunt duæ formæ positiuæ; quæ sub eodē genere maximè opponūtur, & ab eodem subiecto mutuò se expellunt; sed hæc contrarietas in quantitate non reperitur. ergo. probatur minor, quia talis contrarietas dicit successiuam pugnā circa idem subiectum, sed quantitati nil simile conuenit, vt per se patet; cum etiam eadem res sit magna & parua diuersorum respectu; ergo non habere contrarium proprietas erit quantitatis, licet non in 4. modo, cum etiam substantiæ conueniat.

Dico 2. Secunda proprietas quātitatis; putà quod quantitas non suscipit magis, & minus rectè assignatur. Ita omnes logici & metaphysici, & probatur; quia suscipere magis & minus nihil aliud est, quam magis, vel minus radicari in eodem subiecto; sed hoc non potest quantitati conuenire; ergo quantitas non suscipit magis, & minus; probatur minor; quia vnum tri-

tricubitum non est magis, vel minus tricubitum quam aliud; neque vnus ternarius magis, aut minus est ternarius, quàm alius, vt per se patet; ergo non suscipere magis & minus, proprietas erit quantitatis, licet non in 4. modo, cum etiam substantiæ conueniat.

Dico 3. Tertia proprietas quantitatis, est maximè propria ipsius, vt scilicet quantitas dicatur æqualis vel inæqualis. hæc est omnium scholarum; & probatur inductiuè ab ipso philosopho; quia linea bipalmaris alteri bipalmari lineæ; & ternarius numerus alteri ternario æqualis est, & per quantitatem ipsam corpus vnum tricubitum dicitur æquale alteri tricubito; & inæquale bicubito; vt per se patet, ergo.

Arg. 1. contra 1. concl. magnum & paruum sunt contraria, sed magnum & paruum pertinent ad genus quantitatis; ergo.

℞. 1. Transeat maior; & negatur

tur minor; magnũ enim & paruum, non ad genus quantitatis, ſed ad genus relationis ſpectant, cùm ad inuicem dicant ordinem, vt patet.

℟. 2. Negando maiorem; magnũ enim & paruum non ſunt contraria, quia nullum ſubiectum poteſt ſimùl recipere duo contraria; magnum autèm & paruum ſunt ſimul in eodem ſubiecto reſpectu diuerſorum v. g. mons reſpectu milij magnus eſt, & reſpectu totius mundi paruus; & conſequentèr iſta non ſunt contraria.

Arg. 2. contra eandem locus ſurſùm & deorſum ſunt contraria, vt patet; ſed tamen pertinet ad quantitatem, quia pertinent ad locum, qui quantitas eſt. ergo &c.

℟. Diſtinguo maiorem, qua loca ſunt præcisè, nego maiorem; ratione alicuius extranei, concedo maiorem. locus igitur dupliciter cõſiderari poteſt. 1. in ratione quantitatis, quo modo nil aliud eſt, quam ſu-

superficies continens aliquod corpus,& sic nil ei contrarium est. Alio modo vt dicit certum situm, & sic dicitur vbi; & hoc modo contrariantur ei sursum & deorsum. sic pari modo dicimus quod lineæ qua linea, nil est contrarium, licet lineę rectæ contrarietur curua; cæterum rectitudo & curuitas sunt qualitates lineæ, quæ opponuntur.

Arg. 3. contra 2. concl. sicut per alterationem aliquid efficitur magis albũ; ita per rarefactionẽ efficitur magis longum; ergo sicut qualitas suscipit magis & minus, ita & quantitas.

℞. Negando consequentiam; nam magis & minus album accipitur secundum intensionem sub eadem extensione, secundùm quòd albedo magis aut minùs actuat subiectum; aut plures vel pauciores habeat gradus albedinis; sed tamen magis aut minus longum solùm dicitur secundùm extensionem; non

secundum maiorem radicationem in subiecto.

Arg. 4. contra 3. concl. æquale, vel inæquale pertinet ad prædicamentum relationis; æqualitas enim nil aliud est, quam relatio vnius quanti ad aliud quantum secundùm negationem excessus; ergo esse æqualem vel inæqualem, non est maximè proprium quantitatis.

R. Negando consequentiam: ratio est, quia æquale vel inæquale dicit vtrumque scilicet relationem, & quantitatem: nam ratio qua vnū est æquale alteri, quantitas est: verùm quia æqualitas non est nisi inter duo extrema, ęquale relationem dicit; & ideo vtrumque concedendum est suo modo; nempè quod res formalitèr sunt æquales quantitate; & quod sunt æquales relatione; ita tamen vt quantitas sit fundamētum proximum relationis. & ideò æquale & inæquale; potest poni ratione fundamenti in prędicamento quan-

quantitatis, & ratione relationis in prædicamento relationis.

Arg. 5. contra eandem. si tantum esset vnum quantum in rerum natura, non esset æquale, vel inæquale. ergo esse æquale vel inæquale non est proprietas quantitatis.

℞. Negando antecedens; dato enim quod in mundo solum esset vna quantitas, adhuc illa quantum ex natura sua fundamentalitèr, & in potentia, esset æqualis; vel inæqualis; quia haberet aptitudinem, vt esset æquale, vel inęquale alteri, si daretur tale extremum; licet actualitèr non esset æqualis, aut inæqualis: passio autem quantitatis est, quod ex natura sua sit æqualis, vel inæqualis; quod verò actualitèr ęqualis sit, quantitatis est accidens.

CONTROVERSIA LXVII.

Quomodo definiantur relatiua.

NOta 1. Arborem prædicamẽt. relationis hoc modo coor-

nari posse. Supremum genus est relatio realis secundum esse: diuiditur in tria subalterna genera; primum est quod fundatur in quantitatem. 2. in actione & passione. 3. in mensura. primum genus diuiditur in relationes ęqualitatis, inæqualitatis; similitudinis, & dissimilitudinis, &c, 2. genus in relationes causæ, & effectus, &c. 3. in relationem ad mensuram quæ est obiectum, vel quæ est exemplar. Relatio ad obiectum in relationem potentiæ, vel habitus, aut actus, & vnaquęque in varias species: quę omnia constabunt ex infra dicendis.

Nota 2. Quod licet omne accidens dicat ordinem ad subiectum, tamen diuerso modo ordinantur aliqua accidentia ad subiectum, atque alia; nam aliqua taliter ordinantur ad illud, vt vltimatè sistant in eo, ita vt non ordinent illud ad aliquid extrinsecum, vt patet in quantitate, quæ solùm habet exten-

tendere substantiam, & non ordinant illam ad aliud; & ista accidentia licet non sint absoluta à subiecto, sunt tamen absoluta à termino extrinseco. Alia autem accidentia taliter ordinantur ad subiectum, vt non sistant in illo vltimatè; sed ordinant illud ad aliquid extrinsecum; hoc patet in relatione prædicamentali v. g. in paternitate, quæ cùm non referatur, neque respiciat aliud vt quod, sed vt quo, quatenus est forma ratione cuius subiectum respicit aliud, ideò secundùm vnum conceptum inadæquatum habet respicere subiectum, & secundùm alium inadæquatum conceptum habet illud ordinare ad terminum: cum hoc tamen verificatur de relatione, etiamsi respiciat subiectum, quòd totum suum esse sit ad aliud se habere, id est, ad terminum extrinsecum, quia non alitèr respicit subiectum, nisi vt illud referat ad extrinsecum, & non

ad extrinsecum quomodocunque, sed in ratione termini.

Dico 1. rectè definiri relatiua in ordine ad sua correlatiua formalitèr sumpta, dicendo; quod relatiua sunt, quorum totum suum esse est ad aliud se habere. hæc statuitur contra Vasq. est tamen Arist. cap. de relat. D. Thom. 1. p. q. 1 o. art. 2. quos sequuntur cateruatim Thomistæ, & communiter Doctores, & probatur 1. vnumquodq; eo modo definiendum est, quo modo à nobis cognoscitur, sed vnum relatiuum cognoscitur à nobis in ordine ad correlatiuum, ex Arist. loco citato. Vbi dicit, quod qui definire nouit vnū relatiuum, nouit definire id ad quod dicitur, scilicet correlatiuum; ergo vnum relatiuum est definiendum in ordine ad correllatiuum.

Probatur 2. vnumquodque relatiuum secundum suum esse est ad correlatiuum essentialitèr; ergo vnumquodq; relatiuum est definiendum

dum in ordine ad suum correlatiuũ. Antecedens patet, & consequentia probatur; vnumquodque debet definiri ea ratione, qua habet essentiam & naturam; nam definitio rei explicat naturam & essentiam eius; ergo, si essentia cuiuscunque relatiui est quod secundum totum suum esse sit ad aliud, scilicet ad correlatiuum, vnumquodque relatiuum erit definiendum in ordine ad suum correlatiuum.

Dico 2. Definitio relatiuorum notior est suo definito. hæc est communis inter Thomistas, & probatur. 1. definitio relatiuorum bona est definitio, vt iam diximus: sed de ratione bonæ definitionis est, quod sit notior definito, vt diximus in Summulis. ergo.

Probatur 2. de essentia cuiuscunque bonæ definitionis, est quod sit ratio alicuius ignoti manifestatiua, sed non potest intelligi, quod definitio etiam relatiuorum sit alicu-

ius ignoti, nempè definiti manifestatiua, nisi sit notior definito. ergo.

Dico 3. Correlatiuum in ordine ad quod definitur relatiuum, non est de intrinseca, & essentiali ratione ipsius relatiui. hæc est concors Angelicæ scholæ sensus, & probatur 1. Illud quod est de essentia alicuius, prædicatur de illo in recto, & formalitèr, vt animal prædicatur de homine; sed correlatiuum non dicitur de relatiuo, siue in recto, siue formaliter; quia hæc propositio est falsa; pater est filius. ergo.

Probatur 2. Quicquid est de essentia alicuius, aut est genus, aut differentia, si fuerit totum metaphysicum: aut est materia aut forma, si fuerit totum physicum & naturale: sed correlatiuum neque est genus, neque differentia, neque materia aut forma respectu sui relatiui, vt de se patet; ergo.

Arg. 1. contra 1. concl. paternitas

tas est relatiuum, & ad aliquid, sed tamen non refertur ad aliud, neque definitur in ordine ad aliud, quia non dicitur, paternitas est filij paternitas: ergo vnum relatiuum non definitur in ordine ad suum correlatiuum.

℟. Ad minorem dicendo, quod licet paternitas non referatur in abstracto actualitèr ad aliquid, tamen refertur aptitudinalitèr, & in concreto; vel dicendum est referri, vt quo, non vt quod; vnde relata in concreto definiuntur, quatenùs actu exercetur respectus vnius ad alterum. Vnde negatur consequentia.

Arg. 2. contra eandem. vitiosa est definitio quę traditur per extrinseca; sed vnum relatiuum est extrinsecum alteri: ergo non debet definiri relatiuum in ordine ad correlatiuum.

℟. Distinguo maiorem; si res definita fuerit absoluta, & cum nul-

lo connexionem habeat, concedo maiorem; si fuerit relatiua, & veluti connexa alteri; negatur maior. Accidentia enim includũt substantiam in essentiali definitione, licet sit illis extrinseca, & alterius naturæ ab ipsis, & tamen definitio vitiosa non est.

Arg. 3. contra eandem; definitio debet esse clarior definito; sed si vnũ relatiuum definiatur per aliud, non posset esse clarior definito. ergo; probatur minor. Quia definitio in qua committitur circulatio, non potest esse notior definito, quia omnis talis definitio, & est definitio, & definitum, sed si vnum relatiuum definiatur per aliud, & èconuerso, in tali definitione committitur circulatio. ergo.

℞. Negando minorem: ad prob. Dico, quod in rebus absolutis, vitiũ est definitionem tradere per circulum, id tamen in respectiuis licere, imo & necessarium esse.

Arg.

Arg. 4. cõtra 2. concl. Relatiua sunt simul natura, & cognitione: ergo vnum non est notius altero; & ita si vnum per alterum definiatur, definitio non erit notior. Antecedens patet, & consequentia probatur, quia si vnum relatiuum non est notius altero, & vnum definitur per aliud, definitio vnius non erit notior eo, cuius est definitio. ergo.

℞. Negando consequentiam, quia licet relatiua simul cognoscãtur, tamen vnum potest cognosci vt notum, aliud verò vt magis notum, modo explicato: sicut quando lumen & color simul cognoscuntur eadem visione, & tamen magis videtur lumen, quia est ratio videndi colorem. eodem modo, licet relatiuum, & terminus simul cognoscantur; magis tamen cognoscitur terminus, quia est ratio, seu id, ratione cuius cognoscitur correlatiuum.

Arg. 5. contra 3. concl. Id quod

 in-

greditur defitionem alicuius est de intrinseca ratione eius, sed cor. relatiuum ingreditur definitionem relatiui ; ergo erit de intrinseca, & essentiali ratione relatiui . minor & consequentia patent,& maior probatur . definitio importat essentiam definiti ; ergo id quod ingreditur definitionem alicuius definiti, est de intrinseca ratione eiusdem definiti.

℞. Distinguo maiorem ; quod ingreditur vt genus, differentia, materia, aut forma ; concedo maiorem ; quod ingreditur tanquàm id, in ordine ad quod essentia sumitur, negatur maior ; hoc autèm modo se habet correlatiuum respectu relatiui , vt per se patet .

CON-

CONTROVERSIA LXVIII.

Vtrum in relatiuis detur causalitas, aut dependentia vnius ab alio?

DICO 1. Vnum relatiuum respectu alterius nullam causalitatem habet. hæc est concors Thomistarum sententia; & probatur. Si vnum relatiuum haberet respectu alterius rationem causæ, ergo alterum iam esset causatum formalitèr loquendo, vt per se patet; sed hoc est falsum. ergo. probatur minor, quia si vnum relatiuum esset causatum ab altero, illud quod est causatum, esset posterius saltem natura eo, quod est causa, & ita consequenter non esset simul natura & cognitione, quod est contra naturam, & essentiam relatiuorum. ergo.

Dico 2. Nullo modo in rigore sermonis dicendum est, quod vna rela-

relatio dependet ab alia. hæc patet ex præcedenti conclusione, & probatur; quia si vna relatio, siue vnum relatiuum dependeret ab alio, cum ipsa dependentia sit quædam posteritas naturæ, vnum relatiuum esset posterius altero, & sic non essent simul natura, sed hoc nullo modo est dicendum. ergo.

Arg. 1. contra 1. concl. Vnum relatiuum definitur per reliquum, vt diximus in præcedenti controuersia; ergò vnum relatiuum habet aliquam causalitatem respectu alterius. probatur consequentia, quia ly, per, aliquod genus causæ dicit ex D Thom. 1. p. q. 36. ar. 3. ergo.

℞. Negando consequentiam: ad prob. dico, quod vnum relatiuum definitur in ordine ad aliud, solum vt ad terminum, & non vt ad obiectum; vndè non sequitur vnum relatiuum esse causam finalem alterius, seu rationem formalem alterius relatiui, vt se habet obiectum

respe-

respectu potentiæ.

℞. 2. Ad antecedens dicendo, potius asserendum esse, vnum relatiuum definiri ad aliud, nimirùm ad suum terminum, quàm definiri per aliud, seu per suum correlatiuũ; quia dictio illa, per videtur denotare habitudinem causæ ad effectum; vnum autem relatiuum non est alterius causa, vt iam diximus. At verò illa dictio, Ad, nullius generis causæ habitudinem exprimit, sed habitudinem solum vnius extremi ad alterum; vndè cùm vnum relatum definiatur in habitudine ad alterum, dicendum potius erit omne relatiuum definiri ad suum terminum, quàm per terminum ipsum definiri.

Arg. 2. contra 2. concl. ex Diu. Thom 4. cont. g.c.14. vnum relatiuum dependet ab alio. ergo.

℞. Ad antecedens dicendo, quòd vnum relatiuum formaliter non dependet ab alio, aliquando tamen

con-

contingit in creaturis, quod materiale vnius relatiui ab alterius relatiui materiali dependeat. & quando dicit S. D. vnum relatiuum ab alio dependere, intelligit vnum relatiuum requirere aliud, vt existat, non vt à quo dependeat, quia se mutuò respiciunt, & totum esse vnius est ad aliud.

Arg. 3. contra eandem. Vna relatio formaliter non potest esse sine alia, præcipuè loquendo de relationibus mutuis; ergo vna relatio, seu vnum relatiuum dependet ab alio. Antecedens patet, & consequentia probatur, quia alias vna relatio posset esse sine alia, ergo.

℞. Negando consequentiam, quia licet vnum relatiuum non possit esse sine alio, hoc tamen non arguit dependentiam formalem vt ab alio; sed solum coexistentiam alterius extremi, vel necessariam connexionem cum illo.

CON.

CONTROVERSIA LXIX.

Vtrum essentia relationis sit referri actu, vel aptitudine ad terminum?

NOta 1. Quod aliud est loqui de relatione, & aliud de relatiuo; nam relatio est forma constituens; & relatiuum est id quod constituitur per relationem; & ideo relatio est id, quo relatiuum actu refertur ad correlatiuum; relatiuum verò est id, quod actu refertur.

Nota 2. Quod relatio potest sumi dupiciter; vno modo vt exercita, altero modo vt concepta. Relatio vt concepta, est essentia relationis, quatenus est apta nata referre vnũ ad alterum, v.g. relatio paternitatis, concepta, est essentia relationis paternitatis, quatenus apta nata referre patrem ad filium. Relatio verò vt exercita, est eadem relatio, & eadem essentia relationis; quatenus

nus actu refert vnum ad alterum, v.g. relatio paternitatis vt exercita, est eadem relatio paternitatis, quatenus actu refert patrem ad filium.

Nota 3. Quod relatio siue vt concepta, siue vt exercita, dummodo sit in subiecto, semper constituit relatiuum; quælibet tamen suo modo: relatio vt concepta, cōstituit relatiuum, vt conceptum; & relatio vt exercita, relatiuum vt exercitum. Et quia relatio vt concepta est forma apta natà referre, Vnum ad alterum, ideo relatiuum vt conceptum est subiectum aptum natum referri, id est, referibile ad alterum; quia verò relatio vt exercita, est forma quæ actu refert vnum ad alterum; ideo relatiuum vt exercitum, actu refertur ad alterum; vnde si relatio sit in subiecto, semper constituit relatiuum.

Dico 1. de essentia relatiui, est, quod si sit constitutum in esse relatiui per relationem, vt conceptam, quod

quod actu sit referibile ad terminum. Probatur; de ratione relationis vt conceptæ est constituere subiectum, seu relatiuum, vt actu referibile ad correlatiuum; ergo de essentia relatiui sic constituti, est esse actu referibile. Antecedens patet ex dictis, & consequentia probatur, quia subiectum non potest habere aliud esse, nisi illud quod ei dat forma, ergo cum forma, scilicet relatio vt concepta, solum sit id, quo subiectum est actu referibile; relatiuum per talē formam constitutum, non poterit esse nisi actu referibile ad suum terminum.

Dico 2. si relatiuum sit constitutum in esse relatiui, per relationem exercitam, de essentia ipsius est, quod actu referatur ad terminum. Probatur; quia de ratione relationis vt exercitæ, est constituere subiectum, seu relatiuum, vt actu referatur ad suum correlatiuum; ergo de essentia relatiui sic constituti, est

actu

actu referri ad suum correlatiuum.

Dico 3. Si loquamur de relatione vt concepta, potest esse quod sit in subiecto, quin faciat illud actualiter referri ad suum terminum. Probatur conclusio ex dictis. Relatio vt concepta solum constituit subiectum, vt referibile ad terminum: ergo talis relatio potest esse in subiecto, quin subiectum actu referatur ad terminum. Antecedens patet, & consequentia probatur; quia hæc relatio nihil aliud est, seu ex natura sua postulat, nisi quod subiectum sit referibile; & eius effectus primarius inseparabilis, qui identificatur cum illa, est facere subiectũ referibile ad terminum, ergo.

Dico 4. loquendo de relatione vt exercita, nequit esse in subiecto, quin illud actu ad terminum referat. Probatur, quia relatio vt exercita ex natura sua habet facere subiectum actu referri, vt iam diximus; ergo illa existente in subiecto

non

non potest esse quod subiectū relatiuum, actu non referatur ad terminum.

Arg. 1. contra 2. concl. Verba in definitione non dicunt actum, sed aptitudinem, vt quando dicimus; albedinem esse disgregatiuam visus, non est sensus quod semper actu disgreget, sed quod possit: ergo pariter cum dicimus relationem esse; cuius totum suum esse est ad aliud se habere, nō est sensus quod actu referatur, sed quod aptitudine sit referibilis, seu referat relatum ad terminum.

℞. Distinguo consequens: si loquamur de relatione cōcepta, concedo consequentiam; si de exercita, negatur; hæc enim constituit subiectum non vt referibile vt iam diximus, sed vt actu relatum. Cum quo tamen stat, de essentia relationis non esse, quod semper actu faciat relatiuum, sed quod ex natura sua habeat esse id, quo relatiuum con-

constituitur in esse relatiuo, & maximè si de relatione vt concepta loquamur; vnde verum est verba in definitione non importare actum, sed aptitudinem.

Arg. 2. contra 3. concl. Si existente relatione in subiecto, ipsum non actualiter refertur ad terminū, sequeretur, quod esset verum dicere, quod tale subiectum esset ens absolutum; sed hoc dici nequit, vt patet. ergo. sequela probatur; quia ens vel est absolutum, vel relatiuum; ergo si tunc illud non est relatiuum, erit absolutum.

℞. Negando sequelam: ad prob. dico, quod existente relatione, vt concepta tantùm, illud subiectum non est quid absolutum, nec est relatiuum vt exercitum, sed est relatiuum vt conceptum.

Arg. 3. contra eandem. Ex opposita sententia sequeretur quod album v.g. etiam non existente alio albo, esset relatiuum; sed hoc est fal-

falsum: ergo. sequela probatur, de essentia relatiui non est quod actu referatur, sed sufficit quod sit referibile; sed album antequam sit aliud album, est referibile, id est, aptum natum est referri; ergo album non existente alio albo, est verè & propriè relatiuum.

℟. Negando sequelam: ad prob. dico, verum esse quod ad relatiuum vt conceptum, sufficit quod sit referibile proximè ad suum terminum; album autem non est proximè referibile: de ratione verò relatiui vt concepti est, quod sit referibile proximè, id est, aptum natum proximè referri, adeo vt indigeat aliqua forma de nouo, ad hoc vt sit referibile. Cæterùm album non existente alio albo non est hoc modo referibile, quia indiget noua forma relationis, vt de se patet; vndè albũ erit solum referibile remotè, sicut quodlibet aliud absolutum ens, relationis capax.

CON-

CONTROVERSIA LXX.

Vtrum relatio secundum esse, & prædicamentalis, sit ens reale?

NOta 1. Quod duplex est relatio, alia secundùm dici, & transcendentalis, alia secundum esse & prædicamentalis; inter quas relationes magna est differentia, quia prædicamentalis solum est relatio, & solùm habet respicere, vel facere quod subiectum respiciat terminum, & nullum aliud esse habet, neque ordinatur principaliter ad perficiendum ipsum subiectum, per modum principii operationis, vel aliquo modo; sed præcisè habet ordinare subiectum ad aliud: at verò relatio trāscēdētalis habet perficere subiectum in se ipso, vt patet in potentiis & habitibus, qui tribuunt subiecto virtutem ad aliquas operationes, & licet hoc tribuant in ordine

ordine ad obiecta propria totum tamen hoc est vt perficiant subiectum, & ita relatio transcendentalis, & secundùm dici, circa suum terminum non solùm habet respicere illum, sed etiam habet vel sustentari ab illo, vt patet in relatione quam omne accidens dicit ad subiectum; vel cognoscere illum, vt patet in relatione quam dicit scientia ad suum obiectum, vel aliquid aliud huiusmodi.

Dico, Relationem prædicamentalem secundum suum esse importare aliquid reale. hęc statuitur cōtra Aureol. & alios antiquatos; eam tamen docet Arist. sæpius. D. Th. 1. p. q. 13. ar. 7. & q 28. ar. 1. & alibi sępè. M. Arauio, Flan. Sanc. Lisbon. Complut. Scot. & alii plures cum vtriusque scholæ, Angelicæ & Subtilis discipulis, & probatur. 1. In re nullo intellectu considerante inueniuntur aliqua non habentia aliud esse, quam ad aliud, quod non

conuenit relationibus secundùm dici, quæ habent esse absolutum, & non totũ sunt ad aliud, & multò minus conueniet relationibus rationis, vt patet; ergo inueniuntur relationes reales, quæ non sunt secũdùm dici, & sic erunt prædicamentales. Consequentia patet, & antecedens probatur, quia nullo intellectu considerante, inueniuntur in re aliqua, quibus nullum esse absolutum assignari potest; inuenitur enim ordo, vt exercitus ordinatus, inuenitur vna quãtitas alteri ęqualis, & vna albedo alteri similis, paternitas, & alia similia; sed his nominibus non significantur res absolutæ, sed habitudines vnius ad alterum; cuius signum est, quia non existente termino, deficit similitudo, aut paternitas, quod tamen non fieret, si illorum esse quid absolutum esset, vt patet. ergo.

Probatur 2. Ens diuisum in 10. prædicamenta est ens reale: ergo relatio

latio prædicamentalis participans rationem diuisi, debet esse realis: Antecedens patet, quia Arist 4.metaph. reijcit ens rationis, & postea ens reale diuidit in 10. prædicamenta. Consequentia verò probatur, quia in omni bona diuisione, diuisum participatur à membris diuidentibus. ergo.

Probatur 3. In diuinis dantur veræ relationes reales, vt sunt paternitas, & filiatio: ergo etiam in creatis concedendæ sunt reales relationes. Antecedens est de fide, & consequentia probatur, quia ideo pater æternus habet relationem realem paternitatis ad filium, quia verè generat illum, & est principium eius; sed idem contingit in creaturis; homo enim, aut leo verè generat, & est principium alterius; ergo verè dantur in creaturis relationes reales.

Arg. 1. Si darentur relationes reales, cresceret in infinitum mul-

tudo relationum in eodem ſubiecto, v.g. ad omnia, quæ ſunt ſimilia, æqualia, agentia, patientia, &c. ſed hoc videtur abſurdum. ergo.

℞. Ad maiorem dicendo, nullum eſſe inconueniens, quod multiplicentur iſtæ relationes, quoties multiplicantur fundamenta, & termini: maximè verò in ſententia D.Thom. multò minor eſt relationum numerus, cum vna relatio numero poſſit referri ad plures terminos numero diuerſos, vt infra dicemus.

Arg. 2. Nulla videtur neceſſitas, multiplicandi illas entitates relatiuas, diſtinguendo illas ab abſolutis. ergo non ſunt admittendæ. Conſequētia patet, & antecedēs probatur quia hoc ipſo quod ponãtur duo alba, ſine alia entitate vel modo, erũt ſimilia; & hoc ipſo quod quis genuit, ſine alia additione entitatis erit pater. Cum ergo nulla detur experientia iſtarum relationũ, & alias diſcurſus quo probatur dari ſufficien-

ficiētei salue tur sola positione duorum extremorum, non videtur solido fundamento probari, quod istæ relationes, sint formæ reales, & intrinsicæ.

℞. Negando antecedens; non enim est minor necessitas ponendi hoc genus entitatis relatiuæ, quàm genus quantitatis, vel qualitatis; quia etenim videmus effectus quãtitatis, vel qualitatis, indè tales formas dari colligimus; sic etiam quia videmus dari hunc effectum in rerum natura, scilicet ordinari aliqua, & habitudinem habere ad alia sicut similitudo, paternitas, &c. & in istis non est effectus respiciendi mixtus cum ratione absoluta, sed solum esse eorum consistit in respectu, indè optimè colligimus, dari hoc genus entitatis relatiuæ; sicut ex effectibus absolutis, entitates absolutas.

Arg. 3. Constitutiuum relationis prædicamentalis non est aliquid

 reale;

reale; ergo neque ipsa relatio prædicamentalis, secundùm suum esse erit realis. Consequentia patet, & antecedens probatur; cōstitutiuum relationis prædicamentalis est, ad aliud; ergo formalitèr non potest esse aliquid reale: consequentia patet, quia esse reale formalitèr, etiàm ex propria ratione; est actus illius cuius est esse, & respicit illud quod actuat; ergo formalitèr non potest esse ad aliud.

℞. Negando antecedens: ad prob. Dico, quod esse relationis realis est esse ad aliud, habens tamen esse in, quod respicit subiectū, in quo est, & sub hac ratione, est actus illius. Verumtamen si loquamur de illo, quod concipimus in tali modo differentiali, esse ad, vt sic, non importat rationem actus, vel aliquam existentiam, aut inhærentiam, sed solùm habitudinem ad aliud.

Arg. 4. Propria differentia rela-

tio-

tionis prædicamentalis est, quod totum esse relationis sit ad aliud; sed hæc differentia non potest esse aliquid reale; ergò relatio prædicamentalis nequit esse aliquid reale; maior & consequentia patent, minor autem probatur; quia, præfata differentia conuenit etiam relationi rationis; nam totum esse relationis rationis est ad aliud se habere; ergo talis differentia non potest esse aliquid reale.

℞. Negando minorem: ad prob. dico, quod totum esse relationis prædicamentalis est ad aliud se habere, non quomodocunque, sed independentèr ab operatione intellectus; quod quidem nullo modo conuenire potest relationibus rationis, vt de se patet.

CONTROVERSIA LXXI.

Vtrum relatio prædicamentalis constituat speciale genus entis realis.

DIco, prædicamentalem relationem constituere, speciale genus entis realis, ab alijs distinctũ. hæc statuitur contra Zenon. & Stoicos: est tamen concors Peripateticorum sententia, & probatur. Quia relatio ex eo quod sit ordo vnius ad aliud habet specialem, & proprium modum essendi, diuersum ab alijs entibus absolutis, quorum essentia non potest formalitèr consistere in tali respectu; vt patet; habetque relatio sub se plures species, & modos referendi diuersos, vt infra constabit; ergo verè constituit speciale genus entis realis.

Arg. 1. Vt aliquod ens constituat speciale prædicamentum, debet habere specialem rationem entis, quæ solùm reperiatur in vno prædica-

ca.

camento, & non in pluribus; sed relatio diuagatur per multa prædicamenta; ergo non constituit speciale prædicamẽtum; probatur minor; omnia alia accidentia dicunt ordinem, & relationem ad substantiam, vt ad subiectum; ergo relatio diuagatur per plura prædicamenta.

℞. Negando minorem; ad prob. Dico, quod relatio est duplex, alia ad subiectum, & hæc est communis omni accidenti, quia cum accidens sit aliquid substantiæ; omne accidens habet intrinsecum ordinem, & relationem ad illam, vt ad subiectum, & consequentèr ista relatio non constituit speciale prædicamẽtum, sed est transcendentalis: alia est relatio ad aliquid extrinsecum prætèr subiectum, nempe ad terminum, & hæc non conuenit omni accidenti, sed est specialis relatio constituens speciale prædicamentum.

Arg. 2. In prædicamentis reali-

bus accidentium concreta non ponuntur nisi ratione suorum abstractorum, vt supra docuimus, sed relatio in abstracto nequit esse in prædicamento; nisi ratione sui concreti; ergo non constituit de se aliquod speciale prædicamentum; probatur minor, quia relatio in tantùm ponitur in prædicamento, in quantùm est ad aliud; sed non refertur ad aliud nisi ratione concreti; non enim ipsa, sed concretum eius propriè refertur. ergo

℟. Negando minorem: ad prob. Dico, relationē formaliter, & in abstracto consideratam, habere ratione sui, hoc quod est esse ad aliud, seu referri, non vt quod, sed vt quo; in quantùm scilicet est id, medio quo fundamentum refertur ad terminum; & prout sic ponitur in prædicamento; vnde non ratione concreti, sed ratione sui collocatur in illo, & sic constituit speciale genus entis.

Arg.

Arg. 3. Relatio videtur esse postprædicamentum: ergo non est ponenda, vt speciale genus entis realis: probatur antecedens, tùm ex minima entitate illius; tum etiā, quia diuagatur per multa prædicamenta, & ad illa consequitur; quādoquidem ordo vnius ad aliud inuenitur in pluribus generibus: Imò prius, & posterius, oppositio, & alia postprædicamenta sunt relationes, ergo.

℞. Negando antecedens: ad prob. dico, quod postprædicamentū propriè non est entitas, sed modus entitatis, & quid ex sua ratione imperfectum, & incompletum; & ideo ratione sui consequitur ad plura prædicamenta. Relatio verò quamuis sit imperfectior alijs accidentibus; adhuc tamen est entitas completa, & non ratione sui, sed ratione fundamenti inuenitur in pluribus prædicamentis; & sic potest cōstituere speciale genus entis. Hoc

autem non habet prius & posterius; simul, &c. sed sunt puri modi, & non perfectæ relationes; ac proinde de numero postprædicamentorum.

CONTROVERSIA LXXII.

Quomodo relatio distinguatur à suo fundamento?

NOta 1. tria esse genera fundamentorum, in quibus omnes relationes prædicamētales fundantur. Primum est vnitas, & numerus, in quo fundantur relationes similitudinis, & dissimilitudinis; conuenientiæ, & disconuenientiæ; &c. secundum est actio, & passio, in quo fundantur relationes effectus, & causæ. Tertium denique fundamentum est, mensura & mensurabile, in quo fundantur potentiæ, quæ à suis mensurantur obiectis. Hic autem controuertimus de sola prædicamentali relatione, quia transcē-

dentalis non est quid distinctum à re absoluta, sed verè est quædam absoluta entitas; neque enim habet speciale prædicamentum, sed per omnia vagatur, vndè ex sua trascendentia habet imbibi in ipsa re absoluta, non tamen distingui ab illa.

Nota 2. relationem prædicamentalem, aliam esse mutuam, & aliam non mutuam: mutua est, quando ex parte vtriusque extremi datur ad inuicem relatio eiusdem ordinis, vt v. g. pater & filius mutuò ad inuicem referuntur. Relatio non mutua est, quandò solùm in vno extremo est relatio, sicut in scientia ad scibile. Relatio autem mutua alia est æquiparantiæ, & alia disquiparantiæ. Aequiparantiæ est relatio mutua eiusdem rationis, seu denominationis, sicut relatio similitudinis vtrumque extremum denominat simile. Relatio disquiparantiæ est diuersæ denominationis in vtroque

que

que extremo, sicut pater dicitur ad filium, non ad patrem. Quærimus ergò quomodo omnes hæ relationes, & quæuis aliæ prædicamentales à suis fundamentis distinguantur?

Dico 1. omnem relationem prędicamentalem indigere fundamento, in quo fundetur, & fulciatur; hæc est concors metaphysicorum, & logicorum sensus, & probatur. 1. ratione D. Thom. q. 8. de pot. art. 1. ad 4. vnaquæque relatio prædicamentalis habet totum suum esse in ordine ad aliud, ac proinde debilissimum; sed ea quæ habent esse debilissimum, indigent fundamento, mediante quo recipiantur in subiecto; ergo.

Probatur 2. Assignanda est ratio quare relatio v. g. paternitas conueniat magis huic, quam alteri subiecto; ergo cùm huiusmodi ratio sumatur ex fundamento, necessariũ est vnicuique relationi proprium

assi-

assignare fundamentum.

Dico 2. distinctio quæ versatur inter relationem & fundamentum, est realis & actualis, cuius extrema sunt realitas absoluta fundamenti, & relatiua relationis; hæc statuitur contra Suar. & alios ex recentioribus; eam tamen docet D. Thom. q. 8. de pot. ar. 2. ad 1. & sæpius alibi quem sequuntur cateruatim discipuli, & probatur 1. extrema quorum vnum verè & immediatè negatur de alio, & inter quæ est ordo effectus, & causæ, distinguuntur reali, & actuali distinctione, sed ita se habent relatio & fundamentum; immediatè enim relatio negatur de substantia, quantitate, qualitate, & reliquis prædicamentis; vnde hæ propositiones sunt immediatæ; & per se notæ: nulla substantia est relatio, nulla quantitas est relatio; &c. Rursus ordo fundamenti ad relationem, est ordo causę efficientis, & materialis sustentantis; ergo sunt

ex-

extrema realis ; & actualis distinctionis.

Probatur 2. Quando duo ita se habẽt, quod ad vnũ possit terminari per se 1. motus, & non ad alterũ, differunt realitèr, quia diuersa realitas est acquisibilis per se primo ab acquisibili secundario per motum; ergo cum ita se habeant relatio & fundamentum, ex Aristot. 5. phys. cap. 3 realitèr distinguentur.

Probatur 3. quia quæ differunt essentialitèr, differunt etiam realitèr, id est, ex natura rei, vtpotè cum gaudeant diuersis definitiònibus, & essentiis ; sed relatio & fundamentum differunt essentialitèr, & gaudent diuersis essentijs; ergo; minor patet, quia differunt genere, & prædicamento. ergo à fortiori differunt essentialitèr, siquidem differunt plusquam specie.

Probatur 4. Quia relatio aduenit realitèr, fundamento existente, & perit realitèr ipso remanente; ergo

go distinguitur realitèr ab illo; consequentia patet, antecedens verò probatur, quia Petrus ante generationem non est pater, & post illam est verè & realitèr pater; similitèr pereunte filio desinit esse pater, manente eodem Petro; ergo.

Probatur 5. Quia per aduentum relationis prædicamentalis realitèr, & intrinsicè mutatur fundamentũ; ergo taliter inter se distingũtur; cõsequentia patet, antecedens verò probatur dupliciter. 1. Quia aliàs possent poni in Deo relationes reales ex tempore, respectu creaturarum salua immutabilitate diuina, quas tamen concorditer repudiant Theologi, nulla alia ratione, nisi quia, iam Deus mutaretur per receptionem alicuius accidẽtis realis. 2. quia inintelligibile est aliquã realitatem aduenire de nouo alicui, & quod ipsum non mutetur, siquidem mutari est aliter se habere; sed relatio, & formale eius, est aliqua realitas,

vt supra docuimus; ergo, adueniente ipsa realitèr mutatur fundamentum.

Conf. Quia relatio prædicamentalis facit compositionem realem, cum fundamento; ergo illud realiter. & intrinsicè mutatur per receptionem illius, consequentia patet, antecedens verò probatur, quia relatio est verum accidens reale; ergo comparatur vt forma realis subiecto; cui inest: sed quæ comparantur inter se vt actus, & potentia realis, faciunt compositionem realem; ergo.

Arg. 1. contra 2. concl. Relatio aduenit fundamento absque vlla mutatione reali eius; ergo non distinguitur realitèr ab illo; consequentia patet, quia forma realis non potest de nouo aduenire alicui, quin ipsum alitèr se habeat nūc, ac prius, quod est mutari; Antecedens verò probatur, quia existente Petro albo, si ponatur apud Indos aliud album,

bum, ſtatim Petrus incipit eſſe ſimilis illi; ſed hoc fit abſque productione alicuius nouæ realitatis in Petro; ergo abſque reali mutatione, probatur minor, quia nulla datur cauſa talis entitatis; ergo; probatur antecedens, quia neque fundamentum, nempè Petrus aliquid tunc operatur, & multò minus poteſt eſſe cauſa terminus, nempè illud album, quod de nouo producitur; quippe cum abſurdum videatur rē apud Antipodas productam aliquid reale operari in Petro hic exiſtente Romæ; ergo.

℞. Negando antecedens; ad prob. negatur minor, quia reuera poſito termino, reſultat in fundamento noua entitas realis; & ad prob. minoris dico, quod licet non detur cauſa producens talem relationem, per actionem per ſe terminatam ad ipſam; datur tamen cauſa realis, à qua reſultet per ſimplicem emanationem; talis autem cauſa non eſt

ter-

terminus,sed ipsum fundamentum, à quo vt à principio pullulauit relatio, positio autem termini est conditio sine qua non.

Arg. 2. contra eandem. Accidens reale à parte rei distinctum à subiecto, in quo est, facit cum illo compositionem realem; siquidem vniũtur per modum actus, & potentiæ ante omnem operationem intellectus; sed relatio adueniens fundamento non facit cum illo compositionem reale; ergo; maior & consequentia patent; minor autem probatur, quia vnum album post productionem alterius albi, non est magis compositum quàm anteà; ergo.

℞. Negando minorem; ad cuius prob. negatur antecedens; album enim simile est compositius, quàm album; licet fallatur imaginatio ex eo, quod relationum nomina non importent explicite esse. In, sed esse Ad, quod tamen non tollit, quominus secundùm quod relatio dicit in,

verè

verè cum fundamento componat.

Arg.3.cōtra eand. Si relatio distinguitur à parte rei à fūdamēto, posset impediri à Deo ne resultaret posito fundamento, & termino; sed hoc falsum; ergo; maior patere videtur, quia quæ distinguntur à parte rei, possunt separari, vel impediri; minor autem probatur, quia non est intelligibile quòd dentur duo alba, & non sint similia; ergo.

℞. Transeat maior, & negatur minor; ad cuius prob. dico, quod si impediretur relatio ne pullularet, manerent illa duo alba fundamentalitèr similia, non formalitèr; relatio autem ad hoc seruit, vt formaliter res dicantur relatæ, non fundamentalitèr.

℞.2. Negando maiorem; ad cuius prob. dico, non omne quod realitèr distinguitur ab alio, esse semper separabile ab illo, si sit res; vel impedibile ne resultet, si sit modus; sicut materia non potest separari ab omni

omni forma, neque quantitas terminata ab omni figura; tametsi realitèr distinguantur.

Arg. 4. contra eandem. Si distinguitur relatio realitèr à fundamento, non est cur ad illam non detur per se motus; sed hoc negat Arist. 5. phys. cap. 2. ergo; probatur maior, quia omnis entitas etiam modalis est capax motus, vt vbi, situs, &c. ergo.

℟. Negando maiorem; quia nō ad omnem entitatem realem potest dari per se motus, sed sufficit aliqua resultantia, sicut propriæ passiones, quæ non producuntur per se, sed ad productionem substantiæ resultant, relatio autem est entitas, vt quid consecutum ex fundamento & termino: vnde ad prob. maioris dico, quod illi modi qui afferuntur, non sunt aliquid ex alio consecutum, sed per se producibile; & ideo terminant mutationem per se, non solam

ſolam reſultantiam nouam, ſicut relatio.

CONTROVERSIA LXXIII.

Vnde ſumitur diſtinctio ſpecifica relationis?

DICO, vnitatem, & diſtinctionem ſpecificam relationum deſumi, tùm à termino, tùm ex fundamento, ſecundùm formales rationes fundandi, & terminandi; hęc ſtatuitur contra Fland. Naz. & alios aſſerentes ſolum deſumi à fundamentis; & etiam contra Soncin. & quoſdam ex iunioribus volentes ſumi à ſolis terminis totalib. eam tamen tenet Maſius, Sanch. Ruu. Arauio, Lisbon. Suar. & alii, & probatur; Relatio eſſentialitèr eſt ordo vnius ad aliud: ergo per ſe requiritur fundamentum & terminus ad eſſentiam eius; primum tanquàm id à quo emanat relatio, & ſecundũ tanquam id, in quod tendit; vndè

ea.

eadem proportione ab vtroque sumitur species ipsius.

Arg. 1. Correlatiua sunt simul natura; ergo vnum non se habet vt prius altero; ergo neque vt specificatiuum, quia specificatiuum est prius specificato, vtpotè causa illius:

℞. Negando secundam consequentiam; quia terminus licet sit simul natura formaliter cū suo correlatiuo, tamen ab illo dependet specificatio, non vt à principio causante illam, sed vt à terminante, & complente: & sic tota prioritas causæ specificantis tenet se ex parte fundamenti, per terminum verò non specificatur, sed ad terminum.

Arg. 2. Terminus est oppositus relationi, sed ab opposito non sumitur species, sumeretur enim species opposita; ergo.

℞. Negando minorem; quia à termino opposito, oppositione respectiua, potest sumi specificatio, vt

à

à terminante, & complente, non vt à causante illam, quia oppositio relatiua est minima inter omnes oppositiones; neque enim tollit alterum extremum sed ponit, vel supponit, & ita ad illud specificatio eius ordinari potest.

Arg. 3. Terminus est purus terminus respectu relationis; ergo nõ est specificatiuum illius; antecedens patet, & consequentia probatur; quia ideo est purus terminus, quia causalitatem nullam exercet, sed purè respicitur; sed specificare quoddam causare est; ergo.

℞. Negando consequentiam; quia purus terminus sub formalitate termini specificare potest, terminando & complendo, non causando & tanquam id ad quod specificatur, non per quod.

CONTROVERSIA LXXIV.

Vnde sumatur distinctio, & vnitas numerica relationis?

DICO, vnitatem, & distinctionem numericam relationum sumendam esse ex vnitate, vel distinctione numerica subiecti, cui inhærent; ac proindè eundem patrem, v.g. eadem numero paternitate respicere plures filios; hæc statuitur contra Scot. Vasq. Suar. & plures alios ex modernis; eam tamen docet D.Th.3.p.q.35.ar.5. cui subscribunt concorditèr discipuli, & probatur ratione eiusdem S. D quia duo accidentia solo numero distincta non possunt esse simul in eodem subiecto; ergo neque duæ paternitates in eodem patre respectu duorum filiorum; consequentia patet, antecedens verò est D. S. & latius ostendetur à nobis in nostra synopsi de ortu de interitu; ergo.

Arg.

Arg. 1. non poteſt idem effectus pendere à pluribus cauſis totalibus eiuſdem ordinis, & rationis; ſed quilibet filius eſt ſufficiens, & totalis terminus paternitatis, quia ſufficientèr, & totaliter ad illam ſpecificatur relatio; ergo nō poteſt à ſequenti filio eadem relatio pendere.

℞. Diſtinguo maiorem, vnus effectus non poteſt pendere à plurib. cauſis totalibus, & adæquatis formalitèr, concedo maiorem; ſi ſint plures ſolùm materialitèr, negatur; hoc enim modo bene poteſt ab illis pendere effectus, quatenus in vno modo cauſandi, vel terminandi conueniunt; ſicut ſi tractio lapidis ſufficientèr ſit à decem hominibus, poteſt tamen fieri à viginti; qui materialitèr ſolùm ſunt plures, ſed formalitèr conueniunt in vna ratione cauſandi; ſic relatio patris ſufficientèr terminatur ad vnum filium; ſi tamen ſint plures, etiam terminabitur ad illos, tanquàm conuenien-

tes in eadem ratione terminandi vnicam potentiam generatiuam diuersis actionibus modificatam; in ea enim sic modificata fundatur ista relatio.

Arg. 2. Respectu noui filii datur noua generatio; ergo & noua relatio quæ cum generatione identificatur.

℞. Negando consequentiam; licet enim ponatur noua generatio respectu noui filii, eo quod diuerso tempore, & ex diuersa materia fit (aliàs enim benè possent eadem generatione plures filij nasci) tamen relatio non identificatur cum actione, nec fundatur in i la nisi, quatenùs determinat potentiam generatiuam, & hæc vnica est: vndè sicut quando plures filij nascuntur ex eodem partu, relatio patris non potest esse nisi vnica, quia in eadem actione fundatur, ita etiam quando per plures actiones producuntur, per accidens enim se habet, quòd plures

res actiones, vel vnica actio eiusdẽ potentiæ eam modificent ad relationem eiusdem rationis.

Arg. 3. Relatio est indiuisibilis, & simplex modus; ergo si mortuo vno filio, & alio permanente, respectus ad vnum permanet, & ad alterum perit, eadem entitas permanet, & non permanet, quia simplex est.

℞. Distinguo antecedens; relatio est indiuisibilis entitatiuè; concedo antecedens; respectiuè, negatur: sic ergo relatio licet entitatiuè sit simplex, terminatiuè tamen multiplex est; quod est respectiuè esse diuisibilem, & entitatiue indiuisibilem; & ita pereunte vno ex terminis, materialitèr ibi repertis, perit relatio quoad applicationem, & extensionem ad illum, non simplicitèr, & in se.

CONTROVERSIA LXXV.

Quomodo explicandæ sunt proprietates relatiuorum.

DIco 1. Habere contrarium, non conuenit relationi secundum se, sed ratione fundamenti, quando est qualitas; hæc est concors Scholarũ sensus, & probatur; Quia ad relationem non datur per se motus, benè autem ad qualitatem; ergo non potest ratione sui habere contrarium, sed solùm ratione qualitatis in qua fundatur.

Dico 2. Relatio secundùm se non suscipit magis, & minus, sed tantùm ratione fundamenti, quando est qualitas; hęc est omnium metaphysicorum, & logicorum, & probatur; Quia suscipere magis, & minus, seu intendi, & remitti propriè loquendo, exigit vt in ipsa essentia etiam indiuiduali rei, quæ intenditur, aut remittitur, sit latitudo quædam

dam gradualis, ratione cuius poſſit ſecundùm ſe ipſam augeri, vel minui, ſeu magis, & minus imprimi ſubiecto, quod quidem ſolis qualitatibus conuenit, vt conſtabit infra, dum de qualitate agemus; ergo reuera relatio ſecundùm ſe non ſuſcipit magis, & minus, niſi ratione qualitatis, in qua fundatur.

Dico 3. Relatiua dicuntur ad cõuertentiam; Ita Ariſt. cum omnibus diſcipulis, & probatur ipſam explicando. dici ergo ad conuertẽtiam in præſenti eſt, quod vnum relatiuum explicetur per ordinem ad aliud in obliquo poſitum, vel quomodolibet dicatur eſſe illius; nàm eò ipſo quòd inter aliqua duo ſit aliquis reſpectus, qui reſpicit, aliquem reſpicit; & qui reſpicitur, ab aliquo reſpicitur; ergo.

Dico 4. Quod relatiua ſint ſimul natura, intelligi debet de relatiuis formalitèr, in quantùm relatiua ſunt, & vt ſunt in exercitio reſpi-

ciendi; hæc est communis, & probatur; Quia in ipsa ratione respiciendi, & relatiui formalitate, relatiua causalitatem non habent, quia vna relatio non causat aliam, sed quælibet à suo fundamento causatur, & habent connexionem, quia vnum non potest esse sine alio; ergo sunt simul natura.

Dico 5. Quod relatiua sint simul cognitione intelligitur de relatiuis formalitèr secundùm exercitium respiciendi non secundùm quòd relatio consideratur, vt informans, sed vt respiciens. hæc est cōmunis scholarum sensus, & probatur. Quia materiale, & fundamentale in relatione potest cognosci, vt prius suo termino, cùm possit esse causa illius, aut specificatiuum, vel obiectum eius, & sic licet definiri non possit sine illo, tamen non simul cognitione est, quia potius est causa cognoscendi, & explicandi illud, cum sit definiens: sola autem

re-

relatiua, in quantùm correlatiuè se habent, & oppositionem exercent, habent simultatem, quia connexionem habeant respectus, & puri termini; & non causalitatem, vt patet; ergo.

Arg. 1. contra 2. concl. Relationes similitudinis, & dissimilitudinis decrescere possunt, crescente fundamento, & ècontra; ergo ipsæ relationes secundùm se, & non à fundamento suscipiunt magis, & minus. consequentia patet, & antecedens probatur experientia, ponantur duo alba, vnum vt sex; & aliud vt quatuor; inter ipsa est similitudo, augeatur postea album vt sex, vsque ad octo, tunc crescente fundamento, decrescit similitudo, vt patet; ergo.

℞. Negando antecedens; ad cuius prob. dico, quod quando augetur, vel minuitur qualitas, in qua tales relationes fundātur; non augeri, aut minui ipsas relationes, sed va-

riari, ita vt priores deperdantur, & acquirantur aliæ; & consequentèr nullam in se suscipere magis, & minus.

Arg. 2. contra 4. concl. vnum relatiuum specificat aliud, cum sit terminus eius, sed specificans est prius specificato cùm sit causa illius; ergo relatiua nō sunt simul natura.

℞. Ad maiorem dicendo, quod terminus vt formalitèr oppositus, & correlatiuus, non specificat primò, & per se relationem, sed potius specificatur ad illum, quàm ex illo; concurrit enim fundamentum vt specificans per modum principij, & causæ; cum ordine tamen ad terminum, in quo complētur, & terminatur specificatio: quarè negatur consequentia.

Arg. 3. contra eandem. Relatiua rationis sunt simul, vt genus, & species; ergo conuenit alijs, quam relatiuis prædicamentalibus talis proprietas.

℞. Ne-

℞. Negando ans; relatiua enim rationis non sunt simul natura, quia non habent esse, sed solùm cognosci, & ideo non magis sunt simul natura, quam ipsæ cognitiones vnde resultant.

CONTROVERSIA LXXVI.

Quomodo definiatur qualitas.

NOtæ, prędicamentum qualitatis hoc modo coordinari posse. Genus supremũ est qualitas; quæ diuiditur in quatuor genera immediatè, nempè habitum, & dispositionem; potentiam & impotentiam; passionem, & passibilem qualitatem; formam, & figuram; & vnumquodq; istorum generum diuiditur in varias species: Habitus enim diuiditur in operatiuum, & nõ operatiuum; non operatiuus in corporalem, vt est pulchritudo, sanitas, & in spiritualem, vt est gra-

tia: Oparatiuns similitèr in sensibilem, & spiritualem; sensibilis in varios habitus appetitus sensitiui, vt est temperantia, fortitudo, &c. Spiritualis in intellectualem, & moralem: Intellectualis in quinque species, nempe sapientiam, scientiam, intelligentiam, prudentiam, & artẽ. moralis diuiditur in bonum, & malum; malus per omnia genera vitiorum secatur. & bonus per omnia genera virtutum moralium; vt est iustitia, religio, pietas, &c Potentia autem diuiditur in actiuam, & passiuam; actiua in corpoream, & incorpoream; sub corporea vitales, & non vitales continentur; sub vitalibus, sensitiuæ, vegetatiuæ, &c sub sensitiuis sensus interiores, & exteriores; sub incorporea voluntas, & intellectus, & reductiuè supernaturalis potentia, quæ est character.

Dico, qualitatem hoc modo rectè definiri, seu potius describi. Qualitas est, secundum quam qua-

les

les esse dicimus; hæc statuitur contra plures ex modernis; est tamen communis in scholis cum Arist. & D.Th. & probatur ipsam explicando. Qualitas ergo est accidens, à quo res constituitur in esse qualis, & per quod propriè respondetur interrogationi factæ per quale; Quod indè est, quia qualitas inter omnia accidentia, propriè qualificat, & nobilitat subiectum; quantitas enim quantificat, & potius materializat subiectum, extendendo, & ordinando partes eius materiales: reliqua enim prædicamenta, vel ordinant subiectum ad aliud, vt relatio, vel ab aliquo extrinseco dependent ordinante, vt sex vltima prædicamenta, vt dicemus infra, sola qualitas in ordine ad subiectum nobilitandum, vel qualificandum datur; vel ad contrarium nobilitationis, & qualificationis, qualificare autem aliquid dicitur, per id, quod est actuale, & per modum formæ determi-

mi-

minans, & sic qualitas format, & qualificat accidentalitèr, primò, & per se, d quod potentiale, & informe est; quia licet alia accidentia etiā perficiant, & actuent subiectum, non tamen id habent primo, & per se, sed vel quantificāt materiam, vel ad extrinsecum ordinant, aut ab extrinseco in sua denominatione dependent; ergo rectè dicitur qualitas, qua dicimur quales, id est formati, & qualificati.

Arg. 1. Adducta qualitatis definitio est nugatoria; ergo non admittenda; consequentia patet, & antecedens probatur, quia idem dici videtur, ac si diceretur albedo est id, quo dicimur albi, quod est explicandum proponi; ergo.

℟. Negando antecedens, ad cuius prob. dico, in dicta definitione non tradi idem per idem, vel quia definitio explicat statum concretionis, vt notiorem, vel quia explicat specialem effectum huius accidentis,

tis, quod est qualificare, & nobilitare.

Arg. 2. Prædicta definitio est circularis; ergo vitiosa; probatur antecedēs, quia sicut definitur qualitas per hoc, quod simus quales, etiam quale definitur èconuerso, quod est id, quod qualitatem habet, sed hoc est circulum committere: ergo.

℞. Negando antecedens: non enim committitur circulus in istis definitionibus, quia defi itiones nō sunt, sed descriptiones: & ad prob. antecedentis dico, quod abstractum & concretum in diuerso genere causæ esse habent, vnum explicando formam, alterum connotando subiectum: Ac denique definitio qualitatis in abstracto, non explicatur solùm per concretionem, sed per effectum nobilitandi & reddēdi qualificatum, quando vero definitur quale, solùm definitur quoad statum concreti, per hoc, quod est ha-

habere formam, & sic nullus committitur circulus.

Arg. 3. Adducta definitio non est notior definito, ergo incongruè traditur; probatur ans, quia æquè ignota sunt qualitas in abstracto, & quale in concreto; ergo.

℟. Negando añs; ad cuius prob. dico, non esse æque ignota qualitatem, & quale, vnde nec definitio qualitatis per æque ignotum traditur, cum tradatur per effectum qualificandi, & per statum concretionis in subiecto, quæ nobis notiora sunt, quam ipsa forma qualitatis, vel status abstractionis eius.

CONTROVERSIA LXXVII.

Vtrum qualitas adæquatè diuidatur in quatuor species, nempe habitum, & dispositionem, &c.

DICO, diuisionem qualitatis in quatuor species; putà habitum

bitum & diſpoſitionem; potentiam, & impotentiam; paſſionem, & paſſibilem qualitatem; formam, & figuram, verè adæquatam eſſe; hęc eſt ſcholarum omnium cum D. Th. & probatur ratione eiuſdem S. D. Qualitas importat accidens, cuius proprium eſt imponere ſubiecto determinationem, & modum accidentalem; omnis autem modus, & determinatio poteſt accipi, vel in ordine ad ipſam naturam; vel ſecundum actionem, & paſſionem, quæ conſequuntur principia naturæ; vel in ordine ad quantitatem, modus ſecundum quantitatem pertinet ad quartam ſpeciem, quę eſt forma, & figura; reſultat enim figura ex terminatione quantitatis; modus ſubiecti ſecundum actionem, & paſſionē, attenditur in ſecunda, vel tertia ſpecie qualitatis; nàm potentia per ſe ordinatur ad actionem, vel paſſionem; paſſio verò vel paſſibilis qualitas, ex aliqua paſſione, vel motu

tu resultat: modus autem, & determinatio conformiter ad naturã rei, pertinet ad habitum, & dispositionem; quia primò, & per se ordinantur ad conuenientiam, vel disconuenientiam naturæ, & quia natura est terminus generationis, & motus, motum autem consequitur facilè, vel difficile fieri, etiam istæ rationes considerãtur in habitu, & dispositione: ergo præfata qualitatis diuisio adæquata erit.

Arg. 1. Iuxta præfatam collectionem specierum qualitatis, non repugnabit eandem qualitatem poni in duplici specie; sed hoc non congruit; ergo; probatur maior, quia calor, v.g. vt causatus ex motu alterationis est passio, vel passibilis qualitas, & tamen secundum conuenientiam ad naturam, sicut est in igne, erit prima species qualitatis; ergo.

℞. Negando maiorem; ad cuius prob. dico, quod quamuis nulla

qua-

qualitas sit, nisi in vna tantùm essentiali specie, poterit tamē quoad statùm, & modum accidentalem, induere modū & statum alterius speciei, non tamen essentialiter; & sic calor per se primo habet esse terminum alterationis, sed per accidens, & ab extrinseco, habet modum conuenientis, vel disconuenientis naturæ, quatenus est propria passio alicuius, non quia ad id ex formali ratione sui ordinetur: potest etiam econuerso dicere primo & per se conuenientiam ad naturam, sed per accidens, aut consecutiuè esse terminus actionis; & sic non ponitur calor essentialitèr in duplici specie, sed essentialiter in vna, & modum, vel statum alterius habet.

Arg. 2. Habitus & dispositio etiā se habēt vt determinatio, seu modus erga actionem, quia habitus operatiui sunt principia eliciendi operationem; ergo non per conueniē-

tiam

tiam ad subiectum omnis habitus explicandus erit.

&. Distinguo añs; primò & per se, nego añs; secundariò, & per accidens, conceditur; habitus enim & dispositio per se primo. habent disponere naturam secundùm conuenientiam, & disconuenientiam; si autem natura actiua sit, disponet ad actionem, non quia habitus sint primò, & per se actiui, sed quia natura quam disponunt, actiua est, & non disponitur conuenienter, nisi ad actionem; & sic negamus pariter consequentiam.

CONTROVERSIA LXXVIII.

Vtrum sex vltima prædicamenta sint denominationes extrinsecæ, aut formæ absolutæ.

NOta; duplex esse denominans extrinsecum, vnum quod se ipso immediatè denominat, sine ali-

qua mutatione, ſicut ex viſione denominatur res viſa: Aliud quod denominat mediante aliqua applicatione, & modo ſui ad alterum, ex qua mutatione, vel applicatione, neceſſariò aliquid quaſi mutatum relinquitur in eo, cui adiacet, vel à quo dependet, quod aliqui explicant per reſpectum, alii per modū, reuera enim modus ille, ſeu mutatio non eſt aliquid abſolutum omnino ab extrinſeco, ſed dependens ab illo, licet non ſit ad illud, vt ad terminum, hoc enīm eſt proprium relationis ſecundum eſſe; & ſic præcipuum denominans eſt ipſa forma extrinſeca quaſi originatiuè, ſed applicatiuè eſt ille modus, quo applicatur ad informandum.

Dico 1. Sex vltima prædicamenta non conſiſtunt in denominatione extrinſeca; hæc ſtatuitur contra Herueum, Sot.Maſ. & alios; eam tamen docet D.Th.5.metap.lec.15. B.Albert.Gilb.Capr Soncin. Sanch. Gonz.

Gonz. Lisbon. Arauio, Compl. & communiter scholæ, & probatur. Talis denominatio extrinseca, prout extrinsicè tangit res denominatas, non dicit aliquam naturam realem, cùm in illis nihil ponat, prout verò tenet se ex parte formæ denominantis, quæ in alio subiecto intrinsicè est, iam supponitur esse in suo prædicamẽto, sicut visio prout est actus oculi, suum habet prædicamentum v. g. qualitatis; ergo non potest iterum poni in alio prædicamento ratione denominationis extrinsecæ, quia illa denominatio prout extrinseca non addit nouam naturam realem; ergo nec nouam rationem ponendi in alio prædicamento.

Dico 2. Sex vltima prædicamenta, non sunt veræ relationes prædicamentales, sed quid absolutũ; hæc statuitur cõtra Scot. Capr. & alios; est tamen concors scholę Angelicæ sensus, & communis, & probatur.

Quia

Quia propria ratio relationis secũdum esse, est esse Ad, seu accidens faciens respicere aliud, ex proprio & natiuo eius effectu; sed hoc non conuenit istis prædicamentis; ergo non sunt veræ relationes secundùm esse; probatur minor discurrendo per singula; & imprimis actio, & passio, ex propria ratione non dicunt Ad, sed Actio dicit esse Ab agente; passio verò in passo, vt patet. deinde quatuor vltima prædicamenta ex propria ratione dicunt esse In, siquidem vbi facit rem esse in loco, quando in tempore, situs disponit partes in loco; & habitus resultat ex eo, quod vestis sit in corpore: ergo nullum istorum propriè loquendo includit esse Ad.

Conf. Quia iam hęc prædicamẽta continerentur sub prædicamento relationis, & ex consequenti solum essent quatuor genera suprema, cõtracta, quæ supra docuimus; ergo hæc prædicamenta non sunt veræ

rela-

relationes, sed entitates absolutæ, & modi quidam relicti ex aliqua adiacentia rei extrinseca, vt patebit ex sequentibus controuersiis, vbi sigillatim de singulis prædicamentis agemus.

Arg. 1. contra 1. concl. Non sunt multiplicandæ entitates intrinsicæ, vbi solæ denominationes extrinsicæ sufficiunt, sed ex sola circumscriptione extrinseca superficiei continentis dicitur res esse in loco, & ex sola mensuratione extrinseca temporis dicitur esse in tempore, & sic de aliis; ergo præter has denominationes extrinsecas non sunt constituendæ aliæ entitates, & accidentia intrinseca, & sic sex vltima prædicamenta in denominatione extrinseca consistent.

℞. Negando minorem; quia esse in loco, vel esse in tempore non important putas denominationes extrinsecas, à loco, & à tempore; sed peculiares modos essendi rerum

rum, quæ sunt in loco, & tempore, in eisdem existentes: quia tamen modi isti, seu accidentia dependent à rebus extrinsecis, quæ maiorem habent entitatem, & sine quibus existere non possunt; [vbi enim dependet à loco, quando à tempore, & sic de aliis, vt infra explicabimus, ideo de illis loquimur, ac si essent denominationes extrinsicæ.

Arg. 2. contra 2. concl. Sex vltima prædicamenta, quantùm ad intrinsecam sui rationem, dicunt respectum ad aliquid extrinsecum, vt existens, ita quod ablata eius existentia, tollitur denominatio, sicut ablato effectu tollitur actio, & ablato loco, & veste, tollitur vbi, & habitus, ergo non sunt relationes trãscedentales, quia dependent ab existentia termini; nec res omnino absolutæ, quia dependent ab aliquo extrinseco.

℞. Negando consequentiam; Ista enim prædicamenta dependent

ab aliquo extrinſeco exiſtènte, non vt à termino, ſicut relatio ſecundū eſſe, ſed vt à principio, & forma, à qua originetur, vel circa quam verſatur denominatio; & iſte reſpectus eſt ſecundùm dici, vel traſcendentalis, quia licet dependeat ab exiſtentia illius extrinſeca, vt actu, & exiſtenter denominet, tamen quia eſſentialitèr, & per ſe à tali extrinſeco dependet, ſicut vbi à loco. actio ab effectu, &c. Ideo dicitur illa relatio traſcendentalis, & ſecūdùm dici: Relatio autem ſecundùm eſſe, nòn conſiſtit in hoc ſolum, quod pendeat ab exiſtentia termini, vt exiſtat, quod aliis eſt commune, ſed quod ſit ad illum ſolùm, vt ad parum terminum.

CON-

CONTROVERSIA LXXIV.

Quid ſit actio, & paſſio prædicamentalis?

NOta 1. Prędicamentum Actionis hoc modo coordinari poſſe: Actio genus generaliſſimum primo diuiditur in tranſeũtem, & immanẽtem; immanens in cognitiuã, & volitiuam; & vtraque in corporalem, & ſpiritualem: corporalis cognoſcitiua in actiones ſenſuum internorum, & externorum; ſpiritualis cognoſcitiua in intellectualem, qualis eſt in angelo, & diſcurſiuam qualis eſt in nobis; & ſupernaturalem, vt eſt viſio beata. Appetitiua corporea in varias paſſiones: Appetitiua ſpiritualis in varias ſpecies actuũ, naturaliũ & ſupernaturalium. Actio tranſiens 1. diuiditur in artificialem, & naturalem; artificialis per infinitas ſpecies artis vt ædificare, ſcribere &c. Naturalis in ſubſtãtia-

lem, & accidentalem; substantialis est generatiua, quæ per diuersos terminos suæ productionis variatur: accidentalis in augumentationē, alterationem, & motum localem; vnaquæque in varias species, vt, motus localis in circularem, directum, &c. Alteratio in intensionem, remissionem, &c.

Nota 2. Prædicamentum passionis, hoc modo diuidi posse: passio prima diuisione diuiditur in substãtialem, & accidentalem, seu in generationem passiuam, & motum. Illa diuiditur iuxta diuisionem generabilium; hæc verò iuxta diuisionē motus in augmentationem, alterationem, & lationem passiuam.

Nota 3. Ad prædicamentum passionis solùm pertinere passiones illas, quæ ex natura sua præsupponunt, & sequuntur actionem prædicamentalem; vndè non datur vera passio huius prædicamenti, quando proprietates recipiuntur in essentia,

ne-

neque quando alia accidentia per accidens producta recipiũntur in subiecto. Qua etiam de causa creatio passiua non est passio huius prædicamenti; quia creatio actiua Dei, quam per se præsupponit, non est vera actio prædicamentalis.

Dico 1. Actionem prædicamentalem, hoc modo rectè posse definiri. Actio est accidens à quo res constituitur actu producens; hæc est communis, apud metaphysicos, & logicos, & probatur, quia vt inquit D.Th. Agere nihil aliud est, quam causare formam in passo, vt patet; ergo.

Dico 2. Passio prædicamentalis hoc modo definiri potest. Passio est accidens, à quo res cõstituitur actu recipiens. Ita communitèr metaphysici, & probatur; Quia, vt iam diximus agere est causare formam in passo; ergo pati nihil aliud est quam talem formam recipere, vt de se liquet,

Arg. 1. contra 1. concl. Actio est quid incompletum, in quantum actio; ergo non constituit prædicamentum; consequentia patet, & antecedens probatur, quia vt actio est, & à passione distinguitur, non inhæret; sed inhærentia complet accidens, sicut subsistentia substantiam; ergo.

℞. Negando antecedens; ad cuius prob. negatur maior; actio enim etiam inhæret; licet vt actio non significetur inhęrens; vndè aliud est, quod actio non inhæreat absolutè, hoc etenim esset excludere ab illa rationem accidentis; aliud, quod in quantum actio, non explicet inhæsionem, quia consideratur, vt ab alio, licet ibi includat esse in alio; sicut relatio sub conceptu Ad, non explicat In, licet illud includat.

Arg. 2. contra ambas conclusiones, Actio & passio conueniunt in aliquo communi vniuoco; ergo nō sunt diuersa prædicamenta, hæc enim

enim in nullo vniuoco conueniũt; & consequenter, neque diuersas habebũt definitiones; probatur antecedens quia conueniunt in ratione motus, seu viæ, vt patet. ergo.

℟. Negando antecedẽs; ad prob. dico, quod motus non est prædicatum commune per modum gradus superioris, sed per modum postprædicamenti; numeratur enim in illis, & ita motus est communis per idẽtitatem, & in re, non per vniuersalitatem, & rationem.

Contra; ea quæ sunt idem realitèr non possunt diuersa prædicamenta constituere; ergo in nullo conueniunt, & multò minùs tanta conuenientia vt entitatiuè identificentur; consequentia patet, & antecedens probatur, quia prædicamẽta sunt primò diuersa; ergo.

℟. Negando antecedens; ad cuius prob. dico, sufficere ad diuersa prædicamenta, quod formalitèr, & quidditatiuè sint primò diuersa,

licet materialitèr, & entitatiuè, sint idem.

CONTROVERSIA LXXX.

Quid sit prædicamentum vbi, & situs?

NOta 1. prædicamentum, vbi hoc modo coordinari posse. Vbi quod est genus supremum diuiditur in circumscriptiuum, definitiuum, & supernaturale, seu sacramentale: sacramentalis vbi, solum cognoscimus vnam speciem, nempè præsentiam corporis Christi in Sacramento. Definitiuum vbi est præsentia spirituum creatorum in loco, quæ secundùm diuersos modos operandi in loco poterit variari. Vbi circumscriptiuum, infima est species, quia esse hic Romæ, aut Lutetiæ Parisiorum, non variat formalitatem loci: sed materialem distantiam.

Nota

Nota 2. Sub genere ſupremo ſitus duas poni ſpecies ſubalternas, nempè poni rectè, vel inflexè; ſub poſitione autem inflexa continentur plurimæ ſpecies, vt ſeſſio, cubatio, genuflexio, &c.

Dico 1. Vbi prædicamentale hoc modò rectè deſcribi poteſt. Vbi eſt circumſcriptio corporis à circumſcriptione loci proueniens. hæc eſt communis ſcholarum Senſus, & probatur definitionem explicando. Senſus ergo eſt, vbi eſſe accidens reſultans in re locata, eò quod à loco contineatur, medio quo quaſi coæquatur, & proportionatur loco. Vndè D.Th. in 4.d.16.q.3.ar.1. Appellat vbi proportionem locati ad locum, & affirmat vbi eſſe quid relictum in corpore, ex loco; ergo.

Dico 2. Hoc modo ſolere deſcribi prædicamentum ſitus; quod ſit poſitio, ſeu ordo partium in loco; ſiue ſitus eſt accidens diſponens partes in loco; ita communiter do-

ctores, & probatur, quia talis positio, seu ordinatio partium, nihil aliud est, quàm sedere, stare, cubare, &c. Ordinantur enim partes cōparatiuè ad locum per situm formaliter, sicut per quantitatem ordinantur in toto; ergo.

CONTROVERSIA LXXXI.

Quid sit prædicamentum quando, & habitus?

NOta 1. prædidamentum quādo, hoc modo coordinari posse. Quando iuxta differentias temporũ diuiditur in præsens, preteritum, & futurum, & horum, vnumquodq; in varias species annorũ, mensiũ, dierũ, &c. Sicut enim quælibet vnitas variat species numeri, ita quælibet differentia temporis, variat species Quando, quod est numerus successiuus.

Nota 2. Habitũ, qui est supremũ genus, diuidi in arma, & vestimen-

ta; Arma in offensiua, & desentiua, quorum vnumquodq; varias habet species; vestimenta in hominũ & bestiarum: sicut equi ornantur epiphio, fræno, armis, &c. Vestimenta in varias modos induendi, secundùm diuersam adiacentiam., vt tunica, calceamentum, pileus, &c.

Nota 3. Proprietates sex vltimorum prædicamentorum fere omnes esse, non suscipere magis, ac minus; & non habere contrarium præter actionem; & passionem, quę vtrumq; habet. Habitus etiam dicitur suscipere magis, ac minus nõ secundùm intensionem, & remissionem, sed secundùm plura, vel pauciora indumenta, non tamen habet contrarium, quia non habet intensionem, & remissionem.

Dico 1. Quando hoc modo rectè definiri. Quando est id, quod ex adiacentia temporis relinquitur. Hæc est D. Thomæ, & omniũ logicorum, & probatur. Quia ea

quæ ſubijciuntur tempori, non minus afficiuntur ab illo, quàm ea, quæ ſubijciuntur loco, & veſti, vt iſtud dicatur locatum, hoc veſtitũ; ſed hoc ſufficit conſtituere in eis modum, & denominationem ſufficientem ad duo prædicamenta; ergo etiam illud ſufficiet ad prædicamentum Quando.

Dico 2. Prædicamentum habitus ſic rectè definiri. Habitus eſt corporum, & eorum quæ circa corpus ſunt adiacentia; Ita omnes logici, & probatur. Quia ſicut ex loco adiacente, & ambiente redditur res locata, ex ſubiectione ad tempus Quãdata, ſic ex veſte circumdante dicitur induta; ergo.

CONTROVERSIA LXXXII.

De poſtprædicamentis Ariſtotelicis;

NOta 1. Quod poſt prædicamẽta ſunt modi quidam, aut rationes incompletæ, multis prædica-

camentis communes, quæ à prædicamentis excluduntur ob vtramq; rationem, nempe propter transcẽdentem, & incompletam: Hæc autẽ post prædicamenta sunt quinque; oppositio, prius & posterius, simul, motus, & habere.

Nota 2. Quod oppositio est quadruplex, Alia relatiua, vt duplum, & simplum; Alia contraria, vt calidum, & frigidum. Alia priuatiua, vt visus & cæcitas. Alia deniq; contradictoria, vt sedet, non sedet.

Nota 3. Quatuor modis dici aliquid esse prius alio. Primo prioritate temporis, vt Adam fuit prior Abele. 2. prioritate consequentiæ, quia scilicet ab eo ad aliud non valet consequentia, vt animal respectu hominis. 3. prioritate ordinis, quando aliquid habet habitudinẽ principij, vel partis respectu alterius, vt præmissæ respectu cõclusionis. 4. prioritate dignitatis, seu honoris, vt honorabiliores dicũtur priores.

No-

Nota 4. tripliciter posse dici aliquid esse simul cum alia. 1. simultate temporis, quando scilicet in eodem tempore fiunt, vel sunt, vt subiectum, & propriæ passiones. 2. simultate naturæ, quando vnum cum alio conuertitur, & neutrum est alterius causa, vt pater & filius. 3. tandem modò dicuntur esse simul differentiæ diuisiuæ eiusdem generis, vt volatile, gressibile, aquatile, respectu animalis.

Nota 5. Sex esse veluti species motus; scilicet generationem, & corruptionem ad substantiam; Augmentationem & diminutionem ad quantitatem; alterationem ad qualitatem; & motum localem, seu lationem, ad vbi.

Nota 6. Omnes habẽdi modos reduci posse ad quatuor; primus est quo vna res dicitur habere aliam, quam trahit ad suam dispositionem, & naturam, vt febris dicitur habere infirmum. Secundus, quo res habet aliã,

sicut

ſicut ſubiectum formam, vt ſubſtantia quantitatem. Tertius, quo res habet aliam, ſicut continens contentum, vt calix vnum. Quartus denique, quo res per violentiam tenet aliam, ne moueatur ſuo motu naturali, aut libero; ſicut columnæ habent domum.

Dico; Adæquatam, & ſufficientem eſſe diuiſionem oppoſitionis in illa quatuor membra recenſita in. 2. notabili. hæc eſt D. Th. 5. metaph. lect. 12. eſtque communis, & probatur. Quia oppoſitio, vel eſt inter ens & ens; vel inter ens, & nõ ens. Secundo modo dupliciter, vel inter ens, & non ens abſolutè, & ſic eſt contradictio; vel in ſubiecto determinato, & capaci vtriuſque; & ſic eſt priuatio. Primo modo etiam dupliciter, vel inter ens, & ens, quæ ſe mutuo expellunt, & ſic ſunt contraria; vel quæ ſe mutuo reſpiciunt, & ſic eſt relatiua oppoſitio; ergo.

CON-

CONTROVERSIA LXXXIII.

Vtrum omnis cognitio Intellectiua *fiat ex praeexistenti cognitione.*

NOta 1. in titulo dici cognitionem intellectiuam ad distinctionem sensitiuæ, neque enim omnis sensitiua ex præexistenti cognitione oritur, sic etenim procederetur in infinitum, sed sistitur in cognitione sensus externi, quæ nō oritur ex alia priori cognitione.

Nota 2. Quod nomine doctrinæ, & disciplinæ intellectiuę est dissentio inter authores, quid intelligatur, an de omni cognitione absolutè, an solùm de discursiua, vel sciētifica; & licet posset intelligi quod omnis cognitio intellectiua oritur ex alia, quatenus secunda operatio oritur ex prima, & prima apprehensio ex sensitiua, tamen hoc non cōducit ad intentum; solùm ergo con-

tro-

trouertimus de cognitione probatiua, modo rationali, & discursiuo. dicitur autem doctina ipsa cognitio, prout docens, & faciens nos scire, disciplina verò receptio cognitionis ab alio.

Dico, propositionem Aristotelis nempè, Omnis doctrina, omnisq; disciplina intellectiua fit ex prexistenti cognitione, debere intelligi de omni, & sola cognitione discursiua. hæc est D. Thom. & communis scholarum sensus, & probatur; Quia intentum philosophi solùm est ostendere quomodo possit aliquid de nouo sciri, seu cognitio acquiri sine hoc; quod procedatur in infinitum in probationibus, neque fiat circulus probãdo vnũ per aliud, & ècontra; sed ad hoc so'ùm conducebat loqui de cognitione quæ per probationem, & illationẽ acquiritur, scilicet de cognitione probata, & probante, illata, & inferente, ita quod cognitio probans, non est necesse

cesse quod fiat ex alia priori probã-re, quia potest aliqua cognitio probans esse per se nota, & non ex alia probatione antecedente; omnis autem cognitio probata, seu demõstrata præsupponit aliam priorem, ex qua probatur, seu demonstratur; ergo.

Arg. 1. Discursus non solum includit conclusionem, sed etiam premissas; ergo talis cognitio discursiua non fit ex præexistenti cognitione, sed ex se ipsa, quatenus ex præmissis, quas includit deducitur conconclusio.

℞. Negando consequentiam; quia si discursus sumatur adæquatè, pro premissis, & conclusione, sic verificatur, quod ex præexistenti cognitione fit, scilicet, quia ex cognitione principiorum secundùm se vt præcisè tangitur per habitũ principiorum, proceditur ad cognitionem ipsorum, vt inferentium, & consequenter ad conclusionem: sed

ſed tamen non ſumendo diſcurſum ita adæquatè, ſed pro ea cognitione, quæ eſt probata per diſcurſum quæ eſt concluſio, cui ſoli competit eſſe, doctrinam, & diſciplinam, ſic fit ex præexiſtenti cognitione, nempè ex cognitione præmiſſarum, quæ eſt probatiua, quaſi dicamus, quòd omnis doctrina, id eſt, cognitio probata per diſcurſum, ſeu diſcurſiua vt probata, fit ex præexiſtenti cognitione probante.

Arg. 2. Si omnis doctrina, & diſciplina fieret ex præexiſtenti cognitione, daretur proceſsus in infinitum, ſed hoc abſurdum; ergo. ſequela probatur, quia illa præexiſtens cognitio etiam eſt doctrina; ergo debet fieri ex alia, & illa ex alia, & ſic in infinitum.

℞. Negando ſequelã; quia licet cognitio diſcurſiua, qua probatur tertia, aut quarta paſſio de ſubiecto, poſſit fieri ex alia cognitioni diſcurſiua præexiſtenti; tamen cognitio,

qua

qua prima passio probatur, non fit ex alia cognitione discursiua, sed ex cognitione iudicatiua principiorum; & sic non datur processus in infinitum.

CONTROVERSIA LXXXIV.

Vtrum præmissæ efficienter influant in conclusionem?

NOta 1. Præmissas sumi posse, vel formalitèr, vel obiectiuè; formalitèr sunt assensus, seu actus ipsius intellectus, quibus propositiones ipsas iudicamus; obiectiuè sunt res ipsæ, quæ assensu, & propositione attinguntur: & quidem obiecta ipsa quantum ad connexionem, quā habēt, vel in ratione prædicati, & subiecti, vel in ratione inferētis, & illati, disponit logica, & proponit intellectiui, quia negotiatur circa res cognitas, in quibus disponēdis, & attingendis, est tota difficultas, non in cognitionibus ipsis pro-

producendis realitèr.& ordinandis; Controuertitur ergo de ipsis præmissis formalibus, id est, de assensibus præmissarum, an concurrant effectiuè ad assensum,& illationem, conclusionis?

Nota 2. Controuersiam procedere per se loquendo, & respectu intellectus benè dispositi, qui scilicet cognoscat vim illationis, & alia de causa non sit impeditus; si quis enim ignoret vim illationis, vel aliàs esset impeditus, vt contingere potest in rustico, vel amente; in eo per accidens, assensus præmissarum non produceret assensum conclusionis.

Dico 1. Assensum præmissarum esse quodammodo causam assensus conclusionis; hanc docent omnes dialectici cum D. Th. & probatur. Propria ratio discursus non consistit in hoc quod vnum cognoscatur post aliud, secundùm successionem temporis; id enim non est necessa-

rium,

rium, vel si requiritur, non tamen est sufficiens; siquidem possunt plures propositiones disparatę vna post aliam successione temporis cognosci, absque eo, quod efficiant verùm discursum, vt patet; ergo propria eius ratio consistit in eo, quod vnius cognitio ex alterius cognitione causetur.

Conf. Assensus conclusionis virtute continetur in assensu præmissarum, vt fatentur omnes; ergo assensus præmissarum est causa assensus conclusionis; probatur consequentia, quia continentia virtualis propria est causæ respectu effectus; ergo.

Dico 2. Assensus præmissarum est causa efficiens assensus conclusionis; hæc statuitur contra Dur. est tamen concors scholæ Angelicæ sensus, & probatur. 1. Conclusioni assentimur propter præmissas; & ideo magis assentimur præmissis; ergo in genere causæ efficientis assensus

sensus præmissarum cōcurrit ad assensum conclusionis: Antecedens est Aristotelis; consequentia verò probatur, quia ly, propter, non denotat in præsenti causam finalem vt per se patet; neque potest accomodari causæ materiali, aut formali, in quibus non habet locum illud axioma: propter quod vnumquodque tale, &c. vt dicemus infra; ergo denotat genus causæ efficientis.

Conf. Quia sicut se habet finis in operabilib. sic præmissæ, seu principia in speculabilibus, 7. ethic. c. 8. sed volitio finis est causa efficiens volitionis mediorum, vt significat S.D. 1. 2. q. 7. ar. 3. ergo etiam assensus, præmissarum erit causa efficiens assensus conclusionis.

Probatur 2. Quia si principia respiciunt conclusionem per discursum secundùm causalitatem, oportet quod influant in assensum conclusionis, quatenùs lumen præmissarum ita afficit, & determinat in-

intellectum, quod conclusionem ipsi manifestat, & illuminando assentiri facit; sed lumē extrinsecum, quod est in luminoso, & per medium diffunditur, causat illuminationem alicuius obiecti, & determinat ad cognitionem illius effectiuè; ergo præmissæ, quæ per discursum causant conclusionem illuminando ipsam, vt medium extrinsecum conclusioni, effectiuè influunt in assensum conclusionis.

Arg. 1. contra 2. concl. Si præmissę sunt causę effectiuæ conclusionis, potest Deus illarum efficientiam supplere, & sic inferetur conclusio sine præmissis; sed hoc repugnat, vt constat; ergo.

℞. Negando maiorem; quia non omnis efficientia potest, sub omni modo suppleri à Deo, scilicet, quando efficientia importat, seu connotat specialem aliquem modum, seu dependentiam, sub qua Deus non potest efficere; sicut potest Deus

pro-

producere hominem, sed non generare corporaliter vt pater, & potest concurrere ad discursum, sed non discurrere; & similitèr non potest conclusionem vt illatam sine præmissis producere.

Arg. 2. contra eandem. Vnus actus non est operatiuus alterius actus; sed assensus præmissarum est actus intellectus; ergo non dat illi virtutem effectiuam ad influendum in conclusionem. Maior patet, & minor probatur, quia assensus præmissarum, neque est potentia, neq; habitus, neque species; sed omnis virtus effectiua cuiuscunque cognitionis, solum est potentia, vel habitus illi superadditus, vel species, vt patet; ergo erit actus.

℞. Distinguo maiorem; si vnus actus non contineat virtute aliũ actũ, cõcedo maiorẽ; si ipsũ cõtineat negatur; sic enim efficere potest illum, determinando potentiam, & dando illi virtutem, vt se moueat,

de vno in aliud, ſic videmus quòd in voluntate actus intentionis, eſt cauſa actus electionis, & actus imperij habet pro effectu actum imperatum.

Arg. 3. contra eandem; ſi præmiſſæ efficienter influunt in concluſionem, ſequitur quòd aſſenſus præmiſſarum debet ſimul exiſtere quando elicitur aſſenſus concluſionis, quia cauſa effectiua non influit niſi exiſtendo; ſed hoc falſum; ergo; maior patet, & minor probatur, quia cognitio præmiſſarum tranſit adueniente concluſione, cùm per diſcurſum, & motum de vno ad aliud tranſeatur; ergo.

℞. Negando minorem; quando enim infertur concluſio; exiſtit cauſa inferens, quia minor & cõcluſio ſimul tempore cognoſcuntur, licet minor ſit prius natura; & ad probationem minoris dico, non requiri ad diſcurſum, quod vnus actus tranſeat poſt alium ſecundùm ſucceſſionem

nem

nem temporis, sed secundùm successionem, vel causalitatem cognitionum, & obiectorum, licet vtraque cognitio simul duret: si tamen cognitio inferens non maneat actu, manebit in virtute, & determinatione, qua intellectum determinet ad inferendam conclusionem.

CONTROVERSIA LXXXV.

Vtrum per assensum præmissarum necessitetur intellectus ad assentiendum conclusioni?

NOta; dupliciter posse aliquam potentiam necessitari; scilicet quoad specificationē, & quoad exercitium; tunc necessitatur quoad specificationem, quando taliter determinatur ad vnam partem, t licet possit suspendere actum, tamen si velit operari, actus debet sse illius speciei, ad quam determinatur, & non potest esse alterius: unc verò necessitatur quoad exer-

citium, quando talitèr determinatur, vt non possit suspendere, aut cessare ab actu. v. g. Voluntas in via necessitatur quoad specificationem ad amandum beatitudinem in communi; quia licet possit non exercere actum circa illam, tamen si vult exire in actum, necessariò debet esse amoris, & non odii: in patria verò eadem voluntas necessitatur quoad exercitium à bonitate diuina clarè visa; quia non solùm non potest eam odisse, sed neque suspendere, aut cessare ab amore illius, quam vndequaque diligibilem clare conspicit intellectus.

Dico 1. cognita bonitate illationis, intellectum per assensum præmissarum necessitari, quoad specificationem ad assentiendum conclusioni; hæc est D. Thomæ, quem sequuntur concorditèr logici, & probatur. 1. Assensus præmissarum est causa naturalis assensus conclusionis; ergo positis omnibus requisitis,

tis, non potest non producere illum; ergo saltem quoad specificationem talis productio est necessaria, siquidem hæc est minor necessitas, quæ potest esse in causa.

Probatur 2. Quia qui sciens ex verò non posse sequi falsum, cognoscit aliqua principia esse vera, & assentitur illis, etiam cognoscit conclusionem ex illis rectè deductam non posse non esse veram; ergo dato, quod possit suspendere assensum, non potest tamen illi dissentire.

Dico 2. Per assensum præmissarum demõstrationis necessitari intellectum quoad exercitium ad assentiendum conclusioni; hęc statuitur contra Oviedum, Ruu. & alios ex modernis; eam tamen docet S. D. 1.p.q.82.ar.2. quem sequitur Caiet. Sanch. Sonc. Compl. Conimb. Lisbon. Masius, & communitèr scholę, & probatur. Quia eodem instanti quo cognoscitur minor, cognosci-

tur etiam conclusio ex Aristot. & D.Th. ergo voluntas imperans assensum minoris non potest impedire assensum conclusionis; probatur consequentia, quia voluntas imperās aliquam actionem alterius potentiæ, non potest impedire, quicquid necessariò sequitur in eodem instanti ad talem actionē, vt de se patet; sed assensus conclusionis necessariò sequitur ad assensum præmissarum in eodem instanti, vt constat; ergo voluntas non potest illum impedire.

Arg. 1. contra 2. concl positis assensibus præmissarum indiget intellectus habitu ad assentiēdum cōclusioni scientificæ, circa illam enim versatur scientia; ergo aliquam indifferentiam habet intellectus ad talem assensum, nam si nullum habitum haberet, nullùm habitum generaret, vbi enim est totalis determinatio potentiæ, non datur habitus, qui ejus indifferentiam tollit; vbi

vbi autem est aliqua indifferentia, non est omnimoda necessitas.

℞. Negando consequentiam; quia habitus scientificus non solùm attingit conclusionem illatam, supposito assensu præmissarum, & bonitate consequentiæ, sed etiam attingit præmissas, vt inferentes, & earum dispositionem, & hoc totum indiget habitu, vt possit demonstratio elici; quamuis verum sit, quod si solùm attendamus ad illationem conclusionis post assensum præmissarum, & rectam earum dispositionem; hoc præcisè non indigeret habitu vincente difficultatem aliquam; quia nullam indifferentiam habet intellectus ad talem assensum.

Arg. 2. contra eandem. Voluntas non necessitatur ab aliquo bono particulari, quod non pertineat ad proprium esse, sed assensus conclusionis, etiam post assensum præmissarum, est quoddam bonum

particulare; ergo non necessitatur voluntas ab illo quoad exercitium.

℞. Ad maiorem dicendo, duplex esse exercitium, ad apprehendendum principia; vel ad assentiendum illis, vel conclusionibus ex eis necessariò deductis; circa primum exercitium voluntas est libera, & potest intellectum retrahere, nè cogitet de principiis, & sic ab assensu conclusionis cessare indirectè, & nō continuare illum apponendo impedimenta: secūdum verò exercitium non potest voluntas impedire supposito assensu præmissarum in his propositionibus, quæ conuincunt intellectum; & in hoc sensu, negatur consequentia.

CONTROVERSIA LXXXVI.

Vtrum rectè sit definita demonstratio ab Aristotele?

NOta 1. Dupliciter definiri demonstrationem ab Aristot. 1. hoc

hoc modo. Demonstratio est syllogismus faciens scire; quæ definitio traditur ex ordine ad demonstrationis effectum, qui etiam est eius finis: dicitur autem, syllogismus, ad declarandum quam formã argumentationis exigat demonstratio, nempè syllogisticam. dicitur, faciẽs, vt denotetur præmissas effectiuè in conclusionem influere, quia assensus præmissarum, qui sunt formales notitiæ, seu conceptus, effectiuè agit ad inferendum conclusionem, vt supra docuimus. dicitur denique scire, quia scire, est rem per causam cognoscere, quod proprium est demonstrationis.

Nota 2. Demonstrationem secundò definiri hoc modo. Demonstratio est syllogismus constans ex veris, primis, immediatis, prioribus, notioribus, causisque conclusionis; quæ definitio traditur penes propositiones, ex quibus formatur syllogismus demõstratiuus; tres

autem primæ particulæ definitionis manifestant conditiones præmissarum, quasi absolutas. dicitur ergo, ex veris, quia licet possit verum concludi ex falso ratione formæ, & supposita cōcessione præmissarum, tamen scientificè probari non potest ex falso verum, quia probatio dat certitudinem, & euidentiam, quam falsitas præbére non potest veritati. Dicitur, ex primis, & immediatis, id est, ex per se notis, quæ non per aliud medium demonstrantur. Adduntur in definitione tres vltimæ particulæ: ex prioribus, notioribus, causisque conclusionis; in quibus particulis explicat Arist. præmissas comparatiuè, seu applicatiuè ad conclusionem, comparādo autem præmissas ad conclusionem, oportet quod medium, quo præmissæ connectuntur, & manifestant illam, sit causa conclusionis, saltèm in cognoscendo, & consequentèr præmissæ habeant prioritatem

tatem respectu conclusionis, eo modo, quo habet causalitatem ad illam: deindè debent esse notiora, quia cùm causent manifestationem, & notitiam conclusionis, per hoc; quod ipsa principia nota sint, necessariò sequitur, quod debeant esse notiora, quia; propter quòd vnumquodque tale, & illud magis.

Nota 3. Illud axioma Arist. Propter quod vnumquodque tale, & illud magis, tunc valere, quando totus effectus potest reflecti supra veram causam, v. g. quando dicimus; luna est lucida propter solem; potest fieri reflexio sic: luna est lucida, quia sol est lucidus; & ideo benè sequitur; ergo sol est magis lucidus. & ita legitima intelligentia, axiomatis hæc est; propter quod vnũquodque tale, & illud magis; id est, quãdo aliquid est tale propter aliud; quia illud est tale; illud propter quod est tale, est magis tale.

Dico; præfatas duas definitiones

demonstrationis, rectas esse, & exactas; ita omnes dialectici cum D. Th. & probatur; quia definitio, quæ datur per propriam causam definiti, siuè extrinsecam, siue intrinsecam, est bona definitio; descriptiua quidem, si sit causa extrinseca: essentialis verò, si intrinseca, vt diximus in summulis; sed istæ definitiones sunt huiusmodi; ergo; probatur minor, quia demonstratio qualiscunque est quoddam instrumentum intellectuale, cuius proprius finis est scientia, per quam traditur prima definitio: & tale instrumentum tanquam ex propria materia constat ex propositionibus veris immediatis, notioribus, &c. per quam traditur secunda; ergo vtroque modo rectè definitur demonstratio.

Arg. 1. Generare scientiam ad summum conuenit demonstrationi pro materiali, siquidem pro formali est ens rationis; ergo non re-

ctè explicatur essentia, seu ratio formalis demonstrationis, in prima definitione adducta, per generare scientiam.

℞. Negando consequentiam; quia non definitur demonstratio ex parte formæ, sed solùm ex parte materiæ; & ideo rectè adducitur propria operatio, seu effectus, qui competit demonstrationi ratione materiæ.

Arg. 2. Demonstratio quia, procedit ex effectibus, vel causis remotis; ergo malè dicitur in secunda definitione demonstrationis, quòd procedat ex causis.

℞. Negando consequentiam; quia in hac definitione principalitèr definitur demõstratio propter quid, licet adaptari possit demonstrationi quia, accipiendo causas conclusionis, non pro causis in essendo, sed in cognoscendo, & quoad nos, quæ etiam possunt esse effectus.

CON-

CONTROVERSIA LXXXVII.

Vtrum adæquatè, & uniuocè, diuidatur demonstratio in quia, & propter quid?

NOta 1. Quod demonstratio propter quid, est illa, quæ nõ solùm probat passionem inesse subiecto, sed etiam ostendit, propter quid, illi conueniat, quod fit adducendo in pręmissis propriam, & adęquatam causam talis passionis, cum enim vtraque passio habeat proprium principium, à quo dimanet, consequenter habet proprium propter quid per quod probetur, nempè rationem illam, seu illud quid, à quo dimanat: & quando hoc ponitur pro medio ad concludendum talem passionem, fit demonstratio propter quid. Sit exemplum, quãdo de subiecto demonstratur secũda passio per primam, quæ est perfe-

fectissima demonstratio, v. g. hoc modo. Omne discursiuum est admiratiuum, sed omnis homo est discursiuus; ergo omnis homo est admiratiuus. In qua demonstratione, non solùm concluditur verum esse, quod admiratiuum conuenit homini, sed etiam ostenditur, propter quid illi conueniat; siquidem pro medio sumitur discursiuũ, quod est propria, & immediata causa, seu proprium propter quid admiratiui; & inde huiusmodi demonstrationes appellantur, propter quid.

Nota 2. Quod demonstratio quia, est illa, quæ tantùm ostendit passionem conuenire subiecto; non autem adducit propter quid illi cõueniat. sit exemplum in hac demonstratione, stellæ non scintillantes sunt propè nos; sed planetæ sunt stellæ non scintillantes; ergo planetæ sunt propè nos. In qua solum scitur, planetis conuenire hoc, quod

quod est esse propè nos; non autem assignatur propter quid illis conueniat. Nam hoc, quod est, non scintillare, non est propter quod huius, quod est esse propè nos; sed potiùs econtra planetas esse propè nos, est propter quid non scintillandi, vt per se patet.

Dico 1. Diuisionem demonstrationis in quia, & propter quid, esse adæquatam; hæc statuitur contra Auerr. Themist. Lullium, & alios; est tamen Arist. & D. Thomæ, quos sequuntur cateruatim dialectici, & probatur; quia ista diuisio traditur per membra immediatè opposita, quorum vnum infert contradictoriam negationem alterius; nam demonstratio quia est illa, quæ tradit veritatem aliquam; non reddendo propriam, & peculiarem eius radicem; demonstratio autèm propter quid, ea est, quæ ostendit veritatem aliquam secundùm suam propriam causam, & radicem cognitã,

vt talem; sed causa immediata, & proxima, & non immediata contra. dictionem important: ergo differunt istæ demonstrationes per immediatam oppositionem, & sic adæquatè exhauriunt diuisum.

Dico 2. Solam demonstrationem propter quid, appellandam esse simpliciter, & absolutè demonstrationem, aliam verò tantùm secundùm quid, ac proindè præfatam diuisionē potius esse analogi in analogata, quam generis in species; hæc statuitur contra Ruu. Sanch. Lisb. & alios ex modernis; eam tamen docet Auer. Zabarella, Masius, Sotus, & alij, & probatur. Demonstratio est medium, seu instrumentum ad acquirendam scientiam; ergo illa sola dicenda est absolutè, & simpliciter demōstratio per quam simplicitèr scimus; sed tunc solùm dicimur simplicitèr scire aliquid, quando causam cur ita sit, cognoscimus, quod fit in demonstratione propter

quid

quid; ergo hæc tantum dicenda est simplicitèr demonstratio. Antecedens cum consequentia constant; minor autem subsumpta, non alitèr probatur, quàm ipsa nominis significatione, & communi hominum acceptione; ergò.

Arg. 1. contra 1. concl. hæc est vera demonstratio. Omne animal est substantia; omnis homo est animal; ergò omnis homo est substãtia; sed tamen non est demonstratio quia, nec propter quid quia esse animal, nec est causa, neq; effectus respectu substantiæ; ergo.

℞. Negando minorem; cum enim termini ex quibus coalescit illa demonstratio, non solum identificentur inter se realiter, sed etiam sint prædicata subordinata eiusdem essentiæ; non potest esse inter eos propria ratio causæ, & effectus in essendo, etiam virtualitèr; & ideo talis demonstratio propriè loquendo, neque est à priori, neque à posterior-

steriori; est tamen verè demonstratio quia; nam ad hoc sufficit non dari per propriam, & adæquatam causamquod in præsenti contingit.

Arg. 2. contra eandem. Demonstrationes negatiuæ sunt veræ demonstrationes; sed tamen neque procedunt per causas, neque per effectus; ergo non sunt demonstrationes propter quid; vel quia, probatur minor, quia quod reuera est nihil, non potest esse vera causa, aut effectus, sed quod est negatiuū, est verè nihil; ergo.

℞. Negando minorem; nam etiā negatio suo modo habet causam, & effectum, sicut affirmatio, cùm omnis negatio in affirmatione fundetur: vndè sicut ex demonstrationibus affirmatiuis, illæ quæ adducunt propriam, & adæquatam causam, propter quam passio affirmatur de subiecto, sunt demonstrationes propter quid, aliæ verò quia: sic proportionaliter ex nega-

gati-

gatiuis, quæ reddunt propriam, & adæquatam causam, quare passio negatur de subiecto, sunt demonstrationes propter quid; aliæ verò quia.

Arg. 3. contra eandem. Quando ab eadem causa duo æquales effectus deriuantur, quorum neuter sit alterius causa, possumus vnum per alium demonstrare; vt, si in laboranti febre putrida, inæqualitatem pulsus per immoderatum calorem, aut econtra concludamus sic. Qui habet pulsum inæqualem, afficitur calore immoderato; sed qui laborat febre putrida, habet pulsum inæqualem; ergo afficitur calore immoderato; sed talis demonstratio non est propter quid, nec quia; cum nec procedatur in ea à causa ad effectum, aut ab effectu ad causam, sed ab effectu ad effectum; ergo præter demonstrationem quia, & propter quid, assignanda est alia.

R.

℞. Negando minorem; dato enim quod talis syllogismus sit verè demonstratio, pertinet ad demonstrationem quia, siquidem in ea non adducitur proprium propter quid conclusionis; vt supponimus, sed tantùm concluditur prædicatum conuenire subiecto.

Arg. 4. contra 2. concl. Demonstrationes, sicut & scientiæ quæ per illas producuntur, distinguuntur ex principijs, seu mediis per quæ procedunt; sed principia, seu media demonstrationis propter quid, & quia, distinguuntur essentialitèr; ergo & ipsæ demonstrationes, & sic diuisio erit potius generis in species, quam analogi in analogata; maior patet, & minor probatur, quia vnum est propria, & adæquata causa conclusionis; & aliud, effectus eius, aut causa remota; ergo.

℞. Distinguo minorem; in esse rei, concedo minorem; in esse scibilis, negatur: Assensus autèm con-

conclusionum, & habitus scientiæ, qui per illos producitur, sumit suã vnitatem, aut distinctionem, ex vnitate, aut diuersitate principiorum, non in esse rei, sed in esse scibilis, vt latè docemus in metaphysicis: principia autem ex quibus procedunt demonstratio quia, & propter quid; quando sunt intra eandem scientiã, licet sint diuersa in esse rei, non tamen in esse scibilis, & sic non possunt causare diuersitatem essentialem in earum assensibus; benè tamen quando tales demonstrationes pertinent ad diuersas scientias, quia tunc habent principia diuersa in esse scibilis.

Arg. 5. contra eandem; Tam demonstratio propter quid, quàm quia, procedit ex principijs certis, & euidentibus, & per consequentiam euidentem in modo, & figura constitutam; ergo vtraq; simpliciter, & absolutè facit scire, ergo vtraq; simpliciter participat rationẽ de-

demonſtrationis, & per conſequens talis diuiſio erit vniuoca: Antecedens, & vltima conſequentia patet, prima verò probatur, quia per aſſenſum concluſionis in demonſtratione quia, non producitur habitus principiorum, cùm talis aſſenſus ſit diſcurſiuus; neque habitus opinionis, aut fidei, cùm ſit aſſenſus neceſſarius, & euidens; ergo producitur habitus ſcientiæ; ergo talis demoſtratio abſoluè, & ſimplicitèr facit ſcire.

℞. Negando conſequentiam, ad cuius prob. dico, quod per aſſenſum concluſionis in demonſtratione quia, producitur quidèm habitus ſcientię, ſed valde imperfectus, & non habens ſtatum habitus, aut ſcientiæ, ſed diſpoſitionis, & conſequentèr non facit ſcire ſimpliciter, ſed tantum inchoatiuè; vnde talis demonſtratio, quid imperfectum eſt in genere demonſtratiõis, & non conſtituens veram eius ſpeciem,

ciem,

cië, sed reductiuè pertinens ad eam. Reliqua quæ hic à nonullis logicorum tradi solent de vnitate, distinctione, & subalternatione scientiarum; in nostra metaphyca synopsi velut in propriori sede Deo dante abundè pertractabimus. & hęc de hac controuersia, & vniuersa logica sufficiant; & cedant in laudem, & honorem Dei Vnius, & Trini, Virginis Deiparæ, Doctoris nostri Angelici Aquinatis, omniumq; cęlestium ciuium.

Romę in sacra Aede S. Sixti die 13. Octobris 1658.

INDEX RERVM.

A

E

F

G

O

P

R

S

Finis Laus Deo.